IVLII CLEMENTIS PLACENTINI, EX ILLVSTRISS. SCOTORVM FAMILIA, &c.

DE POTESTATE PONTIFICIA IN SOCIETATEM IESV, &c.

PARS PRIMA.

In qua ponuntur nonnulla de Auctoritate Summi Pontificis in Religiosos Ordines, ac nominatim in Societatem Iesu;

Desumpta ex eiusdem Societatis Doctoribus Celeberrimis.

In medium afferemus

P.º NOnnulla, quæ proponuntur à nonnullis Societatis Iesu Scriptoribus Celeberrimis, & præcipuè à Francisco Suarez, generatim spectantia ad Romani Pontificis auctoritatem in Religiosos Ordines; illud tamen hic prænotantes, Nostrum haud Consilium esse omnia penitus afferre, quæ ab his proponuntur, nec examinare, An quæcumque ab illis asserta, certa sint, An solum probabiliora, vel etiam probabilia, &c.

2. Nonnulla, quæ peculiariter spectant ad Auctoritatem Romani Pontificis in Societatem Iesu desumpta ex ipsius Societatis Libris, Auctoribusque. Hæc tamen potiùs erunt Vniuersalia quædam Axiomata, seu Principia: Nam Secunda Pars quædam particularia comprehendet, circa quæ exerceri posset in Societate Pontificia Potestas: Et hæc quidem præcipuè confirmabuntur ex gestis, vel dictis ab eadem Societate; simulque ibi exponentur causæ, propter quas talia Pontificis Summi Præcepta non solùm valida, verùm etiam licita reddi possent; afferentur verò plures, vt si quando vna, vel altera seorsim accepta satis non foret, multæ vel omnes simul talia præcepta

reddere possint iusta, atque etiam quandoque suadere Pontifici, vt pro sua Pastorali circa Vniuersale totius Ecclesiæ Bonum sollicitudine, ac vigilantia, de facto illa, vel aliqua ex illis præcipiat.

Caput Primum.

In quo ponuntur nonnulla generatim spectantia ad Auctoritatem Romani Pontificis in Religiosos Ordines

Desumpta ex Doctoribus Celeberrimis Societatis Iesu.

Suarez to. 3. de Relig. lib. 6. c. 16. n. 11.

P.° *Pono.* Quando res fuerit dubia & de exceptione non constiterit, pro *Petri*, adeoque pro *Summi Pontificis Potestate præsumendum esse*; tum quia in dubio melior est conditio possidentis, siue Superioris; tum quia concessio Principis amplissima amplianda est, maximè quando verba eius sunt amplissima: Vniuersalissimè autē dixit Christus Petro, *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis*; & *Pasce oues meas*. Ex quibus colligi potest, dum est probabilior, vel etiam probabilis opinio de Pontificis Potestate, pro illa præsumendum etiam, ac censendum esse.

Suarez vbi supra n. 6.

2. *Pono.* Dum aliqui Pontifices, maximè Doctiores, ac Pij, aliquid effecerunt in materia maximè graui, non esse paruipendendum id; neq; enim est verosimile tales Pontifices sua Potestate temerè vsos fuisse in re graui, sed ad minimum existimasse hanc partem probabiliorem, ac fere certam, maximè dum nō solùm tractatur, an hoc liceat, verum etiam an factum teneat: In quo genere quæstionum, aut dubitationum oportet semper in operando sequi id, quod tutius, atq; adeo quod probabilius est. Ex quibus colligitur reprehendendos esse illos, qui dictitarent Pontifices inualidè reuocasse aliquas facultates, & aliqua priuilegia Religiosis Ordinibus; inualidè dispensasse cum aliquo Professo, vt iniret Matrimonium, vel vt in habitu Clericorum Sæculari viueret sub Obedientia Episcopi, vel ipsius Pontificis tantùm.

Lessius lib. 2. de Iustit. c. 6. nu. 41. Sanchez lib. 6. Moral. c. 2. nu. 30.

3. *Pono.* Cum Potestas Spiritualis in Pontifice residens respectu Christianorū omniū sit de Iure Diuino, Hanc nunquam ab vllo Christiano præscribi posse; multoq; minùs posse ab vllo Religioso præscribi contra Obedientiam Pontifici debitam ex Voto; nam contra Obedientiam ipsis Regularibus Prælatis debitam præscribi non posse putat Communis Sententia.

4. *Pono.* Non solùm Pontificem posse omnia ea ordinare, ac statuere,

tuere, quæ ad bonum Religionis Christianæ, & conueniens Ecclesiæ Regimen necessaria sunt; verum etiam nunquam posse Pontificem abdicare à se supremam Potestatem Spiritualem, quam habet ad disponendum ea, quæ ad ad conuenientem Ecclesiæ Gubernationem pertinent; cum non possit minui suprema Spiritualis Potestas: Et si illam abdicaret, inualida, nedum illicita foret talis abdicatio: etenim illam habet necessariò annexam Officio Pastoris Vniuersalis à Christo sibi commisso. Quæ Doctrina cum afferatur à Francisco Suarez agente de Immunitate Ecclesiastica; multò magis amplectenda erit iuxta eius quoq; sensum dum agitur de ijs, quæ pertinet ad Religiosos Ordines, qui sunt peculiari modo Pontifici subiecti: Quare per nullum omnino cōtractum cum his initum poterit Pontifex abdicare à se Supremam Potestatem Spiritualem ad statuenda illa, quæ illorum Ordinum Regimini necessaria, vel opportuna prudenter iudicauerit ad Ecclesiæ totius bonum.

Suarez lib. Def. num. 5. Fid. Cath. li. 4. c. 11 nu. 8. & ca. 34. nu. 24.

5. *Pono*. Cum Pontifex habeat Supremam in Religiosos Potestatem ex Potestate à Christo illi concessa in Christi Oues, sicuti ad illum pertinet Modum, & Regulam Religiosæ Vitæ approbare, ita consequenter illam mutare, ac in ea dispensare posse; hoc enim totum pertinet ad conuenientem modum pascendi Oues Christi: Et quamuis Regularis Vita absolutè sit consilij, cum tamen supposito Statu eius sit necessitatis, adeoq; conueniens obseruantia, & dispositio in his, quæ ad illum pertinent, valde necessaria sit ad Salutem eorum, qui talem statum professi sunt; sit vt huiusmodi Cura primò, ac pricipaliter pertineat ad Eum, cui totius Gregis Christi cura commissa est: Quare ex necessaria subiectione, quam supposito suo Statu Religiosus habet ad Pontificem, tenetur illi obedire, sicuti Clericus tenetur obedire Episcopo ratione status Clericalis, quem voluntariè assumpsit, etiam seclusò speciali voto Obedientiæ. Ex quibus colligitur, assumentem statum Religiosum peculiariter se subijcere Iurisdictioni Romani Pontificis, quam peculiarem Iurisdictionem non habet Pontifex in cæteros, qui solùm sunt Baptizati.

Suarez to. 3. de Relig. lib. 10. c. 11. n. 10.

6. *Pono*. Votum Obedientiæ, quod emittunt Religiosi, obligare illos ad obediendum non solum Regularibus Prælatis, vt immediato Cōuentus Prælato, Prouinciali, & Generali; sed etiam Romano Pontifici; atque hinc fieri vt Religiosi teneantur obedire Pontifici, non tantum obligatione generali, qua tenentur reliqui Fideles, sed specia li quoque voti obedientiæ circa obseruantias Regulares eo modo, quo tenentur obedire proprijs Prælatis Regularibus. *Ratio est*: Quia id votum per se primò, & principaliter fit Romano Pontifici, tanquam supremo omnium Religionum Generali; atque ita duplici saltem nomine est superior Religiosorū; altero vt omnium Fidelium, quod sit supremum Ecclesiæ Caput; altero autem specialiter Re-

Sanch. lib. 6. Mor. c. 1. n. 8. & 3. de Relig. c. 14. n. 13.

ligiosorum, quia ipsi tanquam supremo Religionum Prælato se Votô obedientiæ ligarunt. Ex quibus colligi potest.

P.° Cum Pontifex habeat Potestatem Dominatiuam voluntatis Regularium, qualem non habet respectu aliorum Fidelium, etiam Clericorum sæcularium, irritare posse omnia Religiosorum Vota nô minùs, ac Prælatos Regulares.

Idem Sanch. lib 4. Moral. c. 33. n. 23.

2. Regulares non minùs teneri obedire Pontifici circa Religiosas obseruantias, quam proprijs Prælatis Regularibus, ita vt sacrilegium committant necessario in Confessione explicandum, si violent Præceptum aliquod circa obseruantiam aliquam Regularem à Pontifice impositum.

3. Pontifice, & Prælatis Regularibus contrarium, & vtrumque licitum præcipientibus, anteponendum esse Romani Pontificis præceptum: Quia si attendamus Potestatem Iurisdictionis, qua alij Prælati in suos Religiosos gaudent, ea à Pontifice dimanat; & ita principaliter tanquam in Fonte, in ipso residet: Si autem attendamus Potestatem Dominatiuam ratione Voti obedientiæ in subditos, ea quoque principaliter residet in Pontifice tanquam in supremo omnium Religionum Generali.

Idem Sanch. lib. 6. Moral. c. 1. n. 10.

4. Pontificem posse Præceptum imponere obedientiæ, tum toti alicui Communitati Religiosæ, tum singulis quibusque ex illa Communitate: Et hinc fieri, vt Generalis cuiuslibet Ordinis Regularis non minùs teneatur parere Pontifici, quam teneatur illi quicumque ex suis Religiosis obedire.

7. *Pono*. Quamuis Religiosi assererent se non vouisse obedientiam Summo Pontifici, adeoque non teneri illi parere precipienti tantum in Virtute obedientiæ ex voto debitæ, haud tamen audiendos esse: Nam hoc intenderunt saltem implicitè & Vouentes, & Pontifices ipsi approbantes Religiosum statum. Quare si aliquis, dum emittit Votum Obedientiæ vnà cum alijs duobus, intenderet reuera non emittere illud Romano Pontifici, non constitueretur per illa Vota Religiosus, etiamsi Vota Paupertatis, & Castitatis, qualia requirit Religiosus status, emisisset: neque enim Pontifex videtur admisisse Ordinem Religiosum cum tribus Votis substantialibus, nisi quatenus in Voto Obedientiæ etiam Ipse inter superiores, quibus promittitur obedientia connumeratur: Imò existimo idem dicendum, si aliquis vellet obligare se ad obediendum Pontifici, sed itaut, si Prælati Regulares aliquid præciperent contrarium illi, quod præcipit Pontifex, ceteroqui licitum, vt suppono; vellet teneri ad obediendum potiùs Prælatis Regularibus, quam Pontifici; videtur enim esse de intrinseca ratione obedietiæ Religiosæ, vt talis subordinatio respectu Summi Pontificis seruetur. Certè quis Votum Religiosæ obedietiæ constitutiuum diceret emisisse illum, qui vouisset obedientiam Prælato immediato

Suarez tr. 7. de Relig. lib. 10. c. 11. nu. 13.

Sup-

Conuentus, & non prouinciali, vel Generali, aut qui his tribus promisisset obedientiam, sed cum tali conditione, vt teneretur obedire magis prælato immediato Conuentus, quam prouinciali, vel prouinciali magis quam Generali? Sic qui vouisset paupertatem cum voluntate tamen habendi aliquid independenter omnino à voluntate Superioris, inualidè vouisset; Sicuti etiam, qui voueret Castitatem, ita vt nollet Mollitiem esse sacrilegium, inualidum esset istud Castitatis Votum: Et ex quolibet simili vitio in vnoquoque Voto ex tribus essentialiter ad Religiosum statum requisitis redditur professio Religiosa in Foro conscientiæ irrita; ad quod sufficit, si cum his vel similibus conditionibus interiùs conceptis aliquis emittere intendat vota Religiosi status cōstitutiua. Eo ipso autem, quod aliquis emiserit huiusmodi Vota, censetur vouisse ea omnia, quæ ex natura rei modò supponuntur esse necessariò annexa Votis Religiosi status constitutiuis, & per consequens vouisse etiam obedientiam Romano pontifici, licet hoc explicitè nō intendisset: Sic Christianus volens Matrimonium vult etiam implicitè Indissolubilitatē, quam aliquādo potest etiam ignorare.

8. *Pono*. Si quilibet Prælatus Regularis habet triplicem potestatem ad præcipiendum Religiosis sibi subditis; potestatem scilicet Iurisdictionis à Pontifice datam, potestatem Dominatiuam ortam ex vi traditionis, & potestatem prouenientem ex ipso Voto; Hæc enim est distincta ab illis duabus vt patet in Voto puro ac simplici obediētiæ: Hanc Triplicem potestatem eminenti modo residere in Pontifice: In quo etiam aliæ potestatis in Religiosos species considerari possunt, nā quatenus Religiosi sunt personæ Ecclesiasticæ, siue Fori Ecclesiastici, & in certa viuunt Communitate adstricti certis legibus ad Diuinum Ordinatis Cultū; & quatenus Clerici sunt plerique eorum, peculiaribus Titulis Pontifici subijciuntur. Ex quibus colligitur Triplicem respectum in pontifice respectu Religiosorum spectari posse. Primum, tanquam *Pastoris Ecclesiæ Vniuersalis*. Secundum, tanquam *Hierarchiæ Ecclesiasticæ Principis*. Tertium, tanquam *Supremi omnium Religiosorum cœtuum Generalis*: Adeoque posse Pontificem multa præcipere Religiosis ex vno respectu, quæ non potest ex alio; vt nominatim Doctores exemplum afferunt in Præcepto de acceptando Episcopatu, ad quod potest Religiosum cōpellere solùm vt Pastor Ecclesiæ Vniuersalis, ad quem spectat cura peculiaris quarumcumque Ecclesiarum. Est quidem verum, quod Pontificis, vt supremi Generalis, sit quoque amplior potestas in Religiosos, quam cuiuscumque Prælati, vel cuiuscumque habentis Iurisdictionem in quacumque Religione; nam non solum potest imponere præcepta ac leges cuilibet Generali & cuilibet Capitulo, seu Congregationi Generali; verum etiam ad eum pertinet punire Capitulum Generale, si vt Vniuersitas peccet

Suarez to. 3. de Relig. lib. 10. c. 8. n. 1.

Suarez lib. 4. Def. ca 9. & n 15. Sanch lib. 4. Moral. c. 38. nu. 13. Idem Sāch. lib 6 Moral. c. 2. n. 49.

Suarez to 4. de Relig. c 8. nu. 18 & 19. tr. 8.

contra obseruantiam Regularem, & nō obediat Regibus quas ipsum
obligant: Similiter quoque ad Eum pertinet punire Generalem, si
Capitulum Generale ex speciali Instituto approbato à Summo Ponti-
fice non habeat Potestatem puniendi Generalem delinquentem: vel
quoque si non adsit Capitulum, qui de facto illum posset punire; licet,
cum adest, habeat ad id facultatem sufficientem.

9. *Pono.* Ad Pontificem prout Pastorem Ecclesiæ Vniuersalem,
Suar. t.3. de Rel. l.2. c. 15. qui habet scientiæ Clauim, spectare modum viuendi Religiosum in
Communi societate approbare authenticè, illumque toti Ecclesiæ
proponere, vt honestum, & sanctum, siue vt viam conuenientem ad
perfectionem assequendam: & præter hanc quasi Iudiciariam appro-
bationem, requiri aliam, quæ dicitur Practica, per quam à Pontifice
detur tali Congregationi, vel Prælatis eius Potestas acceptandi, & re-
cipiendi in Christi nomine, & in vero statu Religioso constituendi
illos, qui Vitam illam profiteri volunt. Non potest autem modò non
approbante Pontifice induci in Ecclesia vllus Religiosus Ordo, etiamsi
constitueretur ex his, qui tria tantùm Vota simplicia emitterent, vel
Idem Suar. t.4. de Rel. l. 2. tr. 9. c. 4. n. 27. Sanch. lib. 5. Mor. c. 1. n. 19. & 20. etiam si esset Ordo Militaris. Hinc (Vt Professio valeat, vel quiuis cō-
stituatur in statu Religioso) Vota Religionis substantialia emitten-
da sunt in Religione per Sedem Apostolicam approbata pro vera Re-
ligione: Et præterea est Vouens constituendus sub alterius Iurisdi-
ctione & Potestate; Quod cum ex vi, & Natura Votorum non consur-
gat, deriuatur à Pontifice erigente Religionem: Ad quem quoque so-
lùm pertinet inducere impedimenta Professionem directè inualidam
reddentia.

10. *Pono.* Posse saluari Religiosum statum absque eo, quod eius
Suar. t. 3. de Rel. l. 2. c. 18. & t. 4. l. 2. c. 1. n. 2. 3. & 4. in tr. 8. Prælati habeant Potestatem Iurisdictionis; sufficit enim in illis Pote-
stas Dominatiua, qualēm solum habuerunt Antonius, Hilarion, Pa-
chomius, Benedictus, ceterique superiores Religiosorum cætuum
cum subiecti erant immediatè Iurisdictioni Episcoporum, habentq;
etiam modò Religiones Laicorum inseruientium Hospitalibus Pote-
statem quidem Iurisdictionis habent quidem modò omnes fermè
Prælati Regulares à summo Pontifice communicatam, tanquam à su-
premo Pastore; quæ tamen datur iuxta modum in Regula, vel Legi-
bus cuiusque Religionis præscriptum.

11. *Pono.* Iurisdictionem, quam habent Prælati Religionum esse
Suar. t. 4. de Rel. l. 2. c. 1. n. 8. et 9. tr. 8. *Ab Homine, & ab immediatè, & per se conferente illam*; nisi enim sum-
mus Pontifex illam dedisset, nullum est Diuinum Ius, nullaue Christi
promissio, ex qua colligere possimus, ipsum immediatè illam confer-
re, maximè quod talis modus Prælationis immediatè est institutus
ab Ecclesia, & non à Christo Domino (licet enim Potestas illum In-
stituendi fuerit à Christo, non verò ipsa Institutio) nullibi enim o-
stendi potest; nec talis Institutio fuit ex aliquo præcepto Diuino posi-

tiuo;

tiuo; sed ex prudenti arbitrio Summorum Pontificum: Imò, quod Religiosi sint exempti ab Iurisdictione Episcoporum, non solùm esse de præcepto Diuino, verum etiam videri potiùs quamdam quasi dispensationem, vel limitationem Iuris Diuini, quod de se erat indifferens. Exemptio enim hoe fuit Priuilegium merè voluntarium Pontificium, quod multo tempore non est concessum; & solùm incepisse videtur aliqua ex parte à temporibus Gregorij Primi, eoque tempore per Episcopos, eorumque Vicarios Religiosi immediatè gubernabantur in his, quæ pertinent ad Iurisdictionem. Nec fingi potest tanta necessitas postea suborta, quę ex vi Iuris Diuini, aut Naturalis Pontifices obligauerit ad hanc Exemptionem faciendam; Quam quidem absoluta Potestate potest quilibet Pontifex reuocare, itaut factũ teneat, quamuis sine iusta causa iam id non rectè fieret. *Idem Suar. ibid. n. 21.*

12. *Pono*. Licet daretur respectu Episcoporum denegationem alicuius Potestatis factam à Pontifice se habere per modum priuationis, & limitationis Iuris Diuini; nihilominus respectu Prælatorum Regularium solum comparati per modum simplicis negationis, seu non concessionis, quia illi nihil vnquam habuerunt de Iure Diuino. De Iure autem Humano ex vi Iuris Communis solum receperunt ea, quæ Episcopis eodem Iure Communi non sunt prohibita; quare respectu aliorum, quæ specialiter Episcopis prohibentur, non se habent vt priuati, sed vt non recipientes talem Iurisdictionem, seu vt alias dici solet, non se habent vt *Nudati*, sed vt *Nudi*. *Suar. t. 4. de Rel. l. 2. c. 12. n. 7. in fr. 8.*

13. *Pono*. Prælatos Regulares per Iurisdictionem illis impertitam à Pontifice habere communiter, vt possint ferre Censuras in sibi Subditos, cum illis dispensare in aliquibus Votis, illos absoluere à Casibus etiam aliquando reseruatis ipsimet Pontifici, illos punire grauioribus quoque pœnis, quæ infligi non possent ab illis prout precisè Potestatem Dominatiuam haberent, aliaque similia efficere posse, multiplices enim sunt Actus huiuscemodi Iurisdictionis: Inter quos ferme Primarius videtur esse, vt possint ferre leges: Quæ tamen Potestas cum pertineat ad supremam Iurisdictionem, siue ad Imperium maximum, non censetur concessa in generali concessione Iurisdictionis nisi fiat de illa specialis & Indiuidua mētio Potestas ergo, quam habent Prælati Regulares vel Religio in Generali Capitulo seu Congregatione ferendi leges, vel quacumque alia ratione est à Pōtifice conferente illam, prout sibi libuerit aut prudenter iudicauerit. Hæc autem vario modo est concessa In quo nam autem sit hæc Potestas, non potest dari certa regula; sed consulenda est vniuscuiusque Religiosi Ordinis Regula, quia Votum Obedientiæ secundum illam fit, & Iurisdictio Pontificia etiam datur Vnicuique ad regendum secundum illam; & ideo iuxta modum in Regula statutum erit hæc Potestas legislatiua in vnaquaque Religione, Certum illud est posse Pontificem *Suar. t. 4. de Rel. l. 2. c. 8.* *Layman l. 1. tr. 4. c. 5. n. 9. & 10.* *Suar. l. 4. de Leg. c. 6. n. 21. & t. 4. de Rel. c. 5. n. 26.*

tollere

tollere vſum aliquorum actuum huius Iuriſdictionis, & peculiariter adimere facultatem ferendi Leges Capitulo, ſeu Congregationi quoque Generali, vel eam concedere cum tali conditione, vt non obligent, niſi prius ab ipſo Pontifice fuerint approbatæ, vel ſolum concedere facultatem ferendi Leges in quibuſdam circumſtantijs, ac in certis materijs.

14. *Pono*. Prælatos Regulares poſſe ſibi ſubditis aliquid præcipere per poteſtatem tùm Iuriſdictionis tùm Dominationis. Hoc autem præceptum ſi violet Religioſus duplicis peccati Reus erit neceſſariò in Confeſſione explicandi: Multò autem magis poſſe Pontificem præcipere aliquid Religioſis per vtramque poteſtatem, cuius Præceptum ſi violent grauiùs quidem peccabunt, quam ſi violent præceptum ſimile factum à Prælatis Regularibus. Cenſetur autem Pontifex præcipere aliquid Religioſis per poteſtatẽ Iuriſdictionis Spiritualis quam habet in ceteros omnes, ſi æque obligat quoſcumque Fideles, vel ſi id illis peculiariter præcipit ſub pœna Excõmunicationis, Suſpenſionis, Interdicti, & aliarum pœnarum quę à ſola Iuriſdictione Spirituali decerni & imponi queunt: Tunc vero cenſetur communiter præcipere per poteſtatem Dominatiuam, cum in Virtute obedientiæ, vel in Virtute Voti ſibi facti, vel ſimilibus verbis explicantibus voluntatem obligandi Religioſos ratione Voti, illis aliquid præcipit.

Suar. t. 3. de Relig. lib. 10. c. 6. n. 6 & c. 4. n. 10. lib. 4. c. 12. n. 4. Sanch. l. 4. mor. c. 11. n. 25.

15. *Pono*. Siquando Abbatiſſis concedatur, vt per Officiales ſuos poſſint excommunicare &c. Eos accipere hanc poteſtatem à Pontifice ad Mandatum ſeu Deſignationem Abbatiſſæ, non vero ab ipſis Abbatiſſis, ſicuti etiam Conſeruatores à Pontifice eamdem poteſtatem accipiunt, qui tamen eliguntur ab ipſis Regularibus. Et Abbatiſſa quidem in ſibi ſubditas Moniales habet ſolum poteſtatem Dominatiuam, poteſtas autem Iuriſdictionis eſt penes Ordinarium, ſi ſint illi ſubiecti ſiue hic Ordinarius ſit Regularis ſiue Sæcularis; vel penes Pontificem, ſi ſint immediate Sedi Apoſtolicæ ſubiectæ & exemptæ ab Ordinariorum Iuriſdictione. Solent autem Pontifices, imo & Ordinarij locorum delegare facultatem excommunicandi &c. alicui Sacerdoti.

Suar. t. 4. de Relig. lib. 2. c. 9. n. 15. Sanch. lib. 6. Moral. c. 1. n. 23.

16. *Pono*. Cum humana Prouidentia non ſtatim à principio prævideat omnia commoda vel incommoda ad aliquem finem, ſed paulatim per experientiam addiſcat multa, quæ conuenientia vel neceſſaria etiam ſunt; poſse Pontificem addere nouum aliquem rigorem, vt medium aptum ad conſequendum ſcopum talis Religionis vel ad Regulæ obſeruantiam; Et tunc iſte Rigor præceptus poterit dici eſſe ſecundum Regulam, cum ad ipſius Regulæ obſeruantiam ordinetur. Imò cũ multi ceſſeant; ſi ſtrictior aliqua obſeruatio ſpectatis omnibus circũſtantijs neceſſaria videatur ad hoc, vt vota Religionis eſsẽtialia aliaque Religionis ſalubria ſtatuta ſeruentur, poſse talem nouam obſer-

Suar. t. 3. de Relig. lib. 10. c. 2 n. 13.

Vaſq. 1. 2. d. 154. c. 4. n. 25. Leſſ. l. 2. c. 41. n. 75.

obſeruationem pro vniuerſo Ordine decerni à Capitulo ſiue Congregatione Generali; quia talis obſeruatio indirectè pertinet ad Regulam, quando ſine ea Inſtitutum Ordinis in ſuo vigore conſeruari non poteſt; adeoque Religioſus Regulam profitens ſeu vouens implicitè etiam ſe obligauit ad ea omnia ſine quibus status Religionis cõſeruari nequit, ſed paulatim collabi ac diſſolui neceſſe eſt; *Multo magis id poterit Pontifex*, qui eſt ſupremus Religionum prælatus, adeoq; Religioſos omnes ad talem obſeruantiã obligare ex vi Voti poterit. *Sanchez lib. Mor. 6. c. 7. n. 42. Lay. tr. 5. c. 9. n. 11.*

17. *Pono.* Si tẽporis progreſſu appareat Regulæ Reformationem, neceſſarium medium fore ad ordinis Conſeruationem, Prælatum cum Capitulo, & multo magis Pontificem profeſſos omnes compellere poſſe ad Regulæ Reformationem acceptandam, quippe quam implicite videntur vouiſſe; qui enim profeſſus eſt talem Regulam etiam tempore relaxationis virtute ſe ſubiecit his, qui habent poteſtatem reformandi illam; Et qui profitetur Religionem regulariter, & maximè ſecundum rectam rationem, non intendit relaxationem, ſed ſimpliciter illius regulæ obſeruantiam; Et talis Reformatio moraliter loquendo neceſſaria eſt ad finem talis Religionis conſequendum, & ad reliquam partem Regulæ perfectè obſeruandam. *Tunc autem Reformatio Regulæ neceſſaria videri debet ad Regularis ordinis conſeruationem*, ſi cum præſenti obſeruatione pauciſſimi ad perfectionem Religioſam peruenire ſtudeant; Si cum querela, & ſcandalo sæcularium viuant, vt expediret omnino Religionem diſſolui quam ita continuari; Si neque eſſentialia Vota V. g. quæ ad paupertatem Religioſam ſpectant, communiter obſeruentur. Cum autem plerumque accidat, vti experientia docet, ſi Ordo aliquis à Fundatoris ſui Inſtituto recedat, paulatim ad deteriora tendere, cum Eccleſiæ, & ipſorum maximè Religioſorum ſpirituali detrimento; Ideo plerumque Profeſſi Reformationem Regulæ collapſæ factam à maiori parte Capituli, & multo magis a Summo Pontifice acceptare tenentur. *Suarez to. 3. de Relig. lib. 10. c. 8. n. 19.* *Azor l. 13. c. 11. q. 19. Vaſq. ubi ſup. Sanch. n. 35. Laym. 13.*

18. *Pono.* Etiamſi per Moderationem legitimam factam à Religione, & per Diſpenſationem, vel Priuilegium Pontificium relaxatio facta ſit in Regula, in Obſeruãtijs, & Auſteritatibus &c. poſſe tamen Pontificem talem Moderationem, Diſpenſationem, ac Priuilegium auferre, ſi experientia pateat eſſe taliter nociuam talem Moderationem, Diſpenſationem &c. vt non poſſint reliqua obſeruari in eadem Regula contenta. *Suar. t. 3. de Rel. l. 10. c. 8 n. 17.*

19. *Pono.* Cum Pontificiæ Leges toti Eccleſiæ communes obligare poſſint, licet duriores appareant, ſi ad cautelam peccatorum ferantur: Multo magis ferri à Pontifice poſse Leges, quæ ad maiorem cautelam Religioſo ſtatui (qui ſecurior, & ſanctior eſse debet) proportionatam, ac decentem conferant. Quare ſatis eſse videtur ad obligationem, vt id quod de nouo præcipitur, ſit valde conueniens Voti *Suarez to. 3. de Relig. lib. 10. c. 8. n. 8.*

obſeruationi; Quia ſub Obedientia ſecundum Regulam indirectè ſaltem comprehenduntur omnia,quæ ad Obſeruantiam Regulæ,vel aliorum Præceptorum prudenter iudicantur expedire.

Sanchez lib. 6. Moral. c. 3. n. 6. & 3.

20. *Pono.* Licet Regulares exiſtimarent id quod præciperet Pontifex, probabilius eſse rem illicitam, vel excedere Poteſtatem ipſius Pontificis; Teneri tamen adhùc per ſe illi parere ex vi Voti; Et multo magis ſi probabiliter ſolum putent eſse rem illicitam vel excedere ipſius Poteſtatem; Et adhùc multò magis ſi dubitent ſolum, an ſit res illicita, vel excedat Pontificiam Poteſtatem. Si enim in his caſibus tribuitur Ius præcipiendi cuique Superiori Regulari, an non Pontifici idem concedendum erit? accedit quod Pontifex habet ampliorem Poteſtatem præcipiendi conceſsam ſibi à Chriſto, pluresque rationes habere poteſt in ordine ad totius Eccleſiæ Bonum; quæ deſunt in Prælatis Regularibus.

Suar. t. 4. de Rel. l. 3. c. 11 n. 7 & 22. in tr. 8.

21. *Pono.* Ex eo quod Pontifex ſit Supremus Prælatus cuiuſq; Religionis, rationes huius ſupremæ Poteſtatis poſse eximere quemcumque Religioſum ab obedientia inferiorum Prælatorum & ſibi reſeruare: Quod factum erit validum etiam abſque vlla cauſa ob ſolam beneuolentiam vel gratiam talis perſonæ; & ita poteſt priuare Religionem omni iure fruendi, vel vtendi tali perſona, in quo non facit illi iniuriam, quia vtitur iure ſuo.

Suar. t. 4. de Rel. l. 3. c. 7 n. 3. 11 & 15 in tr. 8.

22. *Pono.* Poſſe Pontificem concedere Religioſo profeſſo, vt extra Monaſterium viuat retento, vel mutato Habitu, quia eſt ſupremus Prælatus, & in eo eſt ſuprema poteſtas; imò etiamſi ſine cauſa legitima Pontifex talem facultatem cõcedat, Eam validam fore cum non ſit Diſpenſatio in voto, vel iure Diuino, aut Naturali, ſed ſolùm in Iure aliquo Eccleſiaſtico; in quo Diſpenſatio data ſine Cauſa à Pontifice valida eſt. poteſt autem Pontifex plures cauſas habere ad hanc facultatem concedendam, quæ non erunt reſpectu Prælati Regularis; vt ſi Pontifex hoc concedat alicui veterano Eccleſiæ Miniſtro ad maiorem quietem, & quaſi in gratiam ſuorum laborũ, illum ſuæ obedientiæ reſeruando, vel ſi id faciat in gratiam alicuius Prælati etiam ſine magna neceſſitate; Quia cum ipſe ſit Auctor Iuris, in quo hæc obligatio fundatur, facilius poteſt in illo legitimè diſpẽſare. Poteſt etiam dare hanc facultatem taliter, vt à nullo Prælato Religionis reuocari poſſit; quia ipſe Pontifex eſt ſupremus Religionum Prælatus: Neque eſt hoc contra obedientiæ Votum; quia ipſamet obedientiæ ratio poſtulat ordinem, & ſubordinationem, & conſequenter petit vt ſuperior Prælatus poſſit dare facultatem, quam Inferior reuocare non poſſit; & conſequenter etiam integra ratio Obedientiæ ſeruatur, ſi ſupremo Prælato obeditur, quando omne Ius in talem perſonam ſibi reſeruauit.

23. *Pono.* Quamuis per Profeſſionem perſona ſe tradat Religioni, & Re-

& Religio acquirat Dominium in personam, illud tamen non esse (vt ita dicam) principaliter Dominium vtile Religioni, sicuti est Dominium serui; sed esse principaliter ordinatum ad spirituale bonum; semper tamen illam traditionem censeri principaliter fieri supremo Pastori. Hoc sibi acquisito Iure censendum est vti Pontificem, quando dat facultatem transeundi ad aliam Religionem: nam sicut sibi reseruare potest ita etiam potest concedere, vt medijs alijs Prælatis Religionis obedientiam seruet: Et quia Ius illud, quod Religioni acquiritur, non est proprium, ac rigorosum Dominium ad propriam vtilitatem ordinatum, sed magis ad Bonum ipsiusmet Religiosi, & ad obsequium Dei, non est necessaria ad hoc, vt licitè concedat hunc transitum ad Religionem etiam laxiorem, causa publica, aut communis Boni; sed sufficit maius Bonū ipsius particularis Personæ. Quænam autem sint causæ licitum reddētes Transitum ad laxiorē etiam Religionem, recēsentur a Doctoribus; inter quos licet Suarez afferat, cum est in commodum tantum Religionis ad quam fit Transitus non licere vlli Prælato Regulari talem concedere facultatem, subdit tamen, Pontificem posse dare huiusmodi dispensationem, vtpote habentem superiorem prouidentiam, & gubernationem vtriusque Religionis.

Suar. t. 4. de Rel. l. 3. c. 11 n. 7. & 28. tr. 8.

Sanch. lib. 6. Moral. 7. n. 72.
Suar. t. 4. de Rel. l. 3 c. 11 n. 22. 23. 24. tr. 8.

24. *Pono.* Licet non possit Regulari conferri validè beneficium sæculare, siue simplex, vt præbenda, Canonicatus, Dignitas, siue Parochiale, aut habens curam animarum; posse tamen Pontificem concedere facultatem illi, vt promoueatur ad quodcumque ex his, ex communi sententia, quæ etiam concedit posse Pontificem dispensare cum Regulari, vt fit capax pensionis obtinendæ super beneficio sæculari, siue simplici, siue Curato.

Suarez t. 4. de Rel. tr. 8. c. 19. n. 26. & 27.
Sanch. lib. 7. Mor. c. 29. n. 94.

Caput Secundum.

In quo ponuntur nonnulla peculiariter spectantia ad Auctoritatem Romani Pontificis in Societatem Iesu

Collecta ex eiusdem Soc. Libris, Scriptoribus &c.

P.° *Pono.* In Obedientiæ virtute debere Societatem Iesu inter cæteras excedere Religiones si maiorum suorum monitis atque exemplis insistere velit. s. quidem Ignatius in lit. de Virt. Obed. initio num. 3. sic ait. *Ab alys Religiosis Ordinibus faciliùs patiamur superari Nos Ieiunijs, Vigilijs, & cetera Victus Cultusque asperitate quam suo quisq;* c. 12.

ritu ac disciplina Sanctè suscipiunt: Vera quidem ac perfecta obedientia, abdicationeque voluntatis, atque Iudicij, cùm maximè velim, Fratres carissimi, esse conspicuos, quicumque in hac Societate Deo Domino nostro deseruiunt: Eiusdemque Societatis veram, germanâque sobolem, hac qua-
c.16.&17. *si nota distingui* &c. Et in fine, num. 20. iterũ: *Tam diligenter hanc Virtutem exerceri, vigereque percupio, quasi in ea Societatis nostra Bonum, ac Salus Vniuersa consistat.* Et B. Borgia in Epist. de Med. Confer. Sp.
c.63. Soc. n. 9. ait; *Quoad virtutem Obedientia (ad quam Societas omnia refert, tanquam ad Scopum & Vexillum, quæque eius est Turris præcipua) & si nonnulla fortasse dicenda erant* &c. Et P. Mutius in lit. de Orat.
c.394. sic habet. *Qua de Virtute* (obedientiæ scilicet) *Sermonem instituere opus minimè foret, quod maximè proprium sit Societatis Insigne, tutumq; Nauigium (Ita P. Borgia dictitabat) quo Religiosi* &c. Idem etiam Generalis in lit. ad P. Congreg. Prouin. ita inquit. *Quoniam autem B. P. Ignatius in illa sua Diuina* verè, *nec vnquam satis commendata Epi-*
c.441. *stola de obedientia, Virtutem hanc substituit,* & quasi *subrogat ijs poenitentijs, & Corporis afflictationibus, quibus in Ecclesia Dei plerique alij ordines Regulares iuxta proprium cuiusque Institutum magna cum ædificatione prælucent:* hæc *profectò vna si nos deficiet Obedientia, iure nobis ab aliqua imminente ruina timẽdum erit.* Et ab hac quidem ruina multò magis timẽdum esset, si deficere cæpisset in Societate obedientia erga Apostolicam Sedem elimata, ac subtilis; Qui enim talem non prosequuntur Obedientiam, non se germanam probant Societa-
c. 396. & 397. tis sobolem; quod docet idem P. Mutius in lit. de Orat. sic inquiens: Et verò quemadmodum ipsis (hoc est Superioribus) qua decet Caritate agendum, atque prudentia; ita in subiectis elimata subtilisque quædam obedientia est exquirenda; ijsque in memoriam reuocandum hac se ratione germanam probaturos sobolem Societatis &c.

2. *Pono.* Obedientiæ Votum iuxta probabilem Doctissimi Scri-
Less. l.2. de Iust. c.41. n. 75. ptoris sententiam in Societate ita obligare subditos vt teneantur obedire in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum; Et quamuis alij scriptores putent in Societate Obedientiæ materiam
Suar. t.4. de Rel. tr.10. lib 4. c.12. a. n. 30 non esse adeo amplã, vt in rigore præcepti aliquam nõ admittant limitationem; docent tamen ex consilio solùm illam spectandam esse
Sanch. lib.6. Mor. c. 2. n. 16. Regulam, vt quod præcipitur, non sit malum: Adduntque actiones illas etiam, quæ non proximè ac directe tendũt in auxilium & salutem
Castr. Pal. di. 4. p.3. pu. 4. n.3. Animarum, si tamen remotè, & per occasionem ad id spectent, posse præcipi Socijs; & in dubio præsumendum esse, hanc esse Intentionem Præcipientis; Imò expresse tradunt actiones misericordiæ Corporalis posse præcipi Professis Quatuor Votorum, quia omnes possunt ad Spiritualem profectum ordinari. Hinc tenebuntur Socij obedire Pontifici quęcumque planè imperanti; Nam *in omnibus* ex p.3.c.1.§.13. *Vbi peccatum non cernitur, tenentur Socij conformare omninò volunta-*

tem e-

tem etiam, ac Iudicium suum cum eo quod Superior vult, & sentit, nedum exequi illud integrè, promptè & c. Potestque Pontifex se conformare illi Sententiæ primæ, quæ innititur Verbis Constit. allatis &c.

3. *Pono*. Ex Consilio teneri Socios quoad executionem in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum (iuxta Francisci Suarez sententiam quoque) obedire statim, etiam littera inchoata relicta, & quocumque signo voluntatis superioris percepto integrè, promptè, fortiter, sine excusationibus, vel obmurmurationibus obedire, licet difficilia, & secundum sensualitatem repugnantia iubeat superior. Ex parte verò voluntatis teneri obedire integrè, quoad voluntatem, siue quoad omnimodam conformationem cum voluntate superioris; quem interna Reuerentia & Amore ita prosequi debent, vt in spiritu Amoris, & non cum perturbatione timoris procedatur. Ex parte autem intellectus requiri P.º vt socij non respiciant superiorem, vt Hominem, sed vt Deum, adeoque superioris Præceptum apprehendant, non vt Humanum, sed tanquam Diuinum, & à Deo egressum: Qui enim in suo superiore Christum considerat (facta Hypothesi, quod malum non præcipiat, nec tale aliquid in ipso præcepto appareat) pro certo habet, & iudicat se non errare. 2. quando non est euidens rem præceptam esse inutilem, vel incommodam fini intento, Socij se sinant auctoritate superioris duci. 3. licet veniat in dubium, An sit licitum, nec ne id, quod præcipitur, illud tamen exequantur deposito dubio, & hoc, siue sit dubium negatiuum, siue positiuum: quotiescumque enim licitum est obedire, melius est per se, ac perfectius obedire, etiamsi præcepti obligatio aliquo titulo excusari possit. 4. Vt socij cæcam quamdam exhibeant obedientiam, hoc est excludentem Prudentiam carnis, non verò Prudentiam spiritualem ac supernaturalem: licet enim non tollatur per hanc obedientiæ simplicitatem sufficiens discursus, & discretio ad non parendum in rebus illicitis; quia tamen hæc sollicitudo moraliter non est necessaria (nam regulariter non imponuntur illa Præcepta, & si contingat, facilè & per se statim patere solent) ideo simpliciter, & sine discussione obediendum est socijs, omnem sententiam, ac Iudicium submittendo illi, quod superior sentit, nec discutiendo illius Præcepta, sed iudicando potius salutaria &c. Hæc, licet Consilia in Constitutionibus indicata, dum non exequerentur socij, non perfectè obedirent, possentque puniri pro externis defectibus, qui internas imperfectiones indicarēt; Poterunt igitur multo magis puniri socij quicumque à Pontifice, si exterius pateat, eos non promptè, ac integrè vel cum obmurmurationibus &c. exequi id quod societati præcipit, vel si manifestent socij propriam voluntatem, ac Iudicium esse disforme voluntati, ac Iudicio ipsiusmet Pontificis: Mirandumque esset, quod superiores obedientiam, maximè cæcam modo supra explicato exigerent; Eam vero ipsi-

Suar. t. 4. de Rel. tr. 10. l. 4. c. 13. c. 14. & 15.

Suar. t. 4. tr. 8. l. 1. c. 3. n. 10.

ro ipsimet Superiores inter cæteros non præstarent Pontifici Imperanti nonnulla ipsis.

4. *Pono*. Societatem enim vero ita esse Institutam à suo Fundatore S. Ignatio, vt omnia, quæ de Obedientia ipse decernit, vel consulit in Constitutionibus, & in Epist. de Obed. quæ in singulos Menses publicè apud socios legitur, expressè velit obseruari respectu Pontificis: Sic enim p. 6. c. 1. §. 1. ait. *Exactissimè omnes neruos virium nostrarum ad hanc virtutem Obedientiæ, IN PRIMIS SVMMO PONTIFICI, deinde Superioribus Societatis exhibenda intendamus:* Atque initio n. 20. in Epistola de Obed. ita scribit: Atque *Hæc, quæ de Obedientia diximus æquè priuatis erga proximos Superiores, atque Rectoribus, Præpositisque localibus erga Prouinciales, Prouincialibus erga Generalem, Generali denique erga illum, quem Deus ipsi præfecit, NEMPE SVVM IN TERRIS VICARIVM, obseruanda sunt; sicut & ordinum perfecta distinctio, ac proinde pax retineatur, & caritas, sine qua nec Societatis nostræ, nec alterius cuiuslibet sodalitij posset recta gubernatio conseruari.* Ex quibus colligitur quantum inter cæteros præcellere debet Generalis in obediendo Summo Pontifici, illiusque imperatis voluntatem Iudiciumque suum conformando. Idem quoque S. Fundator p. 9. c. 3. §. 9. Hæc habet. *Idem Generalis in Missionibus omnem habebit Potestatem*, eis *tamen nulla ratione repugnando, quæ à Sede Apostolica (vt in septima parte dicitur) proficiscuntur*: docuerat autem p. 4. c. 10. §. 5. non repugnandum, nec contradicendum superiori, &c.

5. *Pono*. Professos Quatuor Votorum (qui sunt primæ Classis ex quatuor, qui sunt in Societate iuxta §. 8. c. 1. ex: Et sunt in Societate præcipui p. 5. c. 1. L. A. §. 4. & ex quibus solis eligi possunt Generalis Assistentes, & Admonitor ex For. Cong. Gener. n. 78. & 86. prouinciales, ac præpositi Domorum professarum p. 8. c. 3. §. 1. L. A. addita interpretatione Cong. 3. Dec. 21. & quoque illi, qui per se ad Congregationem Generalem cum suffragio actiuo & passiuo accedunt iuxta p. 5. c. 1. L. A. §. 4. & P. 8. c. 3. L. A. & c. 6. L. B. & For. Congr. Prouinc. n. 32. Imò illi etiam, qui Procuratores tertio quoque anno ad Generalem veniunt ex eadem Form. n. 35.) emittere post tria consueta solemnia vota quartum solemne Summo Pontifici, quod talibus verbis concipiunt ex p. 5. c. 3. §. 3. *Insuper Promitto Specialem Obedientiam Summo Pontifici circa Missiones pro vt in eisdem Litteris Apostolicis & constitutionibus continetur.* Per hoc autem Votum Professus quoad effectum Missionum non manet sui iuris nec propriæ Religionis, sed tanquam seruus Pontificis, & ita vt in ordine ad Missiones, quiquid efficiat illi obligationi repugnans, inualidum sit. Tenetur autem Professus, si id iubeat Pontifex, vel Generalis, siue quiuis alius eius nomine.

P. Ire

P.• Ire ſiue ad Turcas, ſiue ad quoſcumque alios Infideles, etiam in partibus quas Indias vocant exiſtentes; Siue ad quoſcumque Hæreticos ſeù Schiſmaticos, ſeù etiam ad quoſuis Fideles; Ac permanere inter illos; & exercere actiones & Miniſteria propterque quę iubentur huiuſmodi itinera ac Reſidentię in Locis ad quos mittuntur.

Suar. t. 4. de Relig. tr. 10. l. 6. c. 4. a. n. 4. Sanch. lib. 6. Mor. c. 18. n. 5.

2. Ire ac reſidere vbique locorum nullo expectato aut petito Viatico à Pontifice ſuſtentari enim debent ſi Viaticum vel neceſſaria ad Victum Veſtitumque dum permanent in talibus locis non prębeat Pontifex, ſuſtentari piorum eleemoſinis iuxta Paupertatem, quam profitentur.

3. Ire ſine vlla tergiuerſatione aut excuſatione, voluntatis ſcilicet non rationis, & quę includat abſolutum Decretum non eundi.

4. Parere Pontifici, etiam ſi Pontifex non mittat ad aliquem locum, ſed ſolùm pręcipiat, vt in loco in quo degit, exerceat aliquod Miniſterium ſpirituale ex ijs, quę Societas circa proximos exercere ſolet: Quod ſi dubium inciderit, an tale Miniſterium hoc loco & tempore pertineat ad Profectum Animarum, vel ſolum ad temporalem & ciuilem vtilitatem proximorum, eius rei Iudicium penes Pontificem futurum eſt.

5. Nullum prorſus, ſi ita iuſſerit Pontifex Summus, habere certum Domicilium, ſed hùc, illùcque diſcurrere, ac extra Societatis Domos, ſi oportuerit, diuturno tempore habitare, eò quòd ad Animarum bonum id expedire poſſit.

6. Nec non etiam recedere à loco in quo degit, ſi Pontifex reuocet ab eo loco, vbi non eſt vtilis, & fortaſſe impedit alios, vel etiam nocet Proximis: imo & non concedere in aliquem locum ſi ratio prohibitionis ſit vtilitas Animarum.

Hoc autem peculiare Societatis votum tenetur Generalis ex p. 7. c. 1. §. 8. cum Nouus Chriſti Vicarius in Apoſtolica Sede fuerit conſtitutus, per ſe vel per alium intra annum ab Eius creatione, & coronatione eius Sanctitati declarare. Ad Pontificem quidem primo & principaliter Miſſiones pertinere dicuntur p. 7. c. 1. §. 1. cui quoque Societas proprium ſenſum ac voluntatē ſubieciſſe ibidem affirmatur *ſ.* 2. Imo §. 35. c. 4. Exam. & p. 4. Proem. L. A. dicitur Societatis ſcopus eſſe preſto ad omnes Miſſiones Pontificis & p. 4. c. 2. §. 4. L. B. dicuntur Profeſſi propter hoc nō habere ſtabilem Habitationem, ideoque ibidem etiam ſtatuit S. Ignatius in Domibus, vel Eccleſijs Societatis Profeſſæ omnino non eſſe admittendas curas Animarum, nec obligationes ad Miſſas Celebrandas, neque alias huiuſmodi, *Quia* inquit, *Societas profeſſa, quoad eius fieri poteſt, expedita ad Sedis Apoſtolicæ Miſſiones obeundas, aliaque opera ad Dei obſequium, & Animarum auxilium eſſe debet.* Legitur autem integrum Caput Primum p. 7. de *Miſſionibus Summi Pontificis.*

6. Pono.

6. *Pono*. Etiam cæteros omnes, qui non sunt professi teneri obedire Pontifici (licet non cum ijsdem circumstantijs cum quibus tenentur professi) iubenti Missiones; si enim p. 9. c. 3. §. 9. potest Generalis
Sanchez l. 6. Mor. c. 18. n. 45. mittere omnes sibi subditos, siue professionem emiserint siue nō emiserint (quos mittendos iudicauerit) ad quaslibet Mundi partes, ad quoduis tempus vel definitum vel indefinitum pro vt Ei videbitur, ad quamuis actionem ex ijs, quibus vti ad proximorum auxilium So-
In Bull. 211 cietas solet, exercendam: Multo magis id imperare poterit Pontifex. Et vniuersaliter quidem Greg. XIII. in Bulla 16 dixit: *Cum dictæ Societatis, ac Disciplinæ Alumni, nullis Ecclesiæ, nullisue loco certo Mancipati sint, vt ibi permaneant, sed veluti Viatores omni tempore parati, expectãtesque diem, & horam, qua vel ad extremas Orbis Regiones, cum venit vsus emittantur; Vbi quisque pro captu suo, & iuxta datam à Domino Sapientiam Se se in Vinea Domini excolenda exerceat* &c. Et in
c. 215. Bulla 17. dixit, *etiam gratiæ Societatis vocationis proprium esse diuersa loca EX ROMANI PONTIFICIS, ac Præpositi Generalis eiusdem Societatis directione peragrare; Vitamque in quauis Mundi Parte agere, vbi laboriosam eorum operam, & Industriam fructuosam copiosiores saluandarum Animarum prouentus ad Dei æterni gloriam con-*
c. 214. *sequi posse speratur*. Similia habet in sequenti Bulla. S. Ignatius quoque in Ex p. 3. c. 2. L. G. & p. 6. c. 3. §. 5. docuit societatis vocationis esse diuersa Loca peragrare & vitã agere in quauis Mundi plaga, vbi maius Dei obsequium & animarum auxilium speratur. Hinc Clemens VIII.
Refert Suar. t. 4. de Rel. tr. 10. l. 1. c. 7. n. 5. Anno 1600. alloquens Patres ex Vniuersa Societate Romæ congregatos dicitur Societatem Iesu appellasse Brachium Dexterum Ecclesiæ, siue Sedis Apostolicæ, causa scilicet Missionum, ad quas omnes quidem, sed professos maximè, mittere & obligare potest. Vtinam hoc Brachium nunquam vel leuiter armetur contra Ecclesiæ Corpus, vel ipsius CAPVT.

7. *Pono*. Vbi S. Ignatius p. 1. c. 3. Quinque Impedimenta essentialia recensuit (quæ irritant Vota simplicia, & quamcumque sequen-
c. 443. & 444. tem professionem in Societate, vt Cong. 7. Dec. 42. declarauit) Et ibidem l. G. dixit in illis nec Societatem ipsam dispensare posse; hæc subdere: *Sed si cerneretur aliquod ex his impedimentis in homine, qui talibus Dei donis ornatus esset, vt pro certo haberetur, Societatem ad Dei, & Domini Nostri obsequium eius opera admodum iuuari posse, SI ILLE SVMMO PONTIFICI, VEL EIVS NVNTIO, VEL SVMMO POENITENTIARIO supplicaret sibi concedi, vt in Societatem non obstantibus Constitutionibus admitti posset, Præposito eius Generali non repugnante: posset idem Præpositus Consensum ad eum admittendum præstare* &c. & p. 4 c. 3. §. 1. L. A. ita scriptum eumdem S. Fund. reliquisse. *Quando aliquis factus esset idoneus à CHRISTI VICARIO, vt in aliqua Domo Societatis manere possit, etiam idoneus esse*

intelli-

intelligetur, vt in Collegijs habitet. Et p.4.c.8.§.2. Sic scribere; *Cerimonijs eisdem omnis Societas* (in dicenda scilicet Missa) *quantum fieri potest vtatur: In quibus vsum Romanum, vt magis vniuersalem, & quem peculiari quadam ratione SEDES APOSTOLICA AMPLEXA EST, quantum patietur Regionum varietas*, sequetur. In Formula etiam à s. Ignatio Paulo 3. ac Iulio 3. proposita habetur; Quod socij omnes quicumque in sacris fuerint teneantur ad dicendum Officium secundum Ecclesiæ Ritum, siue iuxta vsum Romanæ Ecclesiæ, vt Greg. XIII. in Bulla 2. habet, præterea idem s. Fund. p. 10. §. 11. L. B. ait; *In primis conseruetur Beneuolentia SEDIS APOSTOLICAE CVI, PECVLIARITER, INSERVIRE DEBET SOCIETAS.* Ex his à s. Ignatio pronuntiatis apertè colligitur; tùm quanti ipse fecerit auctoritatem Pontificis, Sedisque Apostolicæ beneuolentiam ac Romanæ Ecclesiæ Ritus; verum etiam quanto in prætio hæc esse debeant apud socios, quibus Leges conscripsit. c. 14. 67. & 136.

8. *Pono*. In Bulla Canonizationis s. Ignatij edita ab Vrbano VIII. Anno 1623. Die 6. Augusti haberi, Quod *Societas Iesu* à s. Ignatio fundata *Romani Pontificis Potestati tuendæ ex Instituto se totam impendit*, & quod s. Ignatium prælegerit Dominus vere, *Vt eorum Dux foret, qui sui in terris Vicarij Auctoritatem defenderent.* Quomodo autem Pontificis Potestatem, & auctoritatem illi dicerentur defendere si apud complures eam passim modò conarentur eneruare: vel prædicarent quidem potestatem Pontificiam in reliquos ordines Regulares; minuerent autem illam, dum sermo foret de Legibus ipsius societatis, de Priuilegijs eidem à sede Apostolica concessis &c.? factis quidem hi potiùs Oppugnatores Pontificiæ Potestatis dicendi forent; quo nomine ne vnquam appellentur, auertat omnino Deus. Si socij vbi illis aliquid imperat Pontifex, obsequentes se illi præbeant; re ipsa se defensores pontificiæ potestatis exhibebunt. c. 32. & 329.

9. *Pono*. S. Ignatium Romano Pontifici, ita fuisse presto, vt ad ipsius Nutum se se paratum exhiberet, confecta iam ætate, vnius baculi adminiculo (verba sunt Maff. in Vita Ignatij lib. 3. c. 7.) pedibus quocumque opus esset, peregrè proficisci, vel etiam Nauigium ascendere plane exarmatum, seque eodem Pontifice iubente, Mari, Ventisque sine vlla dubitatione committere. Quem ipsius animum Vir quidam Primarius cùm haud satis probaret, & in eiusmodi re consilium, prudentiamque requireret, *Prudentiam quidem non Obedientis, verùm Imperantis esse*, respondit.

10. *Pono*. Si sancti Xauerij erga Episcopos, eorumque Vicarios venerationem, & obedientia adeò insignem fuisse, vt Diuinum in eis Numen venerans ex illorum auctoritate, licet Apostolicus in Indijs Nuntius, sua munia obire gestiret, eisdemque prorsus omnibus in rebus dicto audiens esset, idemque cæteros e Societate facere iuberet à

nostris hominibus (sic scribit Tursel.lib.6. Vitæ Xauer.c.8.) *Obedientiæ in Præpositos Ecclesiasticos prodendum exemplum dictitans:* imò & venerabundus eorum osculari solitus fuisse manus, & interdum ad eorum genua se prostrauisse dicitur: Et si in Lusitania, Indiaque incredibile dictu est, quàm libenti prolixoque animo exequeretur quæcumque illi per litteras præcepisset Ignatius; Quam venerationem, obedientiamque exhibuisset Pontifici eiusque dictis, & quàm sollicitè curasset, vt in huiusmodi veneratione, & obedientia cæteris omnibus Documentum præberent Socij! Xauerius certè, vbi à Pontifice Paulo 3. S. Ignatij hortatu ad disseminandum in vastissimis Orientalium Indiarum Regionibus verbum Dei electus fuit, vix expectato die tam longinquum, laboriosumque Iter, nec accepto Viatico, suscepit.

Orland.to.1. Hist.l.2.n. 88.

11. *Pono.* Primos Patres soc. Iesu hoc habuisse præcipue in votis, vt obedirent summo Pontifici, in ijs potissimum, quæ ad salutem animarum conducerent. Hinc Anno 1534. die Assumptionis B.V. nouerunt, vt facta à Pontifici Potestate Religionis propagandæ gratia Hierosolymam peterent, ibique neglectis vitæ, Capitisque periculis, seu in iuuandis, confirmandisque Christianis, seu in alliciendis, vocandisque Saracenis ad Christum ad mortem vsque manerent. Quod tamen Votum ita omnium consensione temperatum est, vt cuncti quidem Hierosolymam nauigarent, ibique rem Diuina Maiestati nouis precibus commendarent. Cæterum si hæc tum de Hierosolymis permanendo sententia pluribus arrideret, oblata Diuinitus arriperetur occasio: namquæ melior, quæue propior offerri posset? Sin autem in contrariam sententiam plures irent, tum Romam omnes illico se referrent, & ad Pontificis strati Genua suam vltro operam ad animarum causas eius arbitratu, nutuque deferrent, nulla interposita loci, temporisque pactione. Denique si Venetias appulsis nullus in Palæstinam aditus pateficret; tamen nauigationis opportunitatem, adhuc Anni curriculum expectarent; qua desperata tum demum Peregrinationis se voto liberos intelligerent, & ad Romanũ Pontificem in eius futuri potestate redirent. Quare Anno 1537 à Paulo Tertio potestatem nauigandi Hierosolymam supplices postularunt impetraruntq; Cùm autem illis nauigatio in Palestinam interdicta esset Venetijs, Romam reuersi omnes cum Ignatio suam operam ad Apostolicas præcipuè Functiones, citra speciosa tamen honorum vocabula, & dignitates, obtulerunt.

Orland.to.1. Hist. Soc. n. 91.

Mr Orland. lib.2.n.10.& 32.

Et hi quidem primi Patres Pontificum nutui semper se obsequentissimos præbuerunt, vt videre est præcipue in primo societatis Historiarum tomo: Imò voluerunt, vt omnes ipsorum successores peculiariter ; gnoscerent se sub Pontificis obedientia militare, nam in Formula Instituti primò ab ipsis Paulo Tertio proposita hæc habentur. *Sciant omnes Socij, & non solùm in primis Professionis suæ Foribus, sed*

quoad

quoad vixerint, quotidie animo volvant, Societatem hanc Vniversam, & singulos sub Sanctissimi Nostri Papæ, & aliorum Romanorum Pontificum successorum eius Fideli Obedientia Deo militare. Et quamuis Euangelio doceamur, & Fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter profiteamur, omnes Christi Fideles Romano Pontifici, tanquam Capiti, ac Iesu Christi Vicario subesse; ad maiorem tamen Societatis Humilitatem, ac perfectam vniuscuiusque mortificationem, & voluntatem nostrarum abnegationem summopere conducere iudicauimus &c. In Formula autem proposita Iulio Tertio à S. Ignatio hæc postrema verba ita leguntur. *OB DEVOTIONEM TAMEN MAIOREM AD OBEDIENTIAM SEDIS APOSTOLICAE, & maiorem voluntatum nostrarum abnegationem, & certiorem S. Spiritus directionem summopere conducere iudicauimus* &c. Et initium Formulæ primò propositæ ita se habet. *Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus vult sub Crucis Vexillo Deo militare, & soli Domino, atque ROMANO PONTIFICI EIVS IN TERRIS VICARIO SERVIRE* &c. nec dissimile est initium Formulæ secundò propositæ. *Quicumque in Societate nostra quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis Vexillo Deo militare, & soli Domino, ac Ecclesiæ ipsius sposæ sub ROMANO PONTIFICE, Christi in Terris Vicario seruire* &c. In Bull. c. 10. In Bull. c. 63 In Bull. c. 9. In Bull. c. 60

12. *Tono*. Hanc ergo sûm uin Pontificem venerat onem obedientiamque non extinctam fuisse in societate, vbi S. Ignatius e viuis sublatus est; Nam cum Paulus Quartus Anno 1558. per Cardinalem Neapolitanum iussisset Constitutionibus addi, vt præpositi Generalis potestas haud vltra tres Annos esset si tamen eumdem refici præpositum simul adhuc non decernerent illi, qui in Congregatione Generali Ius suffragij habent, & sacerdotalis psalmodia in Choro institueretur; Iacobus Laynius electus Generalis nomine omnium Patrũ tũnc Romæ Congregatorum respondit, societatem obedituram, & tametsi præscriberentur ea (ita loquitur Sacch. T. 2. Hist. Soc. Anno 1558. lib. 2. n. 62. 63) quibus disciplina societatis magna parte euerteretur, inauditisque Patribus pro Imperio, & Potestate præscriberentur, non solùm nunquam vox Maiestate illa sancta summi Pontificis minus digna ex ore Laynij excidit, verum etiam cum in priuata consuetudine paulò quidam commotius conquereretur; Laynius ex Instituto laudare Pontificem aggressus, & enumerare quam multa, quantique momenti, ad Ecclesiæ restituendos mores sanctissimos instituerit, eo id sensu animi fecit, vt pudore querulus ille in præsens suffunderetur, ac cæterorum nemo postea auderet, vel coram, vel absente præposito, verbum super ea re inconsideratius fundere. *Atque ita* (subdit idem Historicus) *prorsus decet: si iuste dissentis, resque ad te pertinet; consulto precibus Deo acriter quidem, ac strenuè pro Dei maiore gloria, vt superiorem Potestatem edoceas, vigila, stude, connitere: Sique nihil*

 obtineas,

obtineas, tùm fretus vidente omnia, & regente Numine, in eius prouidentia acquiesce: Salua tamen semper verecundia sit: Salua religiosa submissio. Parce ori. Silentium, ac spes, vt Isaias iubet, sit Fortitudo tua. Quæ cum Præsidum sint partes, multo intolerabilius fit, si inferiores, ad quos nihil, præterquam simplex obsequium spectat, petulanter linguas audeant in sanctos Domini soluere, quorum & à iudicandis factis debuerant abstinere. A pijssimis quidem huius Generalis, qui socius S. Ignatij, eiusque successor fuit in regenda societate monitis, & ab aliorum Patrum tùnc viuentium moribus etiam abessent Socij, si modo passim, & maxime in Romana Vrbe, detraherent Pontifici aliquid statuenti circa ipsos etiam minoris momenti, quam duo allata de Choro, ac de Generalatus Triennio; & si id coram superioribus facerent, superioresque non solùm molesta sibi esse huiusmodi dicta præseferrent, verùm etiã hilari illa exciperent vultu. Quid si præirent subditis suis exemplo?

13. *Tono*. Tres Congregationes Generales obedientiæ erga pontificem argumenta dedisse fatis commendanda. Nam.

P.º Cum Congregationem Primam Paulus Quartus per Cardinalem Tranensem iussisset de perpetuitate Generalis cogitare, & omnes nemine discrepante iudicasset, multò côueniẽtius esse societati, vt præpositus quamdiù viueret, non mutaretur, in fine tamen Epistolę hac de re ad eundem pontificem omnium nomine subscriptę hęc verba repofuerunt. *Quamuis autem hæc ita sint, Obedientiæ Filij sumus, & quidem paratissimi ad ea omnia præstanda, quæ Vestra Sanctitas imperabit. Quia verò fieri potest, vt de nostro iudicio certior fieri Vestra Sanctitas fortasse velit, illud hic infra subscripsimus, humiliter qualecumque id est, iudicio V. S. subijcientes.* Et Chorus quidem haberi cepit in Romana Domo eodem Anno 1568. die s. Michaelis (Anno vero 1566. ineunte iam s. Ignatius iusserat diebus Dominicis sacrum ac Vespertinas Preces in eodem professorum Templo cum Cantu peragi) sicuti & in Olisiponensi Domo; In Collegijs autem Dominicis Festisque diebus Missę & Vespertinę preces cantari cepte.

Sacch. t. 2. Hist. lib. 2. n. 57. et in dec. 47 Cong. 2. c. 45. & 46.

Sacch eodem lib. n. 84.

Orland. to. 1. Hist. initio l. 16.

2. Cum Clementis Octaui eam esse voluntatem per Cardinalem Toletum significatam P. Claudius Aquauiua Congregationi Quintæ Anno 1594. Romæ coactę exposuisset, vt *post sequens sexennium cogeretur denuo Congregatio Generalis, ac propterea fieret mutatio trium Assistentium;* Congregatio censuit, quoad Generalem quidem Congregationem post sequens sexennium celebrandam attinet, sine recusatione obtemperandum esse; & nihilominus rationes summa cum humilitate & Reuerentia offerendas, quibus Cõgregationis sensus hac de re contineretur: De Assistentium autem mutatione voluntatem summi pontificis, tãquam Obedientię Filijs, omni, qua par est, promptitudine, & submissione amplectendam; Humiliter tamen, ac reuerenter cum eius sanctitate agendum esse, illique proponendas ratio-

Dec. 73. & 74. c. 332. & 333.

nes, ac

nes, ac ſeriò ſupplicandum, vt illa mutatio non fieret, cum pręſertim Conſtitutionibus aduerſaretur, ac nulla eius faciendę mutationis cauſa extare cerneretur, & grauia inde incommoda ſequi neceſse eſſet. Cum autem duo Patres nomine Congregationis acturi de his ad Pontificem deſtinati fuiſsent, nec tamen acceſſiſſent, Pontifexque perſtans in sententia, vt illa duo executioni mandarentur omnino, mandaſſet; Congregatio acquieuit, & obtemperandum eſset annuit. Eadem pręterea Congregatio reuerenter audiuit illa, quę Idem Clemens Octauus per eumdem Cardinalem Toletum illi ſignificauerat, *Dec. 64. n. 317. & 318* vt executioni mandarentur, & debita cum ſubmiſſione, obedientia, atque animorum promptitudiue amplexa eſt, *vt ſcilicet Prouinciales, atq; Rectores, exceptis his,* qui *ſunt in Domibus Nouitiorum, non durarent vltra Triennium ſed vacarent ſaltem per Annum, in quo obedirent, ſicut cæteri;* Et *vt Prouinciales viſitarentur, & de ſuo Officio redderent rationem, ſiue per Viſitatorem, ſiue per Prouincialem ſucceſſorem.*

3. Cum idem Pater Claudius Anno 1608. Congregationi ſextę Generali eam eſse voluntatē Pauli Quinti ſignificaſſet, vt fieret omnium Aſſiſtentium mutatio; *Dec. 4. 10 & 14. c. 341. 349. & 350.* Licet Pontificis voluntas, qua par eſt Reuerentia videretur ab omnibus tanquam obedientię Filijs amplectenda, cum res tamen grauiſſima iudicaretur, tùm quia Conſtitutionibus aduerſaretur, tùm quia nulla eius mutationis faciendę cauſa cerneretur & grauia inde ſequi incommoda poſſe timeretur; Cenſuit Cōgregatio deſignandos Patris Generalis iuditio Patres, qui cum eodem P. Generali, cum primum commodè poſſet, rei momentum, & communem Congregationis ſenſum ſuæ ſanctitati cum omni humilitate proponerent, Rogarentque in primis, vt ſocietatis Vniuerſæ illa de re mentem ſecretis ſuffragijs exquiri permitteret, ſic tamen vt ſuæ ſanctitatis nihilominus poſtea iuditio acquieſceret. Adijt P. Generalis cum ſex alijs Patribus ſummum Pontificē, variaſque rationes attulit, quibus Aſſiſtentium mutationem ſocietati valde incommodam fore oſtendit: Sed Pontifex benignè quidem audiuit, perſtitit tamen in propoſito, cum aſſereret ſe præſentium quidem Aſſiſtentium ad id perſonarum ratione non moueri; ſed Societatis tamen bonum & Dei obſequium ſpectare. Quare gratum ſibi futurum, ſi hoc ei crederent Patres, & ipſius iuditio ac voluntati acquieſcerent: Propter hæc ſecuta eſt nouorum quinque Aſſiſtentium electio. Et merito quidem Paulus Quintus exegit ab illis Patribus, vt ipſius iuditio ac voluntati acquieſcerent, nam ipſimet ſocietatis ſuperiores à ſibi ſubditis in voluntate ac iudicio, cum eo quod volunt &, iudicant ſuperiores, ſi manifeſtè non appareat peccatum, conformitatem etiam requirunt Et certe ſi Congregationum Generalium Patres, quæ circa ſocietatem ſtatuerēt Pontifices quoad executionem amplecterentur quidem; ſed non iudicium, ac voluntatem Pontificum iudicio, ac voluntati conformarent,

& mul-

& multò magis si inter se priuatim ea decreta nullatenus salutaria esse passim affirmarent, & obloquerentur contra Pontifices, vel à superioribus non reprehenderentur socij, qui talia dictitarēt, à primorum eorum Patrum, qui in prima Congregatione conuenerunt, moribus recederent. Hoc certè si vnquam euenisset, à primæuo spiritu degenerasse societatem, socijs iam innotuisset. Ab eorum etiam Patrum simplicitate viderentur recedere Patres, qui venturi essent, vel iam venissent ad Congregationem Generalem, si suspicantes, quod aliquid Pontifex iussurus esset contrarium Constitutionibus Societatis (licet re vera quod est in bonum societatis non potest esse contrarium ipsius Soc. Constitutionibus) consilia inirent, quo modo possent subterfugere, ne Pontifex id præciperet, ad id varias tergiuersationes, variasque artes excogitando, rationes apparentes afferendo, aliquas vere leuissimas mirificè amplificando, curando vt antecedentur præoccuparetur ab aliquibus, quos cognoscerent habere auctoritatem apud Pontificem, illi etiam quandoque timorem incutiendo, ne hoc moliatur, eo quod fieri possit, vt ipsimet Socij minus in posterum Pontificiam Auctoritatem tueantur &c. Hos certè talia molientes ad subterfugien a Pontificia præcepta, iure merito pontifices nonne degeneres primorum Patrum Filios appellare possent?

14. *Pono*. Dum Patres Congregationum Generalium, & Generalis ipse exactissimam Pontifici exiberent Obedientiam nihil facturos, quod ab eorum Constitutionibus non præciperetur nam ex p. 8. c. 1. §. 3. *Qui primas in societate tenent, in virtute Obedientiæ b no sui exemplo alijs pralucere debent, vniti omninò cum suo superiore, & promptè, humiliter* & *deuotè ei obediendo.* Et p. 4. c. 10. §. 8. Hæc habentur expresse. *Illud in Vniuersum admonuisse conuenit, eos, qui curam aliorum suæ Obedientiæ Subditorum habent, præire eisdem exemplo Obedientiæ, quam suis Superioribus Christi loco ipsimet præstent, oportere.* Et vniuersaliter quidem ad *progressum in virtutibus faciendum multum conferre Antiquiorum exemplum*, quo *reliqui ad eorum imitationem animentur* dicitur p. 3. c. 1 §. 19. & hoc etiam exemplum pertinere præcipuè ad Generalem asseritur p. 9. c. 6. §. 1. L. A. & inter qualitates Generalis eadem p. c. 2. §. 2. secundo loco hanc reponit S. Ignatius. *Vir sit, cuius in omni virtutum genere exemplum Reliquos de Societate iuuet*. Tenebitur ergo Generalis peculiariter iuuare cæteros de Societate exemplo Obedientiæ erga Pontificem, & multo magis Congregatio Generalis, quæ est Superior Generali p. 10. §. 8.

15. *Pono*. In Epistola de Obedientia hæc à S. Ignatio reponi quidem n. 19. *Hac tamen idcirco vetamus, si quid forte vobis occurrat à Superioris sententia diuersum, idque vobis (consulto supplicuer Domino) exponendum uideatur, quo minus id ad Superiorem referre possitis. Verum in hac re ne Vos amor vestri, iudiciumque decipiat, illa cautio est adhibenda;*

benda; vt animo sitis, & ante, & post relationem æquissimo, non solùm quod pertinet ad eam rem, de qua agitur, vel suscipiendam, vel deponendam; sed etiam ad approbandum, rectiusque putandum quidquid superiori placuerit. Attamen id videtur potiùs permissio quædam: Et Perfectius obedientiæ specimen dedissent Patres Cong. 5. & 6. si statim non afferendo rationes (sic censent nonnulli) quæ possent persuadere pontifici, vt non iuberet mutationem Assistentium illi eam suadenti statim obtemperassent; iuxta enim Const. p. 4. c. 10. §. 5. subditi debent liberam sui ipsorum, rerumque suarum dispositionem cum vera obedientia superiori relinquere, nō repugnando, non contradicendo, *nec vlla ratione iuditium proprium ipsius iudicio contrarium demonstrando*. Certè primæ Congregationis Patres non nisi rogatos sententiam suam de perpetuitate Generalis protulisse contra id quod præcognouerat sentire Paulum Quartum, nec attulisse rationes ad amouēdum Pontificem illum à præcipiendo Choro in Societate legitur: Et tamen illa Duo videntur magis repugnare Constitutionibus, quam mutatio Assistentium, nam p. 9. est integrum caput primum, *quod Præpositum Generalem, & quidem perpetuum, dum vixerit, esse oporteat*; Et in formula Instituti Paulo Tertio, & Iulio Tertio proposita clare exponitur, *quod Socij omnes teneātur, si sint in sacris, priuatim, & non communiter, vel in Choro ad dicendum Officium secundum communem Ecclesiæ Ritum*; cuius rei rationes afferuntur p. 6. c. 3. §. 4. In Bull. c. 14. & 67.

16. *Pono*. Teneri superiores operam adhibere, vt ea quæ imperantur à Pontifice circa Missiones maximè Felicem sortiantur exitum: Ita enim p. 7. c. 1. §. 5 legitur *Eumdem* (hoc est Missum à Pontifice) *etiam superior iuuare consilijs ac Instructionibus, quoad eius fieri poterit curabit; vt in omnibus ad Dei, & SEDIS APOSTOLICÆ OBSEQVIVM*, vtilius suum impendat ministerium. Et L. G. *Superior etiam aliquibus documentis adhibitis, non solum in suis, sed etiam SVMMI PONTIFICIS MISSIONIBVS iuuare poterit; vt meliùs, quod ad Christi Domini nostri obsequium queritur, consequatur.* Quid si fieret, vt superiores non modò non iuuarent consilijs, instructionibus, siue documentis eos, qui mitterentur à Summo Pontifice, vel ab aliqua Congregatione nomine Pontificis, imò potiùs artes aliquas adhiberent, ne hi possent cum laude obire Prouinciam, quam Mandato Pontificis susceperunt? & hoc ea de causa, ne Pontifex, vel alij eorum Regimini se immiscerent; sed omnia, quæ pertinent ad socios, a societatis superioribus vellent omnino dependentia.

17. *Pono*. Hanc venerationem ac obedientiam Sedi Apostolicæ, eiusque defensionem postremis hisce Annis commendasse patrem Mutium Vniuersæ Societati; audierat enim forsan apud multos inualuisse opinionem, quod socij in hoc à primo societatis spiritu defecissent. Nam in Epistola Anno soc. centesimo data, vbi societatem Cœlum,

Cœlum, sed infimum appellasset, hortatusque esset inter cætera, vt se subiectum alijs Religiosis Cœtibus cōseruaret, cum hi sint, veluti Cœli superiores, hæc subdit. *Ma sopra ogni cosa, conseruandosi sempre concentrico, e dipendente dal supremo, e primo suo mobile, ch'è la Chiesa Santa, & al CAPO DI ESSA IN TERRA: à piedi del quale fù da Ignatio con particolar catena di voto strettissimo, saldamente legato, e riuerentemente consagrato. Et intendiamo, che la Compagnia quanto più fortemente & vnitamente si manterà diuota, allegata, & annessa, conforme al suo debito à QVESTA SANTA SEDE CON OSSERVARLA, DIFENDERLA, ET VBIDIRLA ESATTAMENTE, come lo ricordo, e con tutto lo spirito lo raccomandò à ciascuno; Tanto più sarà sicura da ogni pericolo di caduta, ò d'insulto, e participerà di quel grand' Elogio, PORTAE INFERI NON PRAEVALEBVNT ADVERSVS EAM.* Itaque si in maiori prætio Socij incepisent habere præcepta, siue Ordinationes Superiorum quorumcumque suorum, quam statuta Pontificium; si maiori amore, ac interna reuerentia prosequerentur superiores suos, quam Pontifices; si cùm maiori energia eorum; quæ fiunt, vel dicuntur à superioribus suis, quam eorum quæ fiunt, vel dicuntur à summis Pontificibus, patrocinium susciperent; si obloquerentur contra Pontifices, si eorum potestatem, ac auctoritatem eneruare contenderent; si minùs illis se obsequentes demonstrarent re ipsa &c. quidni Portæ Inferi aduersus societatem ex sententia huius postremi Generalis præualere incepisent?

18. *Vono.* Societatem Iesu, non solum à Paulo 3. approbatam fuisse, tanquam veram Religionem cum facultate etiam, priùs personas sexaginta tantum, & postea quosuis idoneos admittendi; verū etiam societati concessam fuisse potestatem Iurisdictionis, quæ suprema ordinariè residet in Generali: cui communicatur, vel immediatè à Pontifice posita illius electione facta à Congregatione Generali; vel mediatè ad eodem Pontifice, immediatè vero à Congregatione Generali eligente, cui concessit Pontifex talem potestatem. Quocumque ex his modo habeat ordinariè hanc supremam potestatem, illam semper habet à Pontifice. Et Paulus quidem Tertius Anno 1549. inter cætera concessit societati, *vt Præpositus Generalis pro tempore existens, cum primum iuxta Constitutiones Societatis in illius Præpositum electus fuerit, eo ipso verus ipsius Religionis Generalis Præpositus, cum libera, generali, & omnimoda cura, & administratione omnium, & singulorum ad fœlix Regimen, & prosperam directionem dictæ Societatis spectantium & pertinentium, fit, & esse censeatur; ac suum Præpositi Officium in omnibus exercere incipiat, ac plenam in Vniuersos eiusdem societatis socios, & Personas sub eius obedientia degentes vbilibet commorantes etiam exemptos, etiam quascumque facultates habentes, suam Iurisdictionem*

[Margin notes: c. 43. — In Bull. Bull. Prima c. 16. & Bull. 2. c. 21. & 22. — In Bull. Bull. 6. c. 37.]

ctionem exerceat &c. Postea vero illi concedit, vt possit per se, vel per alios omnes suos absoluere, & circa Irregulares dispensare, nisi sint casus enormes iuxta Bullam Xisti Quarti, & quod possit Apostatas, & insolentes penis tùm spiritualibus, tùm corporalibus coercere &c. In Bull. 1. & 41.
Exemit Societatem quoque, illiusque vniuersos socios, & personas, ac bona quæcumque ab omni superioritate, correctione, atque iurisdictione quorumcumque ordinariorum. Concessit vlterius, quod quilibet ex socijs societatis proprio præposito, vel ab eo deputato, seu deputatis, & alijs secundum ordinationes societatis designatis confiteri debeat &c. Ex quibus apparet in vtroque Foro Iurisdictionem ab hoc Pontifice eo maximè Anno concessam fuisse societati, eiusque nominatim præposito Generali: Cui illud etiam indulsit, vt *suos quocumque locorum etiam inter infideles, cum expedire in Domino iudicabit, mittere, & reuocare, & per IPSUM, AC SUCCESSORES SUOS ad locum aliquem Missos sine temporis certi limitatione, cum id expedire ad Dei gloriam, & animarum auxilium visum erit, ad alia loca trasmittere liberè, & licitè valeat; Qui, vbicumque morari contingat, ad NUTUM SUUM, ET ROMANI PONTIFICIS pro tempore existentis, ad SEDEM APOSTOLICAM, seu quò oportuerit, & sibi per dictam Sedem iniunctum fuerit, iuxta ipsius Societatis Professionem, venire debeant.* De hoc Indulto specialis mentio fit p. 9. c. 3. §. 9. l. G. & iuxta hæc p. 7. c. 2. §. 1. reposuit S. Ignatius, cui viuenti talem facultatem concessit Paulus Tertius. *Præpositi Societatis iuxta facultatem eis à summo Pontifice concessam mittere quosuis de societate poterunt* (etiam in Indias, & inter Infideles vt explicatur l. c.) *quocumque magis expedire iudicabunt*: Qui tamen *vbicumque fuerint AD OBEDIENTIAM SEDIS APOSTOLICAE PARATI ERUNT*: Et primam quidem, & summam obedientiam *summo Pontifici in Missionibus Societatis deberi* affirmat explicitè infra idem S. Fundator c. 3. in fine §. 1. In Bull. c. 41. In Bull. c. 41

19. *Pono*. Inter actus supremæ Iurisdictionis Paulum Tertium concessisse Societati, vt Constitutiones, siue leges condere posset. Et in prima quidem Bulla Instituti confirmatiua approbauit id, quod in Formula Instituti illi exponebatur; *Qui quidem præpositus de consilio consociorum Constitutiones ad constructionem huius propositi nobis finis conducentes, in consilio condendi auctoritatem habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente*: Et versus finem illius Bullæ hæc subdit; *Eis nihilominus concedentes quod particulares inter eos constitutiones, quas ad Societatis huiusmodi finem, & Iesu Christi Domini Nostri gloriam, ac Proximi vtilitatem conformes esse iudicauerint, condere liberè, & licitè valeant*. In secunda autem Bulla, qua dedit facultatem quosuis Idoneos ad Societatem sine restrictione numeri admittendi, concessit hoc nominatim; *Quòd particulares inter eos con-* In Bull. 1. n. 10. c. 16.

D stitutio-

ſtitutiones, quas ad societatis huiuſmodi finem, & Ieſu Chriſti Do-
In Bull. c. 22 *mini N. gloriam, ac proximi vtilitatem conformes eſſe iudicauerint, condere; & tam hactenus factas, quàm in poſterum faciendas Conſtitutiones ipſas, iuxta locorum ac temporum, ac rerum qualitatem, & varietatem mutare, alterare, ſeu in totum caſſare; & alias de nouo condere poſſint, & valeant; Quæ poſtquam mutatæ, alteratæ, ſeu de nouo conditæ fuerint, eo ipſo Apoſtolica auctoritate præfata confirmatæ cenſeantur.* Et in Bulla
In Bull. c. 51 poſtrema eiuſdem Pontificis hoc etiam repoſitum videtur, quod *Generalis poſſit quæcumque ſtatuta, & ordinationes neceſſaria facere, illaque poſtquam facta fuerint, mutare, alterare, ac illis addere, & detrahere.* Ex his apertè colligitur multò magis poſſe Pontificem condere aliquas Conſtitutiones, ſiue Leges ſpectantes ad Regimen Societatis, poſſe abrogare iam conditas, vel illis derogare.

20. *Pono.* Pontificem ex triplici capite ſaltem poſſe talem abrogationem, vel derogationem Societatis conſtitutionibus facere.

P.° Quatenus eſt ſupremus Legiſlator vniuerſalis Eccleſiæ, & à cuius conſenſu ſaltem tacito habent auctoritatem ferendi Leges cæteri Eccleſiaſtici Legiſlatores: Et quatenus quidem eſt Legiſlator vniuerſalis Eccleſiæ Romanus pontifex, ſicuti poteſt ferre Leges ad finem ſupernaturalem ſpectantes totam obligātes Eccleſiam; ſic poteſt etiam abrogare illas omnes, quæ bono vniuerſali Eccleſiæ aduerſari, vel minùs expedire iudicauerit. Cum autem bonum, malumque partis ſit bonum malumque etiam totius; ſi Pontifex leges Societatis ipſi Societati minùs commodas, atque vtiles deprehenderit, poterit illas abrogare, & ex poteſtate quidem illa vniuerſali.

2. Quatenus eſt ſupremus Generalis omnium Religionum, à quo dependenter iuxta communem planè Theologorum ſententiam Religionum prælati quicumque habuerunt iuriſdictionem, quam modò in ſibi ſubiectos habent, ac nominatim poteſtatem ferēdi Leges; Hæc autem Iuriſdictio in conſeruari quoque dependet à Pontifice, & ita, vt ſi ſuſpendat concurſum, quem præſtat per conſenſum ſuum tacitum ſaltem ad conſeruandam talem legem, illico virtus, ſiue obligatio talis legis ceſſet.

3. Quatenus peculiari nomine eſt Generalis ſocietatis, cui peculiariter obedire tenetur Societas, quæ ab ipſo poteſtatem leges condendi, alterandi, abrogandi, aliaſque ſubrogandi explicitè accepit.

21. *Pono.* Ex allato triplici capite poſſe etiam pontificem diſpenſare in conſtitutionibus ſocietatis: Et certè ſi licet Generali in Regulis, Ordinationibus, Decretis, imò & ipſis Conſtitutionibus diſpenſa-
In 1. Regul. 13. 74. & 94. re ex p. 9. c. 3. §. 8. quæ etiam id permittunt inferioribus prælatis, ibi L. D. & nominatim Rectori p. 4. c. 10. L. B. reponiturque expreſsè hæc facultas in Reg. 7. prouinc. in Reg. 12. præp. & in Reg. 10. Rec. An non magis id licuerit pontifici, qui in hoc etiam iuxta ipſius ſocietatis

Conſti-

Constitutiones (quas tamen non tenebitur attendere) tenebitur solùm finem earundem constitutionum intueri, qui alius non est, quàm maius Dei obsequium, & eorum bonũ, qui illud viuendi Institutum sequuntur vt dicitur eo §. 8. c. 3. p. 8. Non solum autem poterit Pontifex licitè ex aliqua rationabili causa dispensare in Constitutionibus; verum etiam in Votis ipsis simplicibus, quæ emittunt Scholastici peracto biennio Nouitiatus, id enim præstabãt tempore S. Ignatij Nuncij Apostolici: Quod perspicuè innotescit ex Dec. 142. Cong. 1. quod ita se habet. *An expediret petere à summo Pontifice, vt Nuncij Apostolici non possint dispensare in Votis simplicibus Societatis, saltem quæ post biennium emittuntur.* RESPONSVM EST PETENDVM VIDERI: *vsum tamen eius gratiæ, si obtineatur, penes Præpositum fore.* Dispensare quoque poterit Pontifex ex aliqua rationabili causa (quam non necesse est pertinere ad publicam Ecclesiæ vtilitatem siue commune bonum, sicuti necesse esse communior sententia fert in Dispensatione Votorum solemnium, quæ emittunt professi cuiusq; Religionis) in Votis quinque simplicibus, quæ emittunt professi, siue quatuor, siue trium Votorum in Societate; neque enim hæc sunt constitutiua status Religiosi; neque sunt Vota solemnia; ac præterea neque ita perficiunt professum, vt antequam illa emittat non possit dici simpliciter, absolutè, ac perfectè, propriéque professus Societatis; alioquin ante Diem 25. Augusti Anni 1558. nullus fuisset in Societate simpliciter, & absolutè professus: nam eo die tantùm à prandio vt habetur Dec. 102. Cong. 1. & t. 2. Hist. lib. 2. n. . . . . . professi, qui intererant Congregationi, ac iam elegerant Generalem Laynium, variaque Decreta condiderant, illa quinque Vota emiserunt; Sanctusque Ignatius plures ipsemet admisisse ad professionem legitur, qui tamen post professionem non emiserunt Vota illa, nec ipsemet S. Ignatius dicitur in eius Vita illa emisisse: Imò ex ipsa Formula horum Votorum apertè videtur colligi, illa emittentem esse simpliciter, & absolutè, propriéque professum. Hinc aliqui docuerunt, si Pontifex in aliquo Iubilæo det facultatem commutandi, vel dispensandi in Votis, exceptis Votis Religionis, & Castitatis, cum hæc quinque Vota professorum Societatis ad nullum ex his membris simpliciter reducantur, posse à Confessario electo fieri commutationem, vel dispensationem in illis; maximè cum Gratiæ, quæ concedi solent in Bulla Iubilæi, vt potè beneficia Summi Principis quę solùm certis, rarisque temporibus conferuntur, ex communiori Theologorum sententia sint latissimè interpretandæ. potest autem ferri, vel esse peculiaris Lex Pontificia, quæ vetet, nec Iubilæi causa, fieri posse commutationem, vel dispensationem in hisce Votis vel in aliquo saltem eorum. Illud videtur certum facta commutatione, vel dispensatione à Pontifice ex causa spectante ad priuatum bonum vnius, vel plurium personarum in Voto v. g. Tertio,

c. 7. 2.

Sanch. lib. 5. Mo. c. 4. n. 4.

n. 74.

quod emittit Soc. professus, *se nunquam curaturum, prætensurumue extra Societatem Prælationem aliquam, uel Dignitatem; nec consensurum in sui electionem, quantum in ipso fuerit, nisi coactum obedientia eius, qui ipsi præcipere potest sub pœna peccati*: posse tunc pontificem simpliciter offerre Dignitatem, vel prælationem professo Societatis eodem prorsus modo, quo potest eam offerre professo cuiuslibet alterius Religionis in qua tale Votum simplex nullatenus emittatur; Nec non præterea posse professum tunc acceptare eam Dignitatē, vel prælationem, etiamsi non præcipiat, sed solùm offerat pontifex illam: imo nec peccare contra Votum, si talem Dignitatem, vel prælationem procuret; supponitur enim per Dispensationem sublata obligatio talis Voti.

Ex formula Votorum simplicium, quæ post Professionem emittuntur reposita in fine li. Const. p. 367.

AN VERO posfit pontifex irritare, tanquam supremus Generalis omnium Religionum, ac nominatim Societatis, talia Vota, aliqui dubitant; Asseruntque videri, ex Francisco Suarez colligi id posse Pontificem: nam ipse solùm, ait, *ESSE VALDE PROBABILE, quod non possit Pontifex irritare, tanquam supremus Generalis Votum primum simplex, quod Professi emittunt*, se nunquam acturos quacumque ratione, vel consensuros, vt quæ ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur &c.

Suar. t. 4. de Rel. tr. 10. li. 6. c. 6. n. 14.

12. *Pono*. Cùm omnis potestas, siue Dominatiua, siue Iurisdictionis, eminentiori, ac perfectiori modo sit in pontifice, quam in quibuslibet prælatis Societatis, non solum diuisim, verùm etiam collectim acceptis; posse pontificem, tanquam supremum Generalem societatis præstare ea omnia, quæ fiunt, fierique possunt ab illis. Hinc poterit admittere aliquos in societatem; pœnas, quæ statutæ iam essent à superioribus contra aliquos, moderari; eximere ab obedientia etiam Generalis aliquos; instituere Prouinciales, ac Visitatores; admittere ad professionem etiam quatuor Votorum illos, qui non habent omnes conditiones requisitas à Constitutionibus; aliquos dimittere à societate soluendo illos Votis simplicibus ex rationabili aliqua causa, quæ ipsi quoque tantum innotuerit; si enim id potest Generalis, qui non vult accusari à sibi subditis, cum ipse aliquem e societate dimittit nulli re, vel causa communicata; an non pontifici id magis concedendum? nec temere, & sine causa id gestum esse multò minus erit asserendum. Certè esset mirabile, quod Generalis posset fine peccato aliquem dimittere; Pontifex verò dimittens peccato se obstringeret. Imò possunt pontifici occurrere aliquæ causæ, quas non necesse erit Generali manifestare, quæ licitam reddant alicuius dimissionem e Societate absque consensu Generalis. poterit etiam pontifex professis quoque dare facultatem, vt ad quamlibet Religionem emittentem tria Religionis Vota simpliciter substantialia, qualis est Religio Equitum Hierosolymitanorum (præter alias Religiones, quæ Hospitalariæ dicuntur) transitum habeant; id enim quoque in rigore potest

Ex c. 13. Ord. Gener. n. 7. &c. 78.

Ex Bulla

potest condere Generalis, maximè attento priuilegio Gregorij 13.
Anno 1582. die 22. Septembris concessi, & hoc ob bonum quoq; particulare
ipsius professi. Poterit etiam Pontifex subdere professos aliquos
obedientiæ aliquorum Episcoporum, siue Ordinariorum, qui
eos regant tanquam Delegati ipsius Pontificis, eiusque vicemgerentes.
Poterit etiam facultatem Generali concedere dispensandi in aliquibus
Constitutionibus; Eidem enim Congregationes Generales *Cong. 5. dec. 36. c. 188.*
concesserunt facultatem dispensandi in §. 4. c. 3. p. 6. quoad inductionem,
Retentionem, modum, & qualitatem cantus in Ecclesijs societatis,
& dispensandi in §. 6. c. 2. p. 4. vbi dicitur non esse admittendas *Eadem Con. dec. 25. c. 182*
eleemosinas, imò nec vlla Dona oblata admittenda in ijs Collegijs,
quæ duodecim scholasticos præter præceptores alere possunt &c. Poterit
Generali demere facultatem dispensandi in aliquibus constitutionibus,
vel etiam Decretis congregationum Generalium; Hæ enim *Cong. 5. dec. 12. 39. 52. & 53.*
aliquādo eam facultatem ademerunt Generali. Poterit quoque coarctare
Generalis auctoritatem sicuti potest Congregatio Generalis, *c. 281. 291. 3141 & 315*
quæ est supra Generalem p. 10. §. 8. & de facto eam coarctauit. Potest *Cong. 7. dec. 27. 81. 8. c. 613*
punire Generalem, si suum munus non rectè administret, imò & illum
amouere ab officio, & etiam dimittere à societate id enim potest societas
ipsa, p. 9. c. 4. §. 7. illique Vicarium substituere, si fuerit valde
senex, inutilisque ad munus illud cum laude obeundum, vel valde remissus,
siue valde negligens in rebus alicuius momenti, id enim potest
quoque societas p. 9. c. 4. §. 6. & c. 5. §. 6. imò poterit Pontifex teneri
ad huiusmodi subrogationem, sicuti etiam ad coarctandam Generalis
potestatem, si videat societatem remissam, esse ac negligentem
in subrogatione Vicarij, & in diminuenda auctoritate Generalis,
quam experientia docuisset multum detrimenti publico attulisse bono.
Poterit præterea iubere, ne Generalis sibi post mortem substituat
Vicarium Generalem, licet id cōcedant Constit. p. 8. c. 4. §. 1. eas enim
in hac parte ad praxim non reuocarunt quatuor primi Generales societatis.
Poterit denique Pontifex, vt supremus Generalis societatis,
præstare ea omnia, quæ Generali conceduntur p. 9. c. 3.

23. *Pono*. ex Francisco Suarez, *posse decursu temporis rem ad eum
statum deuenire*, in quo ad maius commune bonum vel Religionis, *Suar. to. 4. de Rel. tr. 10. l. 6. c. 8. n. 11.*
vel Ecclesiæ expediat vt Domus societatis professæ habeant redditus
in cōmuni, vel simile quid: in quo casu cessabit obligatio voti, quod
emittunt professi nunquam se acturos quacumque ratione, vel consensuros
vt, quæ ordinata sunt circa paupertatem in Constitutionibus
societatis immutentur, nisi quando ex causa iusta rerum exigentium
videretur paupertas restringenda magis, quod aliqui aiunt comprehendere
tantum eam paupertatem, quæ pertinet ad Domos, & Ecclesias
professorum, idque asserunt se colligere ex p. 6. c. 2. §. 1. L. A. *In* *Sanch. lib. 6. Mo. c. 28. n. 8*
hoc autem casu (inquit Suarez) *cessat obligatio huius Voti, quia Votum*

potest esse tantùm de meliori bono, & ideo non potest esse impeditiuum maioris boni: Est enim conditio Generalis in omni Voto, quod eius obligatio cesset, quando eius materia ita mutata est vt seruari non possit sine impedimento maioris boni. Addit Suarez; *Quando huius rei veritas, & necessitas non possit certò, & euidenter cognosci, dubitatio, & rationes eius proponendæ erunt Pontifici, vt ipse statuat, quod toti Religioni melius esse iudicauerit.* Hoc si verum est in hoc voto; multò magis verum esse poterit in aliquibus alijs societatis Legibus: potest enim euenire, vt aliquæ leges ampliùs socios non obligent, quia temporis decursu apparuit, quod earum materia, licet secundum se honesta esset, ac valdè laudabilis, propter varietatem temporum, ac personarum reddita fuerit minùs opportuna, imò & noxia bono quoque ipsius societatis. Peculiariter autem euenire potest, vt aliquæ Leges, quæ dùm pauci essent in societate, ijque ad normam Constitutionum admissi ac probati, salutares reuera essent; possint verò, vel potuerint afferre grauissima societati mirum in modum amplificatæ incommoda; nam supponere potuerunt, siue possunt non vulgarem perfectionem in ijs, qui eas obseruare debent, hæc autem non vulgaris perfectio apud paucos in tanto sociorum numero viguerit, vel vigeat. Patere præterea experientia potest, multas Leges speculatiuè esse valdè salubres, practicè verò non salutares, & præterea ipsam multitudinem Legum esse valdè damnosam, & saltem nimium subditis onerosam; ac denique nec posse moraliter superiores ipsos obseruare Leges ipsorum proprias saltem plures, adeoque nec subditos teneri Legibus nonnullis, quæ in tantum rationabiles sunt, in quantum supponitur superiores aliquas Leges ipsis impositas obseruare, cum nec subditi videantur se obligasse ad obseruantiam Legum nonnullarum, quæ subditorum: propriæ sunt, nisi pro certo habuissent etiam superiores seruaturos leges, quæ ad ipsos spectant. Propter hæc, & similia ipsamet Ecclesia consueuit abrogare aliquando tacitè, aliquando expressè Leges secundum se Sanctissimas quoque; ac Pontifices ipsi derogant, vel abrogant non rarò Constitutiones à Prædecessoribus etiam sanctissimis, & ex sanctissimo Zelo promulgatas; imò & quandoque ipsemet Pontifex moderatur etiam Legem à se latam, quam etiam aliquando tacitè cõsentit abrogari eo quod præter id, quod existimarat, multa hinc oriri incommoda, vel plura importari incommoda, quam commoda, eamque in Animarum perniciem vergere experientia ipsum doceat; Nec potest esse quiuis adeò prudens, vt omnia præcognoscat futura. Hinc quando a socijs in congregatione Generali coactis dubitaretur, *An aliquæ Constitutiones,* Legesque abrogandæ essent, vel temperandæ; opportunè facerent, si *dubitationes, earumque rationes circa huiusmodi Constitutiones, ac Leges proponerent Pontifici,* vt ipse certò statueret, quod toti societati melius esse iudicaret. Immo quando ipse Pontifex

ibi à Pijs, prudentibusque Viris e Societate intelligeret aliquas Leges ex habita experientia potiùs esse noxias, quàm proficuas bono communi, posset illas suamet auctoritate abrogare, tanquam supremus societatis Generalis, aliasque de nouo condere; immo posset teneri ad hoc, maximè quando cognosceret eos, ad quos propriè in societate spectat detrimenta boni communis habere perspecta, eorumque euellere radices, de hoc non laborare, & nolle abrogari aliquas Leges eo tantùm nomine, quod à S. Ignatio fuerint editæ, in libris iam reperiantur descriptæ, illis adhæserint nascentis, & adultæ societatis Patres &c. præstare id poterit etiam Pontifex, si cognoscat superiores, ex quibus constare solent maxima ex parte societatis Congregationes, nolle discutere, An aliquę Leges, quę ad ipsos spectant, sint abrogandę vel temperandę; aut licet id discutiant, afferanturque rationes valde efficaces ad hoc, vt illę abrogandę, vel temperandę sint, nolle tamen ad id consensum pręstare, eo quod velint subditos dispoticè gubernare; cum vero consensum vltro prębere, dum agitur de nouis imponendis Legibus subditis. Immo teneri poterit Pontifex, si certo nouerit aliquas Leges nimiam auctoritatem in subditos elargiri, alias verò nimis premere subditorum animos sub obedientię iugo, quod voluntariè susceptum est, illas abrogare, vel temperare, etiamsi reclament superiores, immo & ipsę Congregationes Generales.

24. *Pono*. Franciscus Suarez, vbi proposuit obiectionem circa pręceptum, quod imponeret Pontifex, vt Domus professę societatis haberent redditus in communi; quod scilicet non tenerentur Religiosi societatis obedire, quia hoc esset contra Regulam; RESPONDERE, *materiam illam esse capacem Pracepti Pontificis, vt Pontifex est, si supponamus hic & nunc prudenter indicari talem paupertatem esse nociuam, vel impeditiuam maioris boni talis Religionis in ordine ad finem sibi præstitutum; nam licet profiteri, aut non profiteri paupertatem absolutè loquendo non sit materia Præcepti, sed Consilij, supposita tamen Professione Religionis seruare in eo statu hunc, vel illum modum paupertatis potest esse materia Præcepti Pontificij, quia potest esse medium moraliter necessarium ad commune bonum talis status à Pontifice in Ecclesia approbati, sicuti: posset Pontifex à principio approbare talem Religionem cum hoc modo paupertatis, & non cùm strictiori, vel laxiori, & à fortiori posset prohibere, ne quis talem statum profiteretur, nisi sub tali paupertate, vt per se constat. Ita ergo postquam semel approbauit Religionem cum vno genere paupertatis potest mutatis temporibus illam approbationem reuocare, vel mutare, prout expedire censuerit, & consequenter prohibere, ne deinceps quis talem statum profiteatur, nisi sub tali paupertate. Tenebitur ergo Religio parere huiusmodi Præcepto, quod iustum præsumitur, quamdiù oppositum euidens non est, manatque à summo Pontifice, quatenus talis est, quia ad illum sub hac ratione spectat Religionum Instituta ap-* Suar. t. 4. de Rel. tr. 10. li. 6. c. 6. n. 13.

tuta ap-

stuta approbare, vel mutare; (Continetque in virtute illud Praeceptum, vel Dispensationem Voti, vel Declarationem quòd cum talibus circumstantijs non obliget. Immo supposita hac declaratione, vel manifesto fundamento eius posset Summus Pontifex etiam vt supremus Pralatus Religionum illam mutationem facere, & sub obedientię virtute pręcipere, quia non esset contra Votum, nec propriè contra Regulam sed esset rationabilis mutatio Regulæ ad meliorem totius Regulæ obseruationem ordinata. Hactenus Suarez: Cuius ex professo agentis de Voto, quod circa paupertatem emittunt societatis professi Doctrina diligenter attendenda est; Ex ea enim deducuntur complura spectantia ad auctoritatem, siue potestatem, quam habet Romanus pontifex in societatem Iesu, etiamsi ageretur de substantialibus Instituti: Et si talem potestatem Pontifici cōcedere iure merito debemus iuxta principia Suarez (quo nemo exactius, & copiosius egit de ijs, quę pertinent ad societatis Institutum) in illis quę pertinent ad Votum illud, quod emittunt Professi ad paupertatis (vt scribit Gregorius 13. in litteris Apostolicis datis
In Bul.c.228 Anno 1584 die 16. Iulij, quibus de nouo confirmat Institutum Societatis) quæ Regularis Instituti murus est, & propugnaculū, perfectionem tuendam; multò magis eam admittere debemus in alijs momēti lenioris, & nominatim in abrogandis, vel temperandis nonnullis legibus spectantibus, tùm ad superiores, tùm ad subditos; vidētur enim posse faciliùs hæ admittere mutationes opportunas, nec circa materias tanti ponderis versari solent; Vnde prudentissimè Paulus Tertius Anno 1543. Die 13. Martij dum concessit S. Ignatio, eiusque Socijs Potestatem condendi constitutiones, concessit etiam, *vt iuxta locorum*
In Bul.c.21 *& temporum, & rerum qualitatem, & varietatem mutare, alterare seù in totum caßare, & alias de nouo cōdere possent, & valerent*: Et possunt modo cōgregationes Generales nō solùm agere de Constitutionibus, quæ pertinent ad substantialia Instituti, An scilicet aliquæ ex illis abrogandæ sint, ac deinde petere abrogationem earum à Pontifice, verum etiam talium Congregationum Patres ex auctoritate ipsis concessa à Constitutionibus, & Pontificibus Potestatem habent illas abrogandi. Quidni id possit quoque Pontifex, vt supremus societatis Generalis? Quod enim substantiales Instituti Societatis non possint
c.32.& 111 immutari, nec de illis in Congregationibus Generalibus agere, vllus queat, est decretum tantummodò Cong. 1. dec. 16. & Cong. 2. dec. 6.

25. Pono. Multa quidem, & amplissima Priuilegia à nonnullis
Ib Bul.c.22 Summis Pontificibus concessa fuisse societati Iesu (quæ recensentur, tum in Libro Bullarum, tum in Libro Priuilegiorum) & inter cæteros maximè à Paulo Tertio, & Gregorio Decimotertio. Circa quæ Priuilegia, animaduertere licet.

P.° Paulum Tertium in fine Bullæ 3. qua Socijs varias facultates concessit, sic habere: *Sic igitur, Filij, bis vobis concessis facultatibus ad*

Omni-

Omnipotentis Dei honorem, & animarum salutem efficaciter, sicque diligenter vti studeatis, quòd per sollicitudinis vestræ solertiam, Catholicæ pietatis fructus proueniant; vosque exinde apud Deum, & homines non immerito commendemini. Quæ verba tacitè haberi ab alijs Pontificibus, dum alia societati Priuilegia concesserunt, vel antiqua confirmarunt, credibile est, & S. quidem Ignatius p. 10. §. 12. voluit, vt in vsu gratiarum per Sedem Apostolicam concessarum, quem monuit debere esse moderatum, & prudentem, solum auxilij animarum finem sincerissimè sibi proponerent socij.

2. Nullum ex Priuilegijs fuisse concessum societati ex contractu oneroso; & dubium etiam esse, an intercesserit etiam contractus remuneratorius; nam vt priuilegium sit remuneratorium, non sufficit, quod in concessione fiat mentio meritorum personæ, cui conceditur illud Priuilegium, sed necesse est, vt concedens tanquam causam finalem intendat eo priuilegio compensare merita alterius, & redimere se ab obligatione, quam haberet, compensationis est. Præterea dato etiam, quod multa Priuilegia fuerint concessa ex contract. remuneratorio, Pontifex ex iusta causa ad publicum maximè bonum Ecclesiæ spectante illa reuocare potest, etiam sine vlla obligatione ex iustitia ad compensationem; & hoc maximè, si remuneratio fuerit excessiua. *Suar. de Leg. lib. 7. c. 4. n. 8* *Suar. de Leg. l. 8. c. 37. n. 6.*

3. Priuilegij amissionem per se, & ex natura rei consequi, cum ratio, & fundamentum priuilegij per abusum tollitur, siue cum Priuilegij vsus fini, ob quem illud obtentum est, directè repugnat: aliquando verò illud amitti propter reuocationem factam à Pontifice, qui ea reuocare potest, imò & ad id teneri poterit aliquando, cum quis ex priuilegio sumit occasionem peccandi; cum quis præsumit maiorem potestatem, quàm concessa sit; & cum talia sunt demerita, vt ipsius priuilegij concessi abrogatione videantur punienda. Nostrum non est examinare, an per se socij de facto amiserint aliqua Priuilegia, debeat Pontifex alia reuocare &c. *Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 24. Tann. disp. 5. de Leg. q. 7. dub. 3. n. 39*

4. Priuilegia Gratuita consistentia in facultate, vel licentia faciendi aliquid præter, vel contra Ius commune, posse reuocari à Pontifice sine causa saltem cogente, aut necessitatem inducente: & si reuocentur, nullam deberi compensationem; neque enim ad hanc videtur voluisse obligare se Pontifex: Pro cuius concessione qualibet illud maximè tenendum est à socijs, quod affertur à Sanchez, *Quod præsumitur actus ita gestus, vt minus, quantum fieri potest, sit operanti onerosus:* ac præterea, *Quod quilibet Pontifex parem habet cum prædecessoribus potestatem* &c. *Suar. de Leg. l. 8. c. 37. n. 10* *Sanch. lib 6. Mor. c. 18. n. n. 48.*

Pars Secunda

In qua ponuntur multa Circa quæ in Societatem Iesu exerceri queat Pontificis Potestas.

1. *Petes, an Pontifex possit subijcere Religiosos Soc. Iesu ordinarijs locorum?*

RESPONDEO *affirmatiuè*: sic enim quoque ante 18. Octobris Anni 1549. fuisse videntur sub ordinariorum iurisdictione; solùm enim tunc Paulus 3. videtur Societati hanc concessisse exemptionem, quæ non est admittenda, vt pote repugnans Iuri Communi, nisi verbis Pontificum expressis innotescat. Pontifex quidem hic eo die, ac Anno ipsam *Societatem*, & *Vniuersos illius Socios, & Personas, illorumque bona quæcumque ab omni Superioritate iurisdictione, correctione quorumcumque Ordinariorum exemit, ac liberauit, & sub Apostolicæ Sedis protectione suscepit.* Hanc exemptionem confirmauit Greg. 13. Anno 1584. die 10. Septembris addens, *neminem ex Religiosis sub prædictæ Societatis obedientia degentem à quibusuis quacumque Ecclesiastica, vel sæculari dignitate, seu auctoritate fungentibus, etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, vel alij Antistites, & Prælati, nec non Synodi, Communitates, & Capitula quæcumque, aut Officij hereticæ prauitatis Inquisitores, ac Commissarij, vel Iudices, tam ipsius Officij, quocumque illi nomine, quam alij ordinarij, vel delegati, vel etiam Imperator, Reges, & alij sæculares Principes ad quoduis munus, Officium, vel exercitium obeundum, etiam prætextu, quod alij ibi non inueniantur, à quibus adiuuari possint, absque expresso sui Superioris consensu, ac etiam mandato destinari, adigi, vel cogi posse* &c. Vsum tamen huius priuilegij peculiaris concessi à Greg. 13. P. Claudius interdixit in Hispania per litteras patentes 20. Martij Anno 1589. datas. Cum autem anno 1596. petitum fuisset, nomine Regiæ Maiestatis Catholicæ à Congregatione Quinta, & id ipsum sua auctoritate firmaret, annuit sic dicens. *Quoniam Societas, suis Priuilegijs ad ædificationem, & diuinum tantum obsequium vti cupit, & sancto illi Tribunali, vt par est, plurimum deferre, prædictas patentes litteras præsenti Decreto confirmat, præcipiens, atque interdicens, ne quis nostrorum in illis Regnis, alijsque Dominijs illi Tribunali subiectis priuilegio illo, quod ad prædictum sanctum Officium pertinet, quoquomodo vti, aut illo se tueri vllatenus præsumat. Imò omnes facultatem eo vtendi sibi prorsus sublatam esse intelligat, ac si priuilegium ipsum à Sede Apostolica nunquam impetratum esset. Quin potius omnes nostros in huiusmodi Regnis existentes seriò, & grauiter hortatur* &c.

In Bull. c. 42

In Bull. c. 243.

Dec. 21. c. 287.

Propter

Poſtea verò eadem Congregatio fecit huiuſmodi Decretum, vt *Sancti Officij Miniſterio, ad quod aſſumere volent Inquiſitores ex noſtris, liberius, & dignius præſtetur obſequium; tum etiam vt ambitionis inter ipſos noſtros aditus præcludatur, placuit Congregationi omnibus noſtris in Regno Hiſpaniæ*, alijſque *Dominijs illi Tribunali ſubiectis, præcipere ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ, ne quiſquam per ſe, vel per alium præſumat procurare, vel ambire officia Conſultoris, & Qualificatoris, ſed ſincerè, ac religioſè illius Sancti Tribunalis iuſſis obediant* &c. Dec. 28. & 190. & 191.

Cum autem in dubium reuocatum fuiſſet, An Socij, qui tantùm tria vota ſimplicia emiſiſſent, eſſent Ordinariorum Iuriſdictioni ſubditi? declarauit Greg. 13. anno 1584. die 16. Iulij, eos teneri obedire ſuis præpoſitis in omnibus, & per omnia, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectos, & quorumuis Ordinariorum, & Relegatorum, ſeu aliorum Iudicum Iuriſdictione omnino exemptos, pro vt etiam ipſe Greg. illarum litterarum vigore exemit. In B. c. 237. & 287.

Rationes autem, quæ poſſent mouere Pontificem ad iterum Vniuerſam Societatem ſubijciendam ordinariorum iuriſdictioni, hæ peculiariter recenſeri queunt.

P.° Si cognoſceretur non poſſe alioquin, vel ſaltem non adeo facile Sociorum potentiam, & auctoritatem, quæ in Eccleſiæ damnum vergeret, deprimi, vel minui, certè leuiori negocio Pontifex id præſtare poſſet ſi vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi in eam minuendam conſpirarent: Libentiſſimè autem Ordinarij ſaltem plerique de huiuſmodi ſubiectione gauderent: Imò eo ipſo quod Societas fieret ſubiecta Ordinarijs, iam eſſet diminuta ipſius potentia, & auctoritas, &c.

2. Si non moderatè, & prudenter priuilegijs, vel gratijs à Sede Apoſtolica conceſſis vteretur Societas ſolius auxilij animarum fine ſinceriſſimè ſibi propoſito, vt dicitur p. 10. §. 2. ſiue ad ædificationem, ac diuinum tantùm obſequium, vt dicit Cong. 5. Dec. 21. Aiebat autem S. Ignatius, *priuilegiorum præſidia tùm demum in animorum cura peraliter adhiberi, cum ad eos ita iuuandos voluntas proximi Paſtoris accederet; cumque ea de cauſa ab Apoſtolica Sede tribuantur, vt eo facilius animis conſulatur, niſi ex eorum vſu hæc ad animos deriuetur vtilitas, imò potius retardetur, quo Paſtores non conſentiant, ſatiùs eſſe ea omnino non adhibere, quam contra eorum nutum abhibendis ſua ſpe, ac labore fruſtrari.* Sic habet. *Orland.* 11. Hiſt. Societ. Ieſu n. 62. qui antea ſcripſit S. Ignatium in cauſa mota inter Ioanem Liliceum Toletanum Antiſtitem, & Socios iuſſiſſe, ne quem in poſterum Societas eo inuito reciperet, & ne eodem non approbante, maximéque conſentiente ſuis Priuilegijs, ac Immunitatibus vteretur &c. c. 287.

3. Si verbis, vel factis viderentur contemnere, aut in paruo prçcio habere Ordinariorum Poteſtatẽ, & Auctoritatem; nec imitari conaren-

tur S. Xauerium, qui vbi Goam peruenit (vt habet Tursellinus initio c.2.lib.2.Vitæ Xauerij) optimè noscens inter Episcopos, & alios Curatores Ecclesiasticos, si vtrique summo Iure agant, nec de suo remittant iure, facilè controuersias, & contentiones oriri non minore damno, quam offensione Populorum, Ioannem Alburquerciumе Franciscana Familia Episcopum Goanum adijt, eique comiter simul, ac reuerenter salutato demonstrauit, se Pauli Tertij Pontificis Maximi, & Ioannis Tertij Lusitaniæ Regis missu venisse in Indiam, vt Ethnicos ad Christi Fidem adduceret, Neophitos, ac Lusitanos ad Christianam erudiret pietatem: cæterum parere magis, quam imperare assuetum alieno Arbitrio vti malle, quam suo: *Proinde se in Episcopi Indici Potestatem futurum, nihilque facturum prorsus, nisi ex ipsius sententia, ac voluntate: Tū Pontificijs Regijsq; Prælatis Apostolicæ suæ Legationis Testibus* ad eius pedes prouolutum ea omnia illi tradidisse, ne secus vteretur, quam Episcopo visum foret. Idem quoque Tursell. lib. 6. c. 8. scripsit, præcipuam Francisci venerationem in Ecclesiæ Præpositos fuisse, & eos quasi Dei faciem præferentes Diuino propemodum honore coluisse, ideoque venerabundum eorum osculari solitum fuisse manus, & interdum ad eorum genua se prostrauisse. Nec solum Episcopis, verum etiam eorum Vicarijs, multam venerationem exhiberi à Socijs iubebat; vnde inter monita, quæ ipse reliquit Paulo Camerti Goani Collegij Rectori constituto hoc præ ceteris legitur apud eundem Tursell. eodem lib.6.c.12. *Aduersus Episcopi Vicarium egregiam semper adhibebis Reuerentiam, Obedientiamque. Quocirca simul atque Oppidum, vbi Is versatur, attigeris, protinus eius genibus aduolutus de more osculaberis manum. Inde petes, vt tibi Potestatem faciat concionandi, audiēdi Cōfessiones, cæteraque pietatis munera obeundi: NEC VNQVAM TE AB EO QVANTVLACVNQUE OFFENSIO ALIENABIT &c.* Imò controuersiarum inter Socios, ac Cœnobitas arbitrum sumendum esse Episcopum, qui Concordiæ Auctor quicquid controuersiæ tolleret, sentiebat, vt habetur eodem Libro c. 16. vbi scribitur quoque Xauerium monuisse, vt contentiones, & certamina pro suggestu cum alijs Concionatoribus, maximè cum Episcopis Vicarijs prorsus vitarentur, quamuis iustæ causæ certaminum, multaque ac magna incidissent; ex talibus enim contention ibus, non solum Dei, populique offensionem oriri, sed etiam certantium perturbationem, cultusque Diuini diminutionem: *Societatis vtique nomen, famamque non certaminibus de dignitate sua, sed conatibus in Diuina gloria augenda niti oportere. Proinde non obtrectatione, & superbia cum alijs, sed comitate, & demissione certandum esse, omnique tendendum ope, ne dignitatis æmulatio cuiquam nos infestos, inuisosque faciat:* Quod si quando orta foret controuersia nullum inueniret finem, occultis disceptationibus ad Præpositos Ecclesiasticos potius, quam publi-

publicis ad populum offensionibus rem transigendam &c. Meritò ergo P. Vitellescus in litteris ad vniuersam Societatem datis anno 1617. die 2. Ianuarij inter monita ad vitandas Querimonias hominum communes, *Socios scilicet superbos esse* recensuit hoc, vt *Episcopis, eorumdem Vicarijs, ijs, qui præsunt omnibus, Vnicum illud in hoc genere B. Xauerij exemplar perpetuò contuentes intimam ex animo submissionem, atque obseruantiam deferrent.* Notatur autem hoc in litteris Canonizationis eiusdem Xauerij : *Honores verò, ac laudes hominum adeò horrebat, vt amplissimam Apostolici Nuncij dignitatem, qua instructus in Indias à Summo Pontifice missus fuerat, quam studiosissimè occultaret, nec nisi semel ea potestate (necessitate coactus) vsus fuerit.* Cum ergo non imitarentur Socij S. Xauerium, quem fuisse proximorum salutis studiosissimum eius admirabilia verè facta testantur, vel cæco ; si instructi amplissimis à Pontifice priuilegijs contra Episcoporum, aliorumque ordinariorum voluntatem vti vellent, eaque multis publicarent, vt notum facerent, quam grati ipsi fuerint Pontificibus, qui priuilegia derogantia auctoritati ordinariæ, quam haberent in Socios concesserint non pauca ; nonne his ipsis Ordinarijs iterum meritò subijcerentur. c. 4. 11. In Bu. c. 355 & 356

4. Si Superiores in hoc peculiariter operam non ponerent, vt in Ecclesiarum Præsulibus Socij Diuinum Numen venerantes ex illorum auctoritate sua munera obire gestirent ; nec conciones haberent ad populum, nec Societatis munera obirent, nisi facta ab Episcopo, aut Vicario potestate, neue committerent, vt Præpositi Ecclesiastici his e ministerijs iure offenderentur, nec vnquam ab illis, quamuis iusta oblata causa, se abalienarent. Talis erat sensus eiusdem S. Xauerij, sicut is quoque, *vt Socij peculiariter Obedientiæ in Præpositos Ecclesiasticos præberent exemplum* ; vt habet Tursel. eodem lib. 6. c. 8. qui subdit, *Cum duo Vicarij de Patribus duobus, qui apud eos erant, cum Francisco questi essent per litteras ; protinus ad eos scripsisse, vt extemplo Vicarios adirent, & dexteram eorum suppliciter exosculati peterent veniam, atq; in posterum summæ obseruantiæ significationem præ se ferentes singulis hebdomadis ad eos irent salutandi gratia.* Talem verò, tantam que modestiam, ac submissionem necessariam esse dicebat Xauerius, *cùm ad Diabolum superbiæ Caput debellandum*, tùm verò ad Ecclesiæ Præpositos insigni obsequio promerendos, *vt illis propitijs, ac secundis Christiana res meliùs gereretur.*

5. Si se retraherent Socij ab inseruiendo Episcopis in ijs, quæ sunt vocationis ipsorum, & maximè in missionibus, in quibus tùm pro itinere, tùm pro alimentis eorum multi sumptus faciendi essent ab Episcopis, ideòque Episcopi tacitè cogerentur eorum opera haud vti in missionibus: & tamen Socij sunt Summi Pontificis primum, deinde aliorum Episcoporum serui, & Ministri, vt habet Martinus Olaus in re-

spon-

sponsione ad Doctores Sorbonicos, quæ habetur lib. 15. Hist. Soc. Iesu n. 54. tom. 1.

6. Si conarentur eneruare potestatem Ordinariorum, tum libris, tum voce.

7. Si essent censores eorum, quæ fiunt ab Ordinarijs, eorumque facta, licet cæteroqui laudabilia pro tuenda sua iurisdictione, minus laudarent.

8. Si adhuc vellent absoluere à casibus, qui ab Ordinarijs reseruantur, non facta ab ipsis facultate, talem subiectionem respectu Ordinariorum, quam tum Clemens Octauus, & Paulus Quintus, tum Vrbanus Octauus videntur exegisse ab omnibus planè Regularibus, detrectantes.

9. Si Socij publicè assererent se posse plùs in Foro interiori, quam Episcopos.

10. Si pro alijs starent contra Episcopos minùs sibi propitios, vel plùs alijs quibusdam Regularibus, quam Societati, fauentes.

Petes 2. An possit Pontifex iubere, vt Præpositus Generalis non sit perpetuus in Societate?

Respondeo affirmatiuè. P.° Quia id iussit Paulus Quartus sapientissimus Pontifex anno 1558. & huiusmodi Decretum insertum fuit libro Constitutionum. 2.° Quia hoc non videtur esse vnum e substantialibus Instituti: *tum quia* haud id includitur in formula, seu Regula Societatis Iulio Tertio Summo Pontifici proposita, & ab eo, alijsque eius Successoribus confirmata, & quæ ibi proponuntur sine Generalis perpetuitate videntur posse constare: *tum quia* Prima Congregatio, cum illi exposuisset Cardinalis Tranensis nomine Pauli Quarti vt cogitaret, an Generalis deberet esse perpetuus? Epistola ad summum Pontificem scripta hæc habet. *Cum in Congregatione semel, atque iterum id esset propositum, iudicauimus, multò conuenientius esse nostræ Societati, vt noster Præpositus, quamdiu vixerit, non mutetur.* Vbi notandæ sunt illæ Voces, *multò conuenientius*: non enim dixit Congregatio *conueniens esse nostræ Societati*: & multò minus *necessarium esse nostræ Societati* &c. *Tum quia* Paulus Quintus in Bulla, qua approbat perpetuitatem Generalis, solùm ait, se approbare, & confirmare perpetuitatem Præpositi *Generalis* iamdiu *stabilitam, & in Societate vsu receptam, & solitam, ac ipsum Præpositum ad vitam eligendi vsum, & consuetudinem*; nec vnquam ait id vnum esse ex substantialibus Instituti: cum tamen Greg. 14. in sua Bulla cõfirmatiua Instituti substantialium mentionem fecerit: *tum quia* nunquam hactenus declaratum est, vel à Congregatione Generali, vel à Præposito Generali id esse vnum e substãtialibus, & tamen de hoc agẽdi accessit occasio. 3. Quia Assistentes iuxta Constitutiones deberent esse perpetui, & tamen hi mutati sunt iussu Clem. 8. & Pauli 5. sine Societatis damno. *Rationes autem*

Tom. 2. Hist. Soc. l. 2. n. 51 & 68. — *In dec. 47. Cong. 1. c. 45. & 46.* — *In Bu. 4. § 10* — *In Bu. n. 283* — *Dec. 77. Con. 6. n. 335.*

autem, quæ possent mouere Pontificem ad id iubendum, hæ peculiariter recenseri possent. Dec.14.cm.6.c.350.

P.[a] Si experientia probante Præpositus vergens ad senectutem, siue iam annis grauis non ampliùs gubernaret societatem, sed alijs gubernandam traderet, itaut viderentur Romæ esse quasi plures Generales re ipsa, Prouincialesque instar Generalium esse: Vnde cum vix ferri æquo animo possit, quod Generalis vnus habeat tantam in Societate auctoritatem; multò intolerabilius esset, si plures iam obtinerent quasi totam auctoritatem Generalis: Vel si Generalis ætate grauis iuxta Const. p.9.c.4.§.6.eligeret sibi Vicarium, experientia etiam pateret, eum eligere, qui minus hominibus Societatis esset gratus, qui proportionaliter non esset excultus ijs dotibus, quas requirunt in ipso Generali Const. p.9.c.2. *Vel si* Generalis omnia fermè præstaret aliorum nutu, & eorum maximè, qui ipsi inseruiunt, ita vt horum voluntate se accomodaret in eligendis Prouincialibus, Rectoribus, &c. *Vel si* propter ætatem euaderet valdè remissus in rebus ad ipsius officium pertinentibus, nec vllus ob quandam compassionem illum vrgeret, vel moneret &c. *Vel si* monitus de eligendo sibi Vicario iuxta Const. p.9.c.4.§.6.& c.5.§.6.& L.D. electionem hanc differret vsque ad vltimum ferè spiritum.

2. Si experientia probante Generalis dominaretur non paternè, sed dispoticè contra spiritum Societatis; de quo in Interrogatorio confecto in 3. Congregatione Generali pro electione futura Generalis. c.164.

3. Si experientia probante in amando Socios haud æqualitatem erga omnes seruauisset, sed acceptator fuisset personarum proprias passiones sequens, quæ aliquando sunt in homine sene, & qui parum sibi timet ab alijs viuaciores.

4. Si experientia probante monitus ab Assistentibus, vel ab eo cui Admonitoris munus demandatum est à Generali Congregatione de aliquo defectu, eum corrigere non studuerit, vel ad summum illum tegere solitus fuerit, eo quod pœnæ nulli, nulliusque iudicio se obnoxium esse in Societate cognouerit.

5. Si experientia probante propter ætatem, & auctoritatem sit tenacior proprij iudicij, quam conueniat; & etiamsi Assistentes, vel alij consilia meliora proponant, illis haud adhæreat, ne ipsum Consiliarios se sapientiores habere deprehendatur.

6. Si experientia probante eos tantùm, quos sibi in electione ad Generalatum fauisse nouit, ad præclara munera promouere studuerit: cæteros verò, licet cæteroqui pijssimos, ac prudentissimos Viros, qui sibi non fauerunt, a gubernatione, alijsque Ministerijs speciosis remouerit; eosque in remotas à se Regiones, vel Ciuitates sub specioso, sed fucato colore, ablegarit; adeoque hi aliquando ex mœrore ægritudinem, vel mortem etiam contraxerint, nunquam sperantes se futuros Ge-

ros Generali gratos, imò existimantes superiores sibi fore minùs beneuolos, eo quod hi putent non gratam Generali facturos, si minùs ipsorum Votis annuant.

7. Si experientia probante tantùm illis fauerit, quos in minoribus constitutus, ipse Generalis amauerit; alios verò, quos non norit, vel quos non habuit familiares, non promouerit: Vnde plurium sociorum animi quasi perpetuo confecti fuerint mærore.

8. Si experientia probante illi, qui sunt grati Generali, alios omnes minus sibi beneuolos pessumdare, & non solum perpetuò vexare conarentur, eo quod propter Generalis perpetuitatem ipsi existiment perpetuam apud Eum Auctoritatem se habituros, ne posse hos, quos cruciant, aliquando illis par rependere.

9. Si experientia probante semel inuisus Generali nunquam in eius gratiam redire posset, & alicuius delicti ab aliquo socio commisso memoria adeò tenax foret apud Generalem, vt socio qui emendationis signa exhibuit, vel etiam ob illud pœna affectus est, objiciat illud semper, ideoque socium illum, licet cæteroqui aptissimum, ab omni semper speciofo munere remotum habeat.

10. Si experientia probante plus apud eum posset petitiones, vel litteræ coadiutorum, vtpote in quorum manibus ipsius valetudo posita est, quam petitiones, & litteræ aliorum grauium e societate Virorum, minoremque his, quam illis adhiberet fidem.

11. Si experientia probante, certos e societate Viros in gubernatione detineret semper eo consilio, vt alios e societate, quibus ipsius gubernandi ratio minùs arridet, semper quasi oppressos detineat; & vt eorum opera vtatur ad impediendum ne Congregationes Generales indicantur, quæ exigere possint ab ipso, vt reddat rationem administrati numeris; & hac de causa aliquorum Decretorum, quæ edita sunt a Congregationibus Generalibus, obseruantiæ non studeat &c.

12. Si experientia probante eorum, qui tertio quoque anno Romam veniunt a Congregationibus Prouincialibus missi ea præsertim de causa vt cognoscant certiùs, Patuantque, an Congregatio Generalis conuocanda sit nec ne, animos sibi deuincire conaretur, siue immediatè, siue mediatè promittendo saltem tacitè Prouincialis, vel Rectoris siue Præpositi munera, ad hoc vt nō ferant suffragium pro conuocanda Congregatione Generali: hi autem, facile moueantur ab huiusmodi promisfis, existimantes maximè postea se detinendos perpetuò in Gubernatione aliorum, adeoque in aliquorum minùs sibi beneuolorum depressione.

13. Si experientia probante post aliquot in gubernatione impensos annos Generalis ad quietem aspiraret, ideoque licet non ætate adeò grauis subterfugere conaretur pleraque ad ipsius Officium pertinentia, eaque alijs demandaret, qui liberè ab ipso electi sunt, adeoque societas

cietas

cietas Vniuerſa horum, qui inepti fermè forent ad gubernationem Prouinciæ alicuius, vel Collegij, arbitrio, ac iudicio regeretur.

14. Si experientia probante, viuente Generali omnes Aſſiſtentes electi à Congregatione Generali mortui fuiſſent, ipſeque Generalis ſubſtituiſſet illos, qui, vtpote ab ipſo electi, minùs ſe illi opponere auderent, illiuſque errata excuſare conarentur; nec Societatis cauſam adeò ſincerè, & fideliter tractarent.

15. Si experiētia probāte gubernatio hæc perpetua exoſa redderetur pleriſque Socijs, adeoq; Societas referta eſſet hominibus, qui haud lætam vitam ducerent ſub Obedientiæ iugo &c. Cum enim Generalis poteſtas in ſocietate ſit maxima, & maior quàm in quolibet alterius Religionis Generali ad annum etiam gubernantis, non ſolum videtur hæc minuenda, ne in tyrannidem vergat (non eſt autem facilior hæc diminutio, quam ſi Generalis cognoſcat ſe aliquando pariturum alijs) verùm etiam vt iſtud obedientiæ iugum, cui voluntariè ſe ſocij ſubiecerunt, ſuauius pro viribus reddatur: ſuaue autem redditur, ſi identidem Superiores, etiam præcipui, imò hi maximè, mutentur.

16. Si experientia probante multi eſſent, vel fierent habiles ad illud munus Generalis obeundum, imò aliquando habiliores; & tamen ab eo propter vnius Generalis perpetuitatem remouerentur.

17. Si experientia probante minor euaderet Generalis exiſtimatio apud ſocios; eo quod vbi certam ætatem attigit, quædam præſtet, vel præſtare ab ipſa ætate cogatur, quæ illius exiſtimationem valde eneruent, tùm apud ſocios, tùm apud externos.

18. Si experientia probante cogitationem, & occaſionem ambitionis injiceret perpetuitas Generalis; adeoque cū eligendus eſſet, multi illud munus appeterēt, mediaque ad illud munus aſſequēdum antecedenter adhibuiſſent, gratiam ſociorum nonnullorum, ac etiam externorum aucupantes, competitorum in Generalatu futurorum facta, dictaue minùs recta, vel fingentes, vel amplificantes, ſuggerentes Pontifici etiam, vt aliquem ipſe excludat ex aliqua cauſa ipſi falsò indicata &c. Certè difficillimum eſt, & quaſi moraliter impoſſibile, vt multi non appetant, & efficaciter, huiuſmodi munus, ſi perpetuum ſit; cum maiorem, amplioremque Iuriſdictionem, ac poteſtatem habeat, quam quælibet alia fermè Eccleſiaſtica dignitas infra Pontificiam. Vnde quidam Pontifex appellare Generalem ſocietatis conſueuerat ſecūdum pontificem, quem Roma etiam excedere volebat, ne duo Romæ forent quaſi Pontifices &c.

19. Si experientia probante ad vitam electo Generali rarò, aut nunquam eo viuente cogerētur Congregationes Generales, quas tamen identidem cogi expediret bono Societatis; maiora autem commoda afferrentur præterea ſocietati, ſi illis Congregationibus præſideret aliquis, qui auctoritatem in illis non haberet, qualem habent Gene-

F rales,

rales, quibus viuentibus coguntur hæ Congregationes, cùm adsint Prouinciales ab ipsis electi.

20. Si experientia probante Generalis quoque aliquos semper in munere gubernandi detineret, ac Præfecturas cæteras in societate quasi perpetuas reddere conaretur, ductus maximè exemplo Episcoporum, quorum munus perpetuum est. Quod exemplum si non habet vim vere ad hoc, vt Prouinciales, & Superiores Locales sint perpetui in societate, id enim videtur repugnare Constit. p.9. c.3. §.14. & extat Dec. 35. circa hoc editum à Cong. 5. nec exemplum Pontificis magnam vim habet ad probandum, quod Generalis debeat esse perpetuus. Certè si possunt obtinere Generales, vt Prælationes saltem plures possent esse perpetuæ in societate, minorem sociorum offensionem incurreret perpetuitas ipsa Generalis.

c.294.

Petes tertio. An Pontifex possit Generali præcipere, vt visitet Societatis vniuersæ Collegia, Domosque?

Respondeo AFFIRMATIVE; hoc enim non excedit Votum Obedientiæ, quo obligatur Generalis Pontifici: Et si ipse Generalis potest visitare subditos suos, prout occasio, & necessitas occurrerit, vt dicitur p.8. c.1. §.7. L. H. poterit etiam Pontifex id etiam iubere: & cum (licet idem dicant de Visitatione Prouincialis, & Generalis eadem Const. ibi L. I.) iusserit Generalis Prouinciales singulis annis loca suæ Prouinciæ visitare ex Reg. 118. Prouincialis; declarauit enim Cong. 1 Dec. 111. Generalem posse Prouincialibus iniungere, vt quotannis visitent Domos, & Collegia suarum Prouinciarum, atq; Generali interpretationem Cōstitutionum in hac parte commisit: multò magis poterit Pontifex iubere Generalem saltem semel Domos, & Collegia societatis visitare, ac authentice interpretari Constitutiones in hac parte: & licet Const. dicant p.8. c.5. §.1. in Curia Pontificis plurimū fore ipsius Generalis Residentiam; non tamen docent semper in Curia Pontificis debere esse ipsius Generalis Residentiam; adeoque potius contrarium colligitur; videntur enim supponere Generalem alibi debere etiam residere. sed apertius hoc colligi videtur ex eo c. 1. p.8. §. 7. vbi dicitur, & *vt locus magis conueniat ad communicationem capitis cum suis membris, conferre plurimum potest, vt Præpositus Generalis magna ex parte Romæ resideat*; In quibus verbis notandæ sunt, tùm ille voces *conferre plurimum potest*; neque enim s. Ignatius dixit, *conferet*, vel *necessarium est*; tùm illæ, *magna ex parte*. Itaque si Generalis quatuor, aut quinque menses insumeret in visitandis Italiæ Prouincijs, reliquo autem anni tempore Romæ degeret, Suasorijs hisce Constitutionum verbis pareret; multoque magis, si tres, aut quatuor annos insumeret in visitandis Europæ Prouincijs, octo verò, aut decem annos apud Pontificem resideret. Neque existimandum est Paulum Quintum, dum approbauit, & confirmauit Ordinariam Genera-

In l. Regul. c. 62. c.81

lis in

lis in Vrbe Residentiam, aliud voluisse, quam hoc idem, quod volunt Constitutiones; intendit enim potiùs *conseruare Societatem in pristino calore*, quo *dicta Societas à bonæ memoriæ Ignatio Loiola*, vt idem Paulus habet, *illius Institutore, & Fundatore Sancto Spiritu inspirante decorata fuit*. Accedit, hoc videri expressum à Cong. 1. Dec. 85. vbi quæritur, *si Præpositus Generalis extra Vrbem mitteretur, vel sponte iret, & non ad breue tempus, An deberent Assistentes ipsum comitari, An Romæ manere cum Vicario, quem relinqueret Præpositus* &c. *In Bu. c. 304.*

Rationes autem, quæ peculiariter mouere possunt Pontificem ad id præcipiendum, hæ esse possunt.

P.[a] Exemplum Generalis s. Dominici, qui semel totam Religionem visitat: Et si Paulus Quintus ad cõfirmandam, & approbandam perpetuitatem Generalis affert exemplum Generalis s. Dominici; cur non quoque ad indicẽdam talem Visitationem, idem quoque exemplum Vim non habuerit?

2. Exemplum P. Laynez, ac B. Francisci Borgiæ, qui multa Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & Hispaniæ Collegia visitarunt cum ingenti sociorum gaudio, & fructu; & licet ex occasione, qua P. Laynez missus fuit ad Tridentinum Concilium à Pio Quarto, & B. Borgia in Hispaniam vnà cum Cardinali Alexandrino à Pio Quinto, Visitationes hæ ambæ fuerint ortæ; illa tamen subditorum consolatio cum fructu spirituali potest esse communis visitationibus quibusque à Generalibus factis.

3. Cum Generalis in societate sit summa potestas, omniaque ad illum fermè referantur vltimò; par est, vt quæque pro viribus perspectissima habeat; Quis autem non videt certiorem oculis, quam auribus fidem habendam? Valdè calumniarum periculis exposita sunt informationes, maximè personarum, quæ solùm per litteras habentur. Personarum præsentia, cum ijsdem collocutio, ac informatio accepta à Viro, in quo *præcipuè splendor Caritatis erga omnes proximos*, & in *primis erga Societatem debet esse conspicuus* ex p. 9. c. 2. §. 2. Sinceriorem notitiam earumdem personarum gigneret in Generali. Hinc Generalis magis perspectam negociorum, maximè grauium, quæ ad ipsum deferrentur Romæ iam commorantem notitiam acquireret, nec aliorum, & maximè Prouincialium, nutu regeretur. Certè ex Constit. p. 9. c. 3. Generalis habet superintendentiam, & gubernationem Collegiorum quoad scholares, & præceptores, & Officiales §. 3. idem omnem potestatem habet in Missionibus §. 9. Idem distribuit officia prædicatorum, Lectorum, & Confessariorum eodem §. 9. idem iniungit pœnitentias ad satisfactionem quorumcumque defectuum habita ratione personarum, & aliarum circumstãtiarum §. 11. Idem constituit Rectores Collegiorum, & Vniuersitatum, Præpositos Locales Domorum quos aptiores fore iudicauerit, ac prouinciales §. 14. Idem

F 2 con-

constituit Commissarios, ac Visitatores §.7. & 20. & quomodo hæc officia iuxta vniuscuiusque talenta distribuet, nisi indiuiduam eorum notitiam pro viribus habuerit? Negare nemo certò potest, quin exactior haberetur si ipse visitaret Collegia, & Domos. Quod si ipse aliorum dictis fidem habens approbet illa, quæ tantùm ab alijs referuntur; ipse euadet, quasi inanime instrumentum, alijque munera distribuent, & nominè tenus ipse conferet officia Lectorum, Rectorum &c. non potest autem non ita iuxta aliorum arbitrium regere societatem, si ipse tantùm Romæ resideat.

4. Quia ipse ex p.9.c.3. §.19. cognoscere debet quoad eius fieri poterit, conscientias eorum, qui sub eius Odedientia sunt, ac præcipuè Præpositorum Prouincialium, & aliorum, quibus munera maioris momenti committit. Quomodo autem id præstabit Generalis, nisi aliquando visitet Prouincias, vel saltem quarumcumque Prouinciarum in Europa præcipuas Domos?

5. Sic satisfieret multorum sociorum cupiditati, qua flagrant videndi Præpositum Generalem, illique indicandi, quæ ad animi sui fructum, spiritualeque auxilium in Domino expedire iudicant; quod licet fieri possit per litteras (adeoque has nunquam prohiberi scripsit P. Claudius anno 1599. Inst.9.) quis tamen non videt faciliùs, & libentiùs oretenus fieri id? Præterea multæ expensæ tollerentur: Multis enim negari non potest ad Vrbem accessus videndi etiam causa Generalem, cum illo loquendi &c.

In l. Instrut. n.40. & 41

6. Sic Prouinciales maximè diligentiam adhiberent sedulam in administrando cum laude munere sibi imposito; cum scirent Generalem perspectis omnibus de Visu, haud cum ipsis dissimulaturum &c.

7. Sic Generalis re ipsa executioni mandaret votum obediendi Pontifici circa Missiones, Neque enim negari potest, quin nomine Missionum huiusmodi Visitatio insigniri possit.

8. Sic, cum aliquis nomine Vicarij Generalis relinquendus esset Romæ, vt factum est tempore absentiæ ab Vrbe P. Laynez, & B. Borgiæ (quo tamen tempore nullum passa esse damnum societas dicitur) facilior notitia haberi posset eorum, qui apti forent ad Generalatum. Beatus certè Borgia, qui Vicarius Generalis fuit absente P. Laynez Roma, fuit post obitum eiusdem P. Laynez creatus Vicarius Generalis, & postea Præpositus Generalis.

Petes 4. *An Pontifex prohibere possit, ne Generalis ante mortem Vicarium nominet, qui illius vicem subeat, postquam obierit.*

Respondeo affirmatiuè; licet enim Constit. p.8. c. 4. §.1. id videantur præcipere, attamen praxis illius non est commendata Generali nisi in Quarta Congregatione Dec. 21. post multa in vtramque partem dicta in duabus sessionibus; Et quod maximè animaduertendum est, non solùm S. Ignatius, verum nec P. Laynez, nec B. Borgia, licet exa-

In dic. 20. & 21. n.245. & 249.

ctissi-

ctiſſimi forent in obſeruandis Conſtitutionibus, earumq; obſeruantia procuranda, Vicarium ante mortem nominarunt, nec ſocietas in tribus Generalibus Cōgregationibus coacta cōqueſta eſt de hac prætermiſſa nominatione. E ſex ſocietatis Generalibus iam defunctis duo tantùm poſtremi Vicarium nominarunt.

Rationes autem, quæ peculiariter mouere poſſunt Pontificem ad ſtatuendum, nè Generalis Vicarium ſubſtituat ſibi poſt mortem ipſius vices obiturum, ſed eligatur Vicarius iuxta Formulam conſcriptam in Congregatione ſecunda, & approbatam in Tertia, habeturque in Lib. Formularum Congregationum; hæ poſſunt eſſe. In lib. Form. c.89

P.ª Exemplum primum trium ſanctiſſimorum Generalium, & etiam P. Euerardi Gener. 4.

2. Si experientia probante Generalis Vicarium eligere cogeretur (ne vlli ex Aſſiſtentibus iniuriam videretur facere) vel antiquiorem in Officio Aſſiſtentium, vel antiquiorem in profeſſione, & hic non idoneus eſſet illi muneri, vel parùm aptus &c.

3. Si experientia probante Generalis ſibi ſubſtitueret aliquem, qui propter grauem annis ætatem nō poſſet ſuſtinere aptè illud munus, quod licet Anno integro durare non ſoleat, attamen maximam corporis, animique contentionem requirit propter grauiſsimas occupationes tùm gubernationis ſocietatis in eo interregno, tùm conuocationis Generalis Congregationis, quæ antequam Romæ vniatur, multa in Prouincijs agitanda ſunt, quæ Romæ examinanda ſunt &c.

4. Si experientia probante Generalis ſibi ſubſtitueret Vicarium duræ ceruicis, qui non aliquali amore omnes proſequeretur, ſed certos ſibi ſeligeret ad amorem, eosque promouere conaretur; eſſet valdè iracundus, ac deterrens fermè omnes à familiari cum ipſo ſermone; eſſet deditus quibuſdam oblectamentis in cibo, potu, &c. amabilem haud ſe oſtenderet Aſsiſtentibus, alijsque Officialibus primarijs à Generale relictis, nec eos libenter audire ſe præſeferret; magis deſpoticè, quàm ipſe Generalis, ſocios gubernare contenderet.

5. Si experientia probante Generalis ſibi ſubſtitueret aliquem ferè ineptum vel parum idoneum, eo conſilio, vt ſubditi ipſius de mortui laudandi occaſionem haberent; facilè enim tunc internoſcitur diuerſus gubernandi modus.

6. Si experientia probante iſte electus à Generali iuxta regulæ ipſius 6. ad ſpiritum, & ſenſum Generalis demortui non ſe componeret, illius compertam voluntatem non ſequeretur, nec incertam coniectaret, &c. In lib. Form. c.96. & 97.

7. Si experientia probante eligeret aliquem, qui cæteroqui eſſet ad Generalatum aptiſsimus: Quem cognoſceret, ſi tale munus Vicarij in talibus illi demandaretur circumſtantijs, facilè futurum, vt à Generalatu repelleret Congregatio Generalis futura.

8. Si cognoſceret Pontifex id iuberi, nec ipſe Pontifex vllo pacto ſe immiſceret gubernationi societatis, ac ſolùm ſubordinationem quãdam, vt aiunt, altam, reſpectu Pontificis agnoſcerent socij.

9. Si experientia probante talis Vicarius facta à Generali, ac de illius conſenſu iam executioni mandata reſcindere conaretur; ea minus laudaret; & conquereretur, quod in multis ſequi ſententiam Aſſiſtentium teneretur, nec liberè poſſet, vt Generalis, regere ſocios &c.

10. Si experientia probante amicis demortui Generalis, & parùm ſibi beneuolis infenſum ſe oſtenderet, Viroſque primarios vel nobilitate vel ſcientia, quaſi perſequeretur. Vnde graues in societate perturbationes orirentur &c.

Petes 5. An poſſit Pontifex coarctare poteſtatem Generalis.

Reſpondeo affirmatiuè. P.° Quia quamuis Generalis alijs inferioribus Prælatis, vel Viſitatoribus, vel Commiſſarijs ſuam facultatem communicet, poteſt tamen approbare, vel reſcindere, quod fecerint, & in omnibus, quod videbitur, conſtituere ex p. 9. §. 20. immò etiam §. 14. dicitur, inferioribus Prælatis eam à Generali communicandam poteſtatem, quam duxerit communicandam, eamque poſſe reuocare, reſtringere, & augere ex §. 15. Multò ergo magis poterit Pontifex non ſolùm approbare, vel reſcindere, quod fecerit Generalis, verum etiam eam communicare, quam duxerit communicandam; & licet certam iam communicauerit, illi eam tamen reuocare, vel reſtringere poterit. 2°. quia auctoritatem Generalis poteſt coarctare Con-

c.181 gregatio Generalis: Vnde de facto Cong. 5. Dec. 12. ſtatuit, ne Generalis poſſet exercere facultatem in contrahendo biennij ſpatio ad hoc, vt quiſpiam ante expletum biennium cenſeatur verus Religioſus, & ſcholaſticus approbatus per emiſſa vota ſimplicia ſcholaſtico-

c.191.et 192 rum societatis; & Dec. 39. vetuit, ne Generalis quoque poſſet diſpenſare, vt poſſet aliquid accipi pro Miniſterijs societatis, tanquam ſti-

c.314.et 315 pendium, vel eleemoſina in compenſationem, & Dec. 52. & 53. vetuit, ne Generalis poſſet diſpenſare cùm vllo, qui ex Hebræorum, aut Saracenorum genere deſcenderet, vt in societatem reciperetur: &

c.429.et 433 Cong. 7. Dec. 24. vetuit, ne Generalis in poſterum poſſet diſpenſare cum Coadiutoribus in vſu Clericalis Pilei, idemque repetijt Dec. 27

Rationes, autem, quæ poſſent mouere Pontificem ad id, hæ eſſe poſſent.

P.° Si videret Pontifex Congregationem Generalem illam non coarctare, etiamſi experientia probaret id eſſe neceſſarium, & hoc timore alicuius mali, vel incurrẽdi illius offenſionem; vel minùs rem gratam faciendi illi, quem Congregatio ipſa elegit.

2. Si videret Pontifex, cùm non poſſit Generalis auctoritas coarctari niſi à Congregatione Generali, quæ tamen rarò cogitur; expedire bono Eccleſiæ, vel societatis ipſius, vt ipſe eam coarctaret.

3. Si videret Pontifex conari Generalem ſuam auctoritatem amplificare,

ficare, ac latissimè interpretari potestátem, quam habet; tunc enim expediret eam coarctare, & intra certæ interpretationis terminos concludere.

4. Si videretur Generalis auctoritate, quam illi tribuunt Constitutiones, nimis liberè vti, non petens Consilium à Viris prudentibus, ac peritis, etiam dum id Constitutiones volunt; vel haud illud sequens, etiamsi melius sit.

5. Si experientia pateret Generalem passim dispensare in Constitutionibus, ac Decretis haud maius Dei obsequium, & societatis bonum intuendo, contra id quòd præcipitur p.9.c.3.§.8. neque enim est in manu Generalis dispensare in Constitutionibus, & Decretis pro sua volūtate; neque in hoc plùs potest, quam quilibet alius Superior: de quo legatur Instruc. de spiritu ad super. c.2.§.2. c.28

6. Si experientia pateret Generalem Constitutiones, ac Decreta ad suam gubernandi rationem, sensumque detorquere, nec dirigere potius administrationem suam ad illa; susque, deque omnia miscendi, eximendi idemtidem, seu nulla, seu perleui certè causa Regulis, atq; Decretis liberam sibi licentiam arrogantes, ex hac disciplinæ, regularumque iactura compendium sibi beneuolentiæ comparare: quod tanquam graue nimis piaculum reprehendit in omnibus Superioribus P. Vitellescus in litteris ad superiores. c.426

Petes 6. *An posset Pontifex iubere, vt in quibusdam casibus Assistentes habeant Votum decisiuum.*

Respondeo affirmatiue: Sic enim & Cong.4. Dec.23. concessit Missentibus dùm agitur extra Congregationem Generalem de dissolutione alicuius Domus, vel Collegij, ius suffragij, quod tamen non habebāt; c.250 & prætere, cum in ea Congregatione quæsitum esset, an per Constitutiones, & Decreta liceret Assistentibus interesse Congregationibus quæ à b ipso P. Generali cogi possunt; Decreuit Congregatio, cum id hactenus constitutum esse non videretur, vt Assistentes tam in huiusmodi Congregationibus, quam in quibuscumque alijs Generalibus quacumque ratione illæ cogantur, intersint, & ius suffragij habeant: Ita habetur Dec 45. & Congregationis Quintæ auctoritate statutum fuit, vt Assistentes habeant suffragium decisiuum in ijs omnibus, in c.263 quibus illud habent Prouinciales extra Cōgregationem Generalem, vt legitur Dec. 16. Fuit quidem à Cardinali Toleto nomine Clementis Octaui propositum, vt in eadem Congregatione Quinta examinaretur. An Assistentes in aliquibus Casibus debeant habere votum c.283 decisiuum, & iudicaretur per vota secreta: Et cum id præstitum fuisset, exceptis quinque, Omnes censerunt non esse illud concedendum, & nihil hac in re innouandum, cum præsertim hæc innouatio vnum ex Instituti substantialibus conuelleret. Ita habent Dec.64. & 65. Assistentes tamen, cùm adest Vicarius Generalis, obtinuerunt suffragiū c.327 et 328

deci-

decisiuum in aliquibus casibus, cum antea illud non haberent: Nam
in Officio Vicarij conscripto, & recognito in secunda, & approbato in
In l. Decr. c. 154. 155. & 228.
Tertia Congregatione dicitur, *Præpositos, Rectores, Præfectos Proba-
tionum*, & *alios Officiales Primarios, qui creantur à Generali, pro-
pter grauissimas causas* ab *Officij executione tolli*, vel *suspendi posse à
Vicario, iure suffragij nihilominus ei relicto*, & *hoc quidem non sine con-
silio Assistentium*: in eodem tamen recognito, & aucto in sexta, & sep-
tima Congregatione additur. *Et hoc quidem re cùm Assistentibus cō-
In lib. Form. in Off. Vicar. c. 97
municata ad plura suffragia.* In Tertia etiam additum est immediatè
ibi. *De quorum etiam Consilio, & Suffragijs eliget Admonitorem, si fue-
rit ipse Admonitor Generalis.* In Tertia quoque additum est n. 13. *lit-
In lib. Decr. c. 218. c. 230 c. 229
teras verò, quas Vicarius scribet, vel à Prouincijs accipiet, Assistenti-
bus ostendet.* In eadem verò cum n. 12. diceretur, *Circa Missiones
Professorum, si quid vrgeret, potestate Generalis* vti *poterit consultis
In lib. Form. in Off. Vic. c. 99.
Assistentibus*: In sexta, & septima re 11. additum est. *Alios verò Pro-
fessos non mittat ad infideles*, nec *ad partes remotas*, quæ *maiorem con-
siderationem requirunt nisi fortè aliquid tam graue, & vrgens accideret
vt ipsius iudicio, & Assistentium ad plura suffragia res differri non pos-
sit.* Cui etiam immediatè subiunctum est. *Mutationem autem Profes-
sorum quorumlibet ex vna Prouincia in aliam ante factas Congregatio-
nes Prouinciales, non nisi ex vrgenti causa, & consultis Assistentibus*,
Officio
ad *plura suffragia.* In eodem quoque aucto, & recognito à sexta, &
septima n. 12. absolutè dictum est: *Quascumque vero litteras Vicarius
vel scribet, vel accipiet, si negocia contineant, Assistentibus omnibus o-
stendet*; neque *cum Principibus, & Magnatibus de negocijs pertracta-
bit*, nisi re cum *eisdem Assistentibus communicata*, sed *in rebus grauis-
Dec 74. car. 456.
simis ad plura suffragia decernetur.* Cum verò in Cong. 7 propositum
fuisset, An quamuis Vicarius iudicet rem aliquam non esse grauissi-
mam, neque cum Assistentibus consultandam, aut ad eorumdem
plura suffragia decernendam; maior tamen Assistentium pars con-
trarium iudicat, teneatur Vicarius rem talem consultandam, & ad
plura ipsorum suffragia decidendam proponere. Censuit Congrega-
tio, *Vicarium rem talem ex mente plurium Assistentium teneri in con-
sultationem decidendam adducere.* In eodem quoque Officio n. 13. ad-
ditum est, quod si aliqua necessariò essent accipienda ex Scrinio, vbi
litteræ, & scripta, quæ apud se Generalis habet, reconduntur, *vocato
Secretario & duobus Assistentibus illa accipiet, & cum vsus fuerit, ijs-
dem præsentibus reponet. Causæ autem, quæ mouere possent Pontificem* ad
iubendum id, hæ inter cæteras numerari possent.

P.° Si experientia pateret Generalem non esse propensum ad quæ-
rendum, & sequendum Consilia meliora Assistentium sibi a Congre-
gatione assignatorum, sed esse tenaciorem proprij iudicij, quam cō-
ueniat, & deceat ad prouocandos Assistentes, vt liberè dicant quod
sen-

sentiunt, & ad dandam illis spem, quod pondus rationum horum apud ipsum inueniet. Et hoc quidem esset cōtra id, quod Cong. 3. quærebat in Generali eligendo. In lib. Decr. c.167

2. Si experientia pateret Generalem solùm in rebus quibusdam leuioribus in consilium adhibere Assistentes; in cæteris verò grauioribus potiùs aliorum Consilia, vel proprium iudicium tantummodo sequi. Et hoc quidem esset contra id quod præcipitur p. 9. c. 6. §. 11.

3. Si Facultate, quam illi tribuunt Constitutiones p. 7. c. 2. §. 1. & p. 9. c. 3. L. K. & c. 6. §. 11. statuendi, postquam audierit Generalis Assistentes, nimis liberè vteretur, ab ijs etiam vnanimiter consentientibus discrepans non rarò. Quod si Rector Vniuersitatis cōtra omnium Consultorum sententiam facere non potest, nisi consulto Prouinciali p. 4. c. 17. H. An non æquius esset, vt Generalis saltem, nisi consulto Pontifice, contra omnium Assistentium sententiam non faceret?

4. Si experientia pateret Generalem conari semper suam iurisdictionem amplificare, velleque regere omnes ad libitum; ac despotico planè dominio contra id, quod societatis spiritus petit ex sententia quoq; P. Laynez, vt habet quoque Interrogatorium, de quo supra n. 1. In quibus autem casibus concedendum esset suffragium prudentis Pontificis decernere erit. Nam poterit illis concedi dùm agitur de acceptando aliquo Collegio; de dimittendo aliquo e Societate; in admittendo ad professionem; in eligendis Prouincialibus, Visitatoribus, Præpositis Domorum, Rectoribus Collegiorum, maximè illorum, quę dicuntur Seminaria Sociorum; in causis grauibus vergentibus in damnum, siue Corporis, siue Famæ, siue honoris Professorum, in electione Secretarij societatis &c. In l. D. c. 164

Petes 7. An posset Pontifex iubere, vt Assistentes post sex annos. v. g. mutarentur.

Respondeo affirmatiuè: Hi iussu Clem. 8. anno 1594. (licet Congregatio Generalis quinta decreuisset supplicandum pontifici, vt hæc mutatio non fieret) mutati sunt tres Assistentes Italiæ, Hispaniæ, ac Lusitaniæ, eo quod diuturno satis tempore in eo Officio perseuerauissent; nam Quartus Assistens pro Transalpinis partibus, siue Germaniæ non ita pridem suum Officium inchoarat: Vt habetur in Dec. 73. & 74. & 77. & Iussu Pauli Quinti Anno 1608. mutati sunt omnes Assistentes, licet Generalis cum sex patribus conueniens Pontificem attulisset varias rationes, quibus conatus est ostendere Assistentium mutationem societati valdè incommodam fore, vt habetur in Dec. 4. 8. & 14. Dixit autem Pontifex tunc, se in hoc Societatis bonum, & Dei obsequium spectare. *Causæ autem, quæ impellere possent Pontificem ad id iubendum, hæ esse possent.* c. 332. 333. et 335. c. 342. 349. et 350.

P. Si assistentes etiam in senectutem vergentes, experientia pateret fieri ineptos ad illud munus cum dignitate sustinendum. Certè videtur fie-

tur fieri non posse, vt gubernatio societatis ritè procedat, dum & Generalis, & Assistentes, licet cæteroqui essent etiam ingenio iudicioque sano (cuius tamen contrarium sæpe accidere potest) in extremam vergant senectutem, nam vires Corporis animique non vulgares exigit gubernatio societatis: & aptiores sunt hi vetuli ad hoc, vt regantur, quam vt regant alios, maximè cum soleant esse vel nimis benigni, vel nimis acerbi.

2. Si experientia pateret multos, qui cæteroqui forent apti ad Generalis Officium, non fieri aptos, eo quod notitiam illam rerum societatis non habeant, quam solent habere Assistentes; neque enim negari potest, quin si aliquis multas rexerit Prouincias, & cum laude, ac deinde Assistentis munus obeat, fieri habiliorem ad Generalatum.

3. Vt tollantur istæ Præfecturæ, vel quasi præfecturæ in societate perpetuæ; quamuis enim Assistentia in societate Prælaturam, aut Dignitatem non cõtineat iuxta declarationem P. Claudij approbatam à Cong. 7. Dec. 44. attamen multum habet prælaturæ; nam in aliquis
c.445 casibus habent suffragium decisiuum extra Congregationem Generalem; in Cõgregatione autem Generali quacumque habent ius suf-
c.66 & 263 fragij ex Dec. 90. Cong. 1. & Dec. 45. Cong. 4. sedentque antiqui, etiã si suo munere iam defuncti sint per electionem noui præpositi, inter prouinciales, secundum tempus suæ Professionis, noui verò creati in suis locis ex Dec. 20. Cong. 2. & præterea Dec. 14. Cong. 7. statuit, As-
c.121. et 122 sistentium, & Admonitoris P. Generalis litteras, atque sociorum vi-
c.416 cissim ad illos non referandas à superioribus. Certè negari non potest, quin multum honoris, ac æstimationis sit in Societate huiusmodi munus, feratque secum multa cõmoda, nec nisi postquam aliquis sæpiùs etiam gubernarit Prouincias soleat deferri, ad Assistentem Prouinciarum recurrant ipsi Prouinciales, ac iuxta eius sensum, & multæ prælaturæ, aliaque Officia etiam primaria distribuantur. Quare videretur æquum, & multi hoc honore, & quasi laborum in gubernanda societate præmio afficerentur.

4. Vt habeat ad manus Generalis aliquos, quos mittere possit, tanquam Visitatores Prouinciarum. Hi enim erunt apti ad hoc munus præter cæteros; ijsque communicare potest Generalis amplissimam auctoritatem.

Petes 8. An possit Pontifex iubere, ne Generalis eligeret Assistentem loco demortui extra Congregationem Generalem; sed missis informationibus de illis, qui gubernant actu Prouincias illas, quæ erunt sub Assistente mortuo, eas que gubernarunt; ille, in quibus consensit maior pars suffragiorum, sit Assistens.

Respondeo AFFIRMATIVE; Quamuis enim Constit. p. 9. c. 5. §. 3. tribuant Generali potestatem substituẽdi alium Assistentem, si mortem a-

tem aliquis obiret, vel à Præpoſito Generali diutiùs ob graues cauſas abeſſe oporteret; qui tamen non habet ſuffragium, nec in Congregatione Generali, nec Procuratorum, nec ad diſſoluenda Collegia, ſeu Domos ſocietatis, niſi prius conſtet de approbatione omnium, aut maioris partis Prouincialium, Europæ tamen, iuxta Dec. 24. & 25. Cong. 4. & iuxta Dec. 27. Cong. 6. Generalis non debeat, niſi vnum ſubſtituere, & aliquam informationem ad eos mittere, quibus notus non eſſet is, qui proponitur: Attamen ſi Generalis experientia probante eligeret ſibi amicum, licet cæteroqui eſſet minùs aptus inter eos, quibus tale munus demandari poſſet: Eligeret Virum, qui ob ſolam Generalis beneuolentiam Prouincias adminiſtrauit, cum cæteroqui cauſa priuatarum familiaritatum, cauſa amoris propriorum commodorum &c. vix infimo Rectoratu, dignus videretur: Si experientia pateret hunc electum à Generali, ipſius, vt ſui promotoris, ſenſum in omnibus ſequi, nec audere illi repugnare, cum opus eſt, nec habere eam libertatem in proferenda ſententia, quam habent electi à Congregatione Generali; ſi eadem experientia probaret, non audere Prouinciales, vel nolle, ne incurrant indignationem Generalis, non approbare illum, quem proponit Generalis: eſſet iuſtiſſima cauſa iubendi, vt multi modo dicto proponerentur à Generali, & ad plura ſuffragia omnium Prouincialium Europæ eligeretur Aſsiſtens. Accedit, quod Prouinciales fermè cogūtur ad approbandum illum, quem nominat Generalis: tùm quia de illo ſolo informatio mittitur, ſoletq; paucis ex omnibus Europæ Prouincialibus notus eſſe ille, qui proponitur, tanquam Aſsiſtens; & præterea, cum antequam mittat informationem Generalis, & recipiat aſſenſum omnium, aut maioris partis Prouincialium, Aſsiſtentis demortui loco alium ſubſtituat, ne videantur Prouinciales huic inferre iniuriam depellentes ex illo honoris gradu, in quo cōſtitutus eſt, compelluntur ad dandum ſuffragium approbatiuum, etiamſi cæteroqui illud eſſent daturi alijs, quos iudicarent aptiores ad illud munus, ac re vera eſſent.

Petes 9. An poſſit Pontifex iubere, vt Conſultores tùm Prouincialium, tum Superiorum Localium in aliquibus caſibus ſuffragium habeant deciſiuum.

Reſpondeo AFFIRMATIVE; Si enim hæc facultas Pontifici conceditur reſpectu Aſsiſtentium, qui ſunt Generalis Conſiliarij; multò magis concedenda hæc illi eſt reſpectu illorum, qui Conſultores ſunt Prouincialium, aliorumque Prælatorum inferiorum; & horum quidem Conſultores deligi ſolent à Prouinciali, confirmarique à Generali iuxta Reg. 25. Prouinc. & ſunt duo vel plures p. 4. c. 10. §. 7. ordinariè verò in vniuerſitatibus debent eſſe quatuor p. 4. c. 17. §. 1. contra quorum omnium ſententiam non debet Rector Vniuerſitatis agere, niſi conſulto Prouinciali ibidem §. 6. L. H. Sic etiam Conſultores Pro-

uincialium debent esse quatuor designati à Generali iuxta Reg. 11.
In 1.Reg.35 prouinc. ad cuius marginem affertur §. 14. c. 6. p. 9. *Rationes autem, quæ impellere possent Pontificem ad id iubendum, hæ peculiariter recenseri possunt.*

P. Si experientia probante, nec Prouinciales, nec alij Superiores Cõsultoribus exponerent ea, quæ sunt maioris momenti ac difficiliora iuxta id, quod præcipitur p. 4. c. 10. §. 7. & c. 17. §. 1.

2. Si experientia probante litteras, & scripta, quæ pertinent ad rem, de qua consultatio habenda est, non ostenderet Prouincialis Consultoribus, vt sic posset faciliùs eos in suam pertrahere sententiam; Nec ordinationes Communes à Generali acceptas, ijsdem manifestaret, vt illarum posset pro libito vsum inducere; cum tamen hæc omnia Consultoribus suis manifestanda esse à Prouincialibus iubeant Reg.
In 1.Reg. 14. 35. & 36. 13. & 14. Prouinc.

3. Si Prouincialis principio cuiusque mensis non institueret cum suis Consultoribus consultationem, in qua inquireret, quemadmodum se haberet totius Prouinciæ disciplina, quid de ea sciretur, quid ipsemet Prouincialis à Rectoribus, eorumdemque Consultoribus accepisset: Cum tamen talem Consultationem habendam esse Cong. 6. Dec. 36. n. 6. statuerit, idque reponitur etiam in Instruc. 18. Vel licet
c. 390. 4. 56. hanc initio cuiusque Mensis Consultationem, aliasque haberet; solùm tamen ad quamdam speciem eas haberet, & in ijs, vel de rebus leuioribus, vel de illis, quibus pro certo haberet Consultores assensum præstituros, ageret solùm.

4. Si experientia probante saltem alternis hebdomadis Rectores, ac Præpositi contra Reg. 15. Præp. & 14. Rec. non conuenirent cum suis
In lib. Reg. 15. 76. & 93 Consultoribus, deque rebus maioris momenti, quæ pro temporum, & negociorum varietate occurrũt cum illis non ageret: Nec priusquam ad Prouincialem de re aliqua scriberent, de ea cum Cõsultoribus conferrent, & quid illi sentirent, Prouinciali non significarent; quod tamen faciendum à Superioribus præscripsit P. Claudius vt habetur c. 2
120. Ordin. n. 10. Hæc autem, & similia facerent Superiores, vt ostenderent, se vel non indigere aliorum Consilio, vel posse despoticè omnia disponere.

5. Si experientia probante morosos, & difficiles se ostenderent Superiores ijs, qui in Consultationibus minus ipsorum sententiæ adhæsissent: atque deterrerent Consultores, ne liberè suam dicerent sententiam; Digni enim essent aliqua pœna ad hoc ipsum spectante: quæ grauior illis non videtur posse imponi, quàm si aliquando saltem Consultorum suorum sententiæ stare tenerentur.

6. Si Consultores cum superioribus aliquid proponũt non libenter, ac
In lib. Reg. 16. & 91. benignè acciperentur, vt præcipit Reg. 16. Præpositi & 15. Rectoris.

7. Si viderentur Superiores contemnere officium Consultorum, eo

quod

quod ipsis auditis penes ipsos de singulis statuendi facultas sit.
8. Si communis esset Quærela, non solum ad Superiores infrequenter agerent cum Consultoribus, essentque multò rarissimæ Consultationes (de quo eosdem Superiores monuit P. Mutius in litt. datis Anno 1617. Die 4. Ianuarij) verum etiam quod amplam nimis auctoritatem sibi vsurpent Superiores despoticè gubernantes, ac se veluti Monarcas in sua Prouincia vel Domo arbitrantes. c.416.r.427
9. Si multi Iuuenes ac Inexperti constituerentur immediati Superiores: Si enim iuxta Constit. p.8.c.1. L.D. Superiori potest adiungi Collateralis qui non sit sub eius Obedientia, cum Superior non est magnopere versatus, & exercitatus in gubernatione, qui Collateralis potest esse vnus ex Consultoribus p.4.c.17. L.B. quidni isti Iuuenes Superiores teneantur sequi quandoque saltem Consilium præbitum à maiori saltem parte Consultorum, inter quos non rarò reperiuntur aliqui magna præditi prudentia, & qui cum laude rexerunt etiam Collegia, ac Domos, imò & Prouincias quandoque?
10. Si experientia pateret Superiores nimis liberè administrare res temporales Collegiorum; eos existimare vna cum *litteris à Generali acceptis*, quibus constituti sunt Superiores, quasi cælitus infundi perfectam rerum, quæ ad Occonomiam maximè Domus spectant, siue etiam spiritualium rerum, ac temporalium scientiam. *Neque sufficit dicere*, Consultores posse, imò & teneri Prouincialem, vel Generalem facere certiorem, si quando prouincialis, vel aliquis Superior immediatus malè se gerat in suo munere. *Dici enim potest*. P.° Solùm teneri Consultores superiorum Localium scribere ad Prouincialem bis in anno, Mense Ianuario, & Iulio; & ad Generalem singulis annis mense Ianuario etiamsi Consultores sint Vniuersitatis; & Consultores Prouincialium ad Generalem bis in anno mense Ianuario, & Iulio, vt habetur in Form. scrib. n.20. & 22. Et quamuis P. Claudius statuerit Anno 1600. vt tam Prouincialium, quam Superiorum Localium Consultores quater in singulos annos ad Generalem scriberent, eam tamen obligationem sustulisse Cong. 7. Dec. 91. Quod si extra hæc tempora deprehendantur Consultores scribere vel ad prouincialem, vel ad Generalem; periculum est vehemens, ne incurrant scribentes odium, vel Prouincialium, vel aliorum Superiorum; maximè si hi admonerentur de aliqua re: imò si curandum esset, vt statis hisce temporibus Cõsultores scribentes aliqua etiam consultò omitterent, nè minùs beneuolè postea ipsos tractaret superior; multò magis vitandum esset, ne extra consueta tempora scriberent omnes, & multo magis vnus, vel alter scriberet; posset enim superior incipere Cõsultorem obseruare, omnes eius actiones, imò & omnes propemodum voces, ac syllabas indagando &c. 2. Sæpe negocia occurrere statim definienda, & circa quæ non potest expectari responsum Prouincialis, & multo minùs Generalis, cuius In lib. Reg. c. 163. c.169

lis, cuius responsum per multos etiam Menses differtur, imò per longius etiam tempus expectari necesse est, tùm ob locorum distantiam, tùm quia Generalis, antequam de re quapiam constituat, *Prouincialium de vnaquaque re sententiam exquirere solet* (vt ipse P. Claudius monuit in Instr. missa ad Prouincias anno 1599. copiosiùs aucta) & *singularum rerum statum, naturamque cognoscere illorum testimonio, qui totas Prouincias administrant* &c.

In l. Instruct. Instr. q. 41.

In quibusnam autem casibus habere debeant suffragium decisiuum Consultores Prouincialium, aliorumque Superiorum, prudentis erit Pontificis decernere. *Et possent quidem Consultores Prouincialium illud habere*. P.° Cum aliquis est ad societatem admittendus. 2. Cum Prouincialis iuditio relinquit Generalis, an aliquis e Societate sit dimittendus, vel cum ipse dimittit non expectato Generalis responso iuxta Reg. 41. prouinc. 3. Cum dispensare vult in Constitutionibus, Decretis, &c.

In l. Re. r. 41

4. In designandis Ministris; Procuratoribus; Præfectis studiorum, rerumque spiritualium; Confessarijs, tum sociorum, tum externorum; prædicatoribus; Consultoribus; & Admonitoribus superiorum Localium; atque Lectoribus Philosophiæ, ac Theologiæ.

5. In statuendis nouis ordinationibus, siue consuetudinibus, vel abrogandis ordinationibus, & consuetudinibus Prouinciæ toti communibus consulto etiam Generali: nam Consultoribus solet, saltem potest esse magis exploratum, quid expediat prouinciæ, quam ipsi prouinciali; qui non rarò nunquam in tali prouincia, cui præfectus est, fuit; vel si fuit, breui tempore fuit, nec potuit habere perspectos mores talium sociorum: quæcumque enim prouincia potest habere suos peculiares mores, quos immutare haud vtile erit; & tamen sæpe euenire potest, vt prouincialis nouus, qui ex alia prouincia venit, istius prouinciæ mores inducere velit in illam, cui præpositus est, qui tamen minus opportuni sint subditis illius prouinciæ: minùsque ferendum esset, si ea quæ sunt oneri in alia prouincia, in hanc inuehere vellet, illa vero, quæ haùd oneri essent, sed potiùs alicui religiosæ remissioni haud inueheret; vnde duplici onerum genere subditi istius prouinciæ prærmerentur.

6. In designandis illis, qui ad Ordines sacros promouendi sunt.

Consultores verò superiorum Localium illud possent habere 1. Cum aliquis contractus, etiam locationis, celebrandus est. 2. dum pœnitentia non leuis imponenda esset, maximè Sacerdoti, ac seni. 3. dum dispensandi in aliqua Constitutione, vel in aliquo Decreto incideret occasio. 4. Dum alicui imponendum foret præceptum in Obedientiæ Virtute. 5. Dum aliquis sumptus non consuetus pro rebus ad victum, vestitumque non attinentibus faciendus esset. 6. Dum quodlibet æs alienum foret contrahendum. 7. Dum cuiuscumque generis mu-

ris mutatio facienda eſſet in conſueto victu, ac veſtitu. 8. In ijs, quæ pertinent ad tractãdos hoſpites, ſiue ſocios, ſiue externos, & ad ægrotorum curam.

Petes 10. *An poſſet Pontifex ſtatuere, vt plures Confeſſarij Sociorum in qualibet Domo, & in quolibet Collegio ſtatuantur, quorum aliquibus ſaltem concedatur facultas abſoluendi à quibuſdam ſaltem Caſibus reſeruatis.*

Reſpondeo AFFIRMATIVE: quamuis enim p. 3. c. 1. §. 11. dicatur Vnum debere eſſe Confeſſarium omnium à Superiore conſtitutum; derogauit tamen Conſtitutioni illi Cl. 8 26. Maij anno 1593. ſtatuens, *vt ſuperiores in ſingulis Domibus deputent duos, tres, aut quatuor Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori* Cong. quidem 5. anno 1594. petijt ab eodem Pontifice, vt diſpenſaret in hoc, quia ſcilicet, vt habetur Dec. 51. hoc in paruis Collegijs eſt ferè impoſſibile, c. 312. et 313 vbi præter Confeſſarium omnes alij Patres, vel habent Officium Superioris, vel ſunt Conſultores. Vnde non conueniret eos deputare in Confeſſarios. Diſpenſaſſe autem in hoc viuæ vocis Oraculo Pontificem dicitur in fine Dec. 64. & in Ordin. General. c. 5. fuit autem re- c. 318 In l. Or. c. 47 uocatum huiuſmodi viuæ vocis oraculum, cum reuocata fuerunt viuæ vocis oracula; niſi Socij exiſtimauerint ob Bullam Pauli 5. qua omnes gratias, omniaque indulta ab omnibus prædeceſſoribus Societati, atque Generali conceſſa approbauit, & confirmauit, atque innouauit, Conceſſionem hanc in viuæ vocis oraculorum numero haud ampliùs In Bull. c. 3 reponendam fuiſſe; ſed reponendam inter gratias vi Bullarum conceſſas equidem Vrbano 8. Eccleſiam regente eius mãdato aliquet ab hinc annis conſtituti fuerunt plures Confeſſarij in qualibet Domo, & in quolibet Collegio. Illa certè ratio, quam attulit Congregatio quinta, potuit non videri valde efficax: tum quia illud Decretum potuit obſeruari in omnibus planè Domibus profeſſis, in quibus degunt plurimi Patres, & illis omnibus Collegijs, in quibus ſeptem ſunt ſacerdotes; Hic autem numerus Sacerdotum eſſe in quolibet infimo Collegio debet iuxta Dec. 69. Cong. eiuſdem 5. & reponitur quoque c. 330 in Ordinat. Generalium c. 16. tùm quia Decretum illud Clementis In l. Or. c. 94. Octaui à maiori fermè Regularium parte obſeruari nõ deberet, cum ſoleant ſacerdotes maxima ſaltem ex parte habere vocem, imò & ſuffragium deciſiuum in Capitularibus Conuentibus.

Cauſæ autem, quæ peculiariter mouere poſſunt Pontificem ad iubendum, vt Decretum illud, quod plures ſint Confeſſarij in qualibet Domo Regulari Societatis, hæ eſſe queunt.

P. Ne adducantur in æternæ damnationis periculum plures Socij, quibus non eſt gratus Confeſſarius; nam ferè impoſſibile eſt, vt vnus pluribus placeat: vbi autem agitur de animæ ſalute, ad quoſdam perfectionis apices non eſt confugiendum à Superioribus.

2. Vt

2. Vt possint Socij maiori cum libertate animorum interiora patefacere; e duobus enim Confessarijs, licet ambo sint grati, potest vnus esse gratior vni Socio, alter alteri: sic in Ecclesia quoque pro sæcularibus designati sunt plurimi Confessarij; cum tamen de iure teneatur quilibet confiteri, vel Paroco, vel Pontifici, vel Episcopo, siue ab his designato; quod prudenter factum etiam ad reddendum suauius onus Confessionis.

3. Quia alijs Religiosis etiam strictioris obseruantiæ plures designantur Confessarij; Nec exemplum Monialium valet, quibus vnicus ordinarius conceditur Confessarius: tum quia periculum maius in viris Regularibus, quam in Fœminis solet esse æternæ damnationis; Vnde Decretum illud Clem. 8. est pro Regularibus viris: tum quia multiplices sunt causæ, propter quas plures non debeant concedi Monialibus ordinarij Confessarij; Vnde nec in Iubilæo licere dicitur illis apud quoslibet Confessarios peccata deponere, licet hoc liceat viris Regularibus.

4. Vt Superiores omni studio vitent admittere Collegiola, vel Residentias quasdam, in quibus pauci degant socij; si enim duo debent esse Confessarij, saltem cogentur ad minus non admittere Domum vllam, in qua quinque nō degant Sacerdotes: nam præter Superiorem debeāt adesse duo ad minus Cōsultores, quos ex ipsius sententia quo- Dr. 51. c. 313 que Congregationis quintæ non conuenit deputare ad Confessiones Sociorum.

Quod autem horum iudicio committatur absolutio à reseruatis casibus, suaderi potest.

P.° Ne nonnulli infirmiores, qui interdum superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducantur in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem. Quæ ratio mouit Cl. 8. ad illud Decretum pro vniuersis Regularibus promulgandū: etiam quamuis idem Clem. 8. dispensasse dicatur in parte illius Decreti, ne iudicium scilicet à reseruatis absoluendi Confessarijs absolutè relinquatur, sed liceat interdum superiori pro ratione sui Officij huiusmodi facultatem denegare; quod omnino necessarium esse dicitur in Ord. Gen. alioquin tolli reseruationem habet Cong 5. in fine Dec. 61. attamen Pontifex summus in eodem Decreto de cas. Reseruat. pro Regul. postea iterum impresso expressè voluit, vt toties quoties hoc iudicium relinqueretur Confessario; possunt enim Superiores facilè iudicare hanc facultatem absoluendi haud concedendam Confessario: etiam dummodo obseruetur id, quod statuitur in §. 5. Dec. illius circa Confessarios; non est periculum vehemens abusus alicuius grauis: *Nec est verum, quod tollatur reseruatio, si iudicium absoluendi à reseruatis Confessario relinquatur; Quia tenetur Confessarius petere facultatem à Superiore absoluendi*: Præterea Confessario potest esse ma-

Cong. 5. dec. 64. n. 328 & dec. 51. in fin c. 313

In l. Or. c. 47

gis per-

gis perspectum, An talis absolutio debeat imperti pœnitenti à se, vel ab ipso superiore; agnoscit enim non solùm qualitatem criminis, verum etiam pœnitentis &c.

8. Vt Sacramentale sigillum omni cum diligentia custodiatur; periculum enim est vehemens, ne si subditi cogantur accedere ad superiores, ipsi postea vtantur ea scientia ad exteriorem gubernationem: est enim solùm quædam prohibitio P. Generalis vetans vsum huius notitiæ, non obligans sub vllo peccato; superioresque facile suaderi possunt contrariam sententiam esse probabilem, eamque etiam necessario amplectandam quandoque, cum aliquis scripserit prohibitionem Clem. 8 §. 6. Decr. de Reseru. Cas. Reg. non tollere probabilitatem contrariæ sententiæ in casu aliquo, & Superiores, à quibus petitur facultas absoluendi à reseruatis, non teneri ad sigillum &c.

In lib. Inst. Instr. 5. De notitia habita per Confessionem ca. 29.

Guetilinl. Mercer. in 3. p. q 11. c. 5. d. 2. cong. 2. Vasq. t. 4. in 3. p. q. 93. a. 4. d. 1. Vrtad. disp. 12. de Pœni. diff. 3. Orl. t. 1. Hist. l. 4. n 77.

Petes 11. An possit Pontifex decernere, vt aliquis ex Eminentissimis Cardinalibus esset Societatis Protector?

Respondeo AFFIRMATIVE; & Rodulphum quidem Pium Cardinalem Carpensem habuit etiam viuente S. Ignatio, tanquam protectorem, Societas; neque in Constitutionibus exponitur, quod societas Cardinali protectore carere debeat.

Causa autem istud decernendi hæ peculiariter recenseri possunt.

P. Vt magis obseruaretur talis Ecclesiastica Dignitas à Societate.

2. Vt haberent socij, ad quem confugerent: Cum enim Generalis habeat summam potestatem; potest facile illius gubernatio verti quasi in Tyrannidem, possuntque socij, qui sunt minùs grati Generali, ab eo vel ab alijs, qui apud ipsum possunt (licet cæteroqui sint admodum pij, ac honoribus digni) opprimi &c.

3. Vt magis exactè Pontifex possit fieri certior de statu Societatis; nam socij possunt quidem faciliùs, & longiori sermone agere cùm Cardinali, quam cum Pontifice.

4. Vt auctoritas Generalis rerum datur aliquantulum; timeri enim potest, ne si in dies augeretur ipsis Pontificibus aliquando molesta foret &c.

Petes 12. An posset Pontifex statuere, vt sexto, vel octauo, siue nono quoque anno cogeretur Congregatio Generalis.

Respondeo AFFIRMATIVE: quamuis enim p. 8. c. 2. §. 1. & p. 4. in fine c. 1. asseratur certis temporibus, nec crebrò, vel frequenter congregandam vniuersam Societatem, & Congregationes Generales sæpius decreuerint certis, ac statis temporibus illas haud celebrandas, vt Cong. 2. Dec. 19. Cong. 4. Dec. 7. Cong. 5. Dec. 30. & Cong. 7. Dec. 9. Attamen Congregationes Generales cognouerunt habere se auctoritatem ad id decernendum, nec id esse de substantialibus Instituti: Imò nec id dissonum menti s. Ignatij expressæ in Constitutionibus videri potest; nam loquens de Cong. Gener. p. 8. c. 2. §. 1. ait, *Illud in pri-*

c. 121. 241. 292. 410. & 412.

H mis

mis suppositum sit, quod non videtur in Domino præsentiarum expedire, vt certis temporibus, aut crebro fiat; & in Decl. ibi L.A. additur, *(cuiusmodi esset tertio, aut sexto quoque Anno, plùs, minùs*. Quare si modò post centum ferrè annos à scriptis Constitutionibus decerneretur, vt nono, vel octauo quoque anno illa indiceretur, haud Decretum istud dissonum videretur menti S. Fundatoris circa hoc expressæ: nec videtur vnquam fuisse mens S. Fundatoris, vt per triginta fermè annos protraheretur Congregationis Generalis conuocatio.

Rationes autem, quæ possent impellere ad id decernendum, istæ peculiariter recenseri queunt.

P. Quod in hac sententia fuerit B. Franciscus Borgia, in cuius sententiam primò inclinauit Cong. 2. vt patet ex Dec. 19. cuius hæc sunt verba. *Cum ageretur à R. P. Præposito de Congregatione Generali, An certis & Statis temporibus esset cogenda; visum est Congregationi eius sententiam sequi, quæ septimo quoque anno eam celebrandam esse censuit; hoc addito, quod si maior pars Prouincialium in septimo anno iudicaret, res graues non esse, Quæ tractari in Congregatione non debeant, differri possit in biennium, ita vt quoque nono ad summum celebrari debeat. Sed intercessum est*, &c.

2. Vt Generalis aliquando alteri intra Societatem se subditum agnoscat, & experientia illum doceat (si forsan sibi pro breui tempore minùs gratum esset, quod multa præsente Congregatione Generali facere non possit, quæ alioquin faceret, & faciendi potestatem haberet) compati cæteris omnibus, & maximè illis subditis, qui in consultis Superioribus nihil ferè agere possunt, toto fermè aliquando vitæ tempore.

3. Vt à Generali exigeretur ratio muneris; incredibile enim est, quantum detrimenti afferre possit Societati auctoritas tàm absoluta Generalis, qui non sit Vir admodum pius, ac prudens: potest autem facilè sibi Generalis ampliorem auctoritatem vsurpare, quam re vera habeat, si putet eorum, quæ facit in Societate, nullam à se rationem exigendam, maximè cum deesse non possint e Socijs adulatores aliqui, qui Generalis auctoritatem conentur amplificare.

4. Vt aliquando Societatis præcipui Patres se ipsos agnoscerent, agerent de communi bono Societatis &c. mirum enim est, quantum fouere possit mutuam caritatem mutuus aspectus; & quantum commodi importari possit Societati, si præcipui Patres simul tractent de remedio adhibendo alicui morbo, qui irrepere cæperit in societatem: Si autem ad multos annos protrahantur Congregationes, morbus reddi potest insanabilis &c.

5. Quia licet per secreta suffragia ad plura medietate decernatur à Congregatione Procuratorum, qui ad Generalem tertio quoque anno veniunt, an cogenda, vel non cogenda sit Congregatio Generalis: attamen

attamen facile impediri poteſt à Generali, ne decernant cogendam; etiamſi à Prouincijs omnibus, vel maiore parte Prouinciarum iudicatum fuiſſet eam cogendam: Cum enim ſufficiat ad decernēdum, quod illa non cogatur, maior pars ſuffragiorum; iam in hac Congregatione duo ſuffragia pro illa non decernenda habet Generalis, eſt autem fermè certum, quod Generalis etiam Aſſiſtentes, maximè ſi ſunt à Generali electi, pro nō decernenda illud ferent. Præterea Procuratores poſſunt à præſentia Generalis, & Aſſiſtentium, eorumque auctoritate, verbiſq; humaniſſimis, ac tacitis promiſſionibus, compelli ad ferendum ſuffragia pro Cong. Generali non cogenda; poteruntque afferere à ſe tuta conſcientia ſuffragium illud latum, eo quod conformauerint ſe ſenſui Generali, ac Aſſiſtentium, quibus ante cæteros eſt Societatis ſtatus perſpectus. Poſſunt etiam Generalis, & Aſſiſtentes aliquos homines e ſocietate primariæ auctoritatis ſibi peculiariter deuincire, ad hoc vt cum hiſce Procuratoribus, vel Romæ, vel alibi agentes illis ſuadeant non expedire præſenti ſocietatis bono illam cogere, vt quia v. g. talis Pontifex multa velet immutari circa gubernationem ſocietatis &c. & hoc præponderare cæteris incommodis, quæ paſſa eſſet ſocietas, quibus tamen Generalis in poſterum remedium adhiberet. Et ita fingi poſſunt plures cauſæ, quæ an veræ ſint, non poſſunt certò iudicare Patres, qui accedunt Romam, ibique paucarum ſpatio hebdomadarum morantur, maximè cum ſoleant nonnulli ex his pro more nationum eſſe ſimpliciores, quam qui in Italia, vel Romæ commorantur. *In For. Cong Procur. c. 85. n. 8.*

6. Quia fermè moraliter impoſſibile videtur, vt intra octauum, vel nonum annum non occurrat aliquid magni momenti, quod peculiari diſcuſſione indigeat Congregationis Generalis: & licet id non occurreret, certè exactiùs, cognoſceretur à Patribus Congregationis Generalis, quam à Patribus Procuratoribus, qui tertio quoque Anno accedunt Romam, *Quomodo ſeruentur Conſtitutiones, & Decreta Congregationum, & Regulæ; an Diſciplina Religioſa relaxetur; an in ſpiritu, & virtutibus proficiat Societas, an potiùs deficiat; Quomodo vnio animorum ſe habeat in Societate, & an graue aliquod periculum illius labefactandæ metuatur;* certiusque his & ſimilibus prouidebunt. *In For. Cong Proc c. 84. et 85. n. 7.*

7. Quia accidere poteſt, vt Congregationes Generales etiam vltra viginti, & amplius Annos differantur, eo quod Congregationes Prouinciales ipſæ ſtatuerint haud eſſe illis opus; cum enim Congregationi Prouinciali haud omnes profeſſi intereſſe debeant ex Dec 81. Con. 5. in hoc moderantis Conſtitutiones p. 8. c. 3. ac limitantis ad duas tertias partes profeſſorum, & non ſit neceſſe, vt hi ſint ex antiquioribus profeſſis; facile contingere poteſt, vt maior pars profeſſorum conſtetur ex iunioribus profeſſis, qui facile obſecundent voluntati Prouincialium, quorum opera promoueri cupiunt ad altiorem prælatu-

H 2 ram,

ram, vel in eadem dici detineri, timeantvè offendere illos, à quibus ad talem dignitatem eueĉti sint. Adde, quòd propter habendum suffragiũ de non cogenda Cõgregatione Generali possunt Prouinciales rem gratissimam Generali facere cupientes proponere Generali, pro superioribus Collegiorum plerumque saltem Iuniores, eosq; admittere libentissime poterit Generalis.

8. Quia Generales possunt arbitrari, nisi certum tempus statuatur, sibi fieri iniuriam, dum statueretur Congregationem Generalem indicendam, quasi ipsius causa detrimentum adeò notabile passa sit societas, vt illi remedium quoq; cum Assistentibus non possit afferre, ac societatem vniuersam minùs benè de ipsius gubernatione sentire.

9. Quod societas vniuersa magis perspeĉtum habere potest, quomodo mente, & corpore valeat Generalis; & si minus alterutro valere deprehenderit potest illa sufficiens adhibere remedium: experientia enim docere potuit, etiamsi Generalis propter senium esset remissus in rebus magni momenti, multumque detrimenti publicum bonum pateretur, nec Præpositos prouinciales (qui forsan decipi facilè possunt à Procuratoribus Romam accedentibus) cum approbatione duorum Præpositorum localium, vel Reĉtorum vniuscuiusque Prouinciæ pluribus suffragijs nõ elegisse Vicarium, qui Generalis officio fungeretur, nec Generalem elegisse sibi Vicarium, quemadmodum decernitur p.9.c.4.§.6. vel non nisi iam fermè mentis inopem sibi illum elegisse: Ex quo illud quoque incommodi potest societati importare, quod per plures annos societas habeat plures quasi Generales, totiusque societatis gubernationis onus sustineant homines parum etiam ad id apti quorum etiam sensum ipse Generalis sequi quasi cogatur.

10. Vt noui creentur Assistentes; vnde illi, qui iam funĉti sunt munere illo, mitti poterunt ad visitandas Prouincias.

11. Vt cognoscere possit Generalis ipse, quales sint Prouinciales, & ab his certior fieri de statu prouinciarum: Horum quidem conscientias præcipuè cognoscere tenetur ex p.9.c.3 §.19.

12. Vt primi isti societatis patres Apostolicam sedem identidem præsentes reuereantur (horum enim locus ordinariè debet esse Curia summi pontificis p.8.c.5. initio) & à Christi Vicario intelligere possint, quid in Ecclesiæ, & societatis Commodum ab ipsis præstandum sit &c.

Petes 17. An possit pontifex ipsemet conuocare Congregationem Generalem.

Respondeo affirmatiuè: posunt enim quoque eam conuocare Assistentes cum Prouincialibus, & Præpositis localibus ad plura suffragia p.8.c.2.§.2.l.C. iuxta ea quæ eliciuntur p.9.c.4.§.7.& c.5.§.6. Possunt eam conuocare Generalis, & Assistentes, & procuratores qui tertio quoque

quoque anno ad Generalem veniunt iuxta dec. 19. Cong. 2. ad plura suffragia ex Form. approbata in Congreg. 4. & iterum confirmata à Cong. 7. dec. 10. Potest quoq; Generalis ipsemet solus aliquando eam conuocare p. 8. c. 4. §. 1. c. 411.

Causæ autem quæ possent mouere pontificem ad eam conuocandam, hæ possent esse.

P.° Si cognosceret pontifex id expedire Ecclesiæ Bono; potest enim accidere, vt post dissolutam aliquam Congregationem Generalem intra breue tempus occurrat negocium pertinens ad statum Ecclesiæ Vniuersalem, vt si Pontifex perspectum haberet patres ex Congregatione Romæ habita in suas regressos Prouincias aliqua moliri aduersus ipsum pontificem eo quod ipsis haud ea, quæ opinabantur, beneuolentiæ argumenta ipsis exhibuerit, vel aliqua illis imperasset minus grata; posset enim pontifex in hoc casu iubere, vt Congregatio Generalis iterum cogatur ad puniendos huiusmodi homines, & ad excogitandum remedium, vt socij in posterum se magis obsequentes Romano Pontificis, studiososque Apostolicæ Sedis exhiberent.

2. Si id cognosceret expedire ipsius societatis bono; possunt enim occurrere res quæ magni momenti iudicentur à pontifice, & meritò, & tamen vt tales non iudicentur à Generali, vel alijs. Non solet autem Generali, & illis, qui habent apud eum auctoritatem, vel qui ab eo promoti sunt ad speciosa munera in Societate, esse grata conuocatio Congregationis Generalis.

3. Si experientia pateret procuratores, qui Romam accedunt tertio quoque anno ad decernendum, cogenda sit nec ne Congregatio Generalis, cum hi teneantur ex dec. 35. §. 14. Cong. 6. accipere informationem de statu societatis à Generali, & ab Assistentibus, imò & à Secretario præpositi Generalis, vt additum est in Form. Cong. procuratorum recognita, & aucta à Cong. 7. fuisse ab his, vel ab horum aliquo deceptos, vt si suggerent procuratoribus, ipsos certò scire, si conuocaretur Congregatio Generalis, futurum esse vt Pontifex imperaret aliqua societati congregatæ minùs societati salutaria; Multoque magis id præstare posset, si intelligeret procuratores hosce promissis, vel premijs allectos, vt Generalis hanc conuocationem haud necessariam esse censui adhærerent. c. 385. c. 84.

4. Si certò intelligeret Pontifex Procuratores vna cum Generali, & Assistentibus noluisse consentire communi vel communiori Prouinciarum Congregationem Generalem postulatium sententiæ, eo quod sibi suaserint, vel intellexerint velle pontificem vt aliqua ad societatis maximè Regimen spectantia à Congregatione Generali discuterentur &c.

5. Vt exploraret pontifex obedientiam præcipuorum societatis patrum, in hac enim Virtute hi excellere debent præ cæteris p. 4. c. 10. §. 8. &

§.8.& p.8.c.1.§.3.& si p.3.c.1.§.13.L.V. dicitur,conferet vt superiores aliquando occasionem præbeant ijs,qui probantur,exercendi obedientiæ,& Paupertatis Virtutem eosdem tentando ad maiorem ipsorum vtilitatem spiritualem eo modo,quo Dominus Abraham tentauit; vt specimen Virtutis.Suæ præbeant,& in eadem crescant; Conferre etiam poterit,vt Pontifex superioribus Primarijs societatis, & maxime Generali occasionem præbeat exercendi obedientiæ ipsi Pontifici debitæ Virtutem &c.

6. Si experientia pateret,plurimorum spatio annorum non conuocatam fuisse Congregationem Generalem, varijs artibus adhibitis, ne illa conuocaretur: Impossibile enim videtur, quod non occurrant aliquæ, saltem nouem, aut decem annorum spatio, res grauissimi momenti in Societate, (quæ mirum in modum aucta est numero)in Congregatione Generali discutiendæ.

Petes 14. An posset Pontifex decernere,vt Prouinciales, & Superiores locales ad reddendam rationem suorum officiorum adstringantur, declarando illis accusationes,quæ aduersus illos deferri solent;eorumq; defensiones audiendo,quo constare possit, quomodo illi in suorum munerum functionibus se gesserint,quemadmodum propositum fuit
c.293. in Cong.5.dec.37.

Respondeo affirmatiuè: tum quia iussit Clemens 8. vt Prouinciales visitentur,& de suo officio reddant rationem,siue per Visitatorem, siue per Prouincialem succesforem; quod statutum acceptauit Cong.5. vt
c.318. habetur dec.64 nec illi derogauit Bulla Pauli 5.edita anno 1606.die 4.Septembris: tum quia tenentur Rectores etiam Vniuersitatum vel Prouinciali, vel cui Generalis præscripserit reddere rationem administrationis p.4.c.2.§.5 c.10 §.2.& p.9.c.3.§ 4.& L.C.imò & à Prouincialibus ipsis posse rationem administrationis exigere Generalem apertè dicitur ibidem §.15.

De modo autem exigendi rationem à superioribus nulla mentio in Constit.est. Causæ autem quæ impellere possent Pontificem ad id iubendum, hæ possent esse.

P. Si experientia pateret prouinciales non obseruare regulas 17. quæ
c.162. reponuntur in c.14. Reg. Prouinc. multaque omittere ibi præscripta, vel cursim ac veluti per transennam visitare collegia, omnia ad superiorum nutum peragere, haud illos punire etiamsi deprehendant illos & non leuiter aliquando errasse illos contra id quod apertè statuitur
c.394. dec.37 Cong.6 §.7.querelas de Superioribus tanquam tentationes,& argumenta parum propensi in superiores immediatos animi reputare &c. non causas æris alieni contracti à Collegijs, vel Domibus non diligenter inquirere Prouinciales in visitatione contra id quod præcepit dec.82.Cong.7.n.8.vbi etiam additur, *nec patiantur* Superiores,quorum negligentia debitá creuerunt, sine pœnitentijs abire,moneantq;

Gene-

Generalem de talibus, si rei grauitas id postulauerit, à munere remouendis, nec sincerè exponi à Prouincialibus Generali peracta visitatione, An superiores sint spirituales, an suaues & fortes in gubernandi ratione, an politici, & an illo munere sint retinendi, an amouendi, vt illis iniungitur Instr. 2 1. pro visitat. Prou. n. 1 1. ac denique nullum fructum reportari ex visitatione Prouincialis, sed expensas nō mediocres illam ferme secum tantummodo ferre. c.111.

2. Si experientia pateret rarissimè mitti à Generali visitatores, qui exigant rationem à Prouincialibus administrationis Prouinciarum; & si quando hi mittantur, visitatorem accipere informationem de rebus gestis à Prouinciali non à viris spiritualibus, versatisque in rebus Prouinciæ, & sincerè loquentibus, sed ab illis, quos norunt esse peculiariter propensos in Prouincialem, à quo sunt promoti ad Prælaturas, Magisteria &c. Conari excusare apud Generalem perperam etiam facta à Prouinciali, vt possit Prouincialis, illiusque amicorum gratiam aucupari, & ab illis quandoque proponi Generali, tanquam idoneum ad succedendum in munere gubernandi illam Prouinciam.

3. Si experientia pateret plurimos ex vna gubernatione ad aliam promoueri, qui haud digni fuissent prima per triennium gubernatione, si obiecta contra illos examinata fuissent à Prouinciali; vel alij deputati siue à Generali, siue à Congregatione Prouinciali exegissent rationem administrationis.

4. Si experientia pateret ex eo quod superiores non compellantur ad reddendam rationem suorum officiorum, omnia fermè incommoda, & spiritualia, & temporalia societati importata fuisse; bona enim & mala capitis habitudo p. 10. §. 8. in vniuersum corpus redundat, & facile, vt addit P. Claud. in litt. de med. ad conser. societ. Cum enim superiores societatis multum potestatis habeāt, & inter cætera habeant facultatem dispensandi cum particularibus in Regulis, Ordinationibus, Decretis Congregationum Generalium, imo & ipsis constitutionibus ex Reg. 7. Prouinc. Reg. 11. præp. & 10. Rect. multoque magis hæc resideat in Generali ex p. 9. c. 3. & præcipuè §. 8. nisi cogantur reddere aliquando rationem administrationis modo aliquo præscribendo à Pontifice, fieri potest vt societatis Corpus grauissimos experiatur morbos propter superiorum vel nimiam indulgentiam, vel nimium rigorem, vel inconsideratum regendi modum &c. Certè si cognoscerent superiores à se factorum exigendam esse rationem a Viris omni exceptione maioribus ad id deputatis, magis considerate multa agerent, decernerentque, & à multis abstinerent. c.198. In R. Reg. c. 11.74 et 94

5. Si certò intelligeret Pontifex multos e societate appetere Prælaturas societatis, & quasdam adhibere artes, vt illas assequantur, licet cęteroqui ineptos, aut parum aptos ad gubernandum, eo quod sciant, quicquid ipsi egerint vel dissimulandum à superioribus, vel facilè à se

excu-

excuſandum, vel etiam approbandum à Prouincialibus, quorum gratiam aucupari maximè conabuntur &c.

6. Si certò cognoſceret Pontifex superiores societatis futuros magis ſollicitos in exquirenda Conſultorum ſententia; illaque amplectenda, cui maior, ſaniorque pars Conſultorum adhæſiſſet.

Petes 15. An poſſet pontifex iubere vt secretarius societatis non à Generali, ſed à Congregatione Generali eligatur, & in caſu mortis eligatur eodem modo quo in ſimili caſu eligitur Asſiſtens, & Admonitor.

Reſpondeo affirmatiuè; licet enim p. 9. c. 3. §. 16. dicatur Generalis eſſe societatis secretarium conſtituere; attamen etiam p. 8. c. 3. §. 1. dicebatur, vt ij cum Prouinciali venire poſſent ad Congregationem Generalem, quos Generalis ipſe, aut eius nomine prouincialis elegerit; & huic Conſtitutioni derogauit Cong. 4. dec. 37. & 39. ſtatuens vt ſemper fierent Congregationes prouinciales ad eligendos eos, qui ad Generalem venturi eſſent, & non relinqueretur liberum, vt Generalis, vel Prouincialis eos nominaret. Multo ergo magis poterit Congreg. Generalis hanc facultatem adimere Generali ſtatuens vt in secretarij electione eodem modo procedatur ſicuti in electione Asſiſtentium, vel Admonitoris.

Cauſæ autem ad id iubendum hæ peculiariter recenſeri poſſunt.

P. Quia secretarius eſt vnus e præcipuis officialibus Generalis, qui ex p. 9. c. 6. §. 8. debet induere præpoſiti perſonam, & præter poteſtatem totum officij eius pondus humeris ſuis impoſitum eſſe debet; & ex §. 9. in primis debet eſſe Vir, cui confidenter quiduis committi poſſit; & cum plurium notitiam habeat ad societatem vniuerſam ſpectantium, quam quilibet Asſiſtens, valde æquum eſſe videtur, vt à tota eligatur societate; societatē etiam magis diliget, ſi ab ea aligatur, quam ſi à Generali eligatur.

c.344. 2. Quia iam à Cong. 4. dec. 13. secretarius societatis habuit, vt ſi ſit Profeſsus quatuor Votorum admittendus ſit ad prouincialem Congregationem cum ſuffragio actiuo, & pasſiuo in quocumque caſu illa cogatur, & ſine excluſione Profeſsi qui intra numerum ſtatutum à
c.325. & c. 366. Cong. 5. dec. 60. contineretur iuxta declarationem Cong. 6. dec. 25. n. 12. Habuit quoque ab eadem Congregatione, vt poſt electionem præpoſiti admittendus ſit ad Congregationem Generalem cum iure ſuffragij ad alia omnia, quam ad Asſiſtentium electionem. Habuit etiam ab illa, vt informationes tam pro præpoſito Generali, quam pro Asſiſtentibus, & Admonitore eligendis, in quatriduo ab eo, ſicut ab alijs capi poſsent. Habuit à Cong. 7. vt procuratores, antequam Romę faciant Decretum de cogenda, vel non cogenda Congregatione Ge-
c.86. nerali, ab ipſo teneantur petere informationem, vt habetur in fine n. 6. Form. Cong. Procur. Habuit à Cong. 4. non ſolùm ius ſuffragij ad ele-

ctionem

ctionem Admonitoris Generalis, verum etiam in dissolutione Domus vel Collegij ex dec. 27. in quo eadem Cong. reuocauit partem dec. 23. in qua censuerat secretarium in hoc casu non habere ius suffragij nec illis tradendum videri Habuit à Con.6.dec.27.vt Assistens electus extra Congregationem Generalem coram ipso quoq; debeat præstare iuramentum, de quo in Form. Congr. Generalis. Cum igitur hæc obtinuerit Secretarius à Congregationibus Generalibus, iamque in Solemnioribus quibusdam diebus in mensa, & in pluribus publicis actibus immediatum locum obtineat post Assistentes, ac in digniori loco contideat, quam Prouincialis ipse Romanus, par videtur esse, vt si Vniuersæ Societatis secretarius est, & societatis statum optimè perspectum habere debet. ab ipsa Vniuersa societate per Congregationem Generalem repræsentata eligatur. c.253. e 250 c.370. c.8.n.85.e47

3. Si experientia pateret à Generali non raro eligi ad illud munus homines parum aptos, ac dignos vel digniores eo munere à Generali omitti; illudque in primis attendi à Generali, vt sibi amicissimo illud demandet; de cæteris verò requisitis in secretario à Const. p.9. c. 6.§.8.& 9. parum laborare. Et cum Generalis maximè vergens in senectutem aliquam partem suæ potestatis illi tradere compelli possit, vel etiam tunc secretarius possit eam sibi vindicare ab amico Generali; hinc fieri potest, vt multa damna importari possint Societati à secretario, qui non sit maximè versatus in sociorum moribus, quos perspectos habuerit practicè in aliquo regimine, vel qui priuato affectu erga nonnullos, & non Vniuersali erga societatem, à qua ad tale munus non est electus, ducatur.

4. Si experientia pateret, secretarium electum à Generali, cuius præsens est potestas, & auctoritas, & à quo se multum diligi suadere sibi potest, velle sibi de officio Assistentium aliquid sibi assumere, nec eos, vt par esset, reuereri.

Petes 16. An posset Pontifex inducere Chorum in societatem.

Respondeo affirmatiuè: Tum quia hunc indixit societati Paulus 4. per Cardinalem Neapolitanum anno 1558. die 8 Septembris, & die 29. Octobris in Romana, & Olisipponensi Domo cantari cæptum est ad omnes horas; in Collegijs verò Dominicis, festisque diebus Missæ, Vespertinæque praeces cantari cæptæ, vt habetur t. 1. Hist. Soc. lib. 1 n. 64. & 84 & licet cantus intermissus fuerit in Domibus, & Collegijs, vbi anno insequenti defunctus est die 18. Augusti idem Paulus ex 3. lib. n. 30. eo quod Pauli 4. edictum mandati simplicis vim solùm obtinere iudicatum sit; attamen Pius 5. amantissimus enimuerò societatis Pontifex, vt patet ex compluribus priuilegijs, & gratijs societati concessis, iterum illum in societatem induxisse fertur: Tum quia à Cong. 1. dec. 39. concessum est, vt licet Constit. p.6. c.3.§.4. L.B. dicant, Vesperas cantari posse, non item Missam, ex grauissima tamen c.40.

I causa

causa Dominicis Diebus,& Festis posset dispensare, vt missa cantaretur: Cum autem inductus esset in aliqua loca Cantus Missæ, & Vesperarum Cong. 2. dec. 17. commisit Generali, vt si inutilis ad finem Instituti societatis, & proximorum ædificationem videretur, vel deessent, qui bene id munus præstare possent, eum posset reuocare, ac prohibere, si ita ipsi visum fuisset conuenire: & Cong. 3. dec. 36. vniuersaliter commisit iudicio, & arbitrio P. Generalis dispensationem, præsertim inter hæreticos, & infideles, quoad inductionem, retentionem, modum & qualitatem cantus in Ecclesijs societatis: Tum quia in Domorum professarum Ecclesias cõplures saltem inductus est iam cantus Missarum, & non solùm Vespertinarum præcum: imò in plurima Collegia inductus est cantus Vespertinarum precum, etiamsi non habendæ sint post illas Conciones, vel Lectiones: Cum tamen Constit. p. 6. c. 3. §. 4. L. B. apertè dicant eas cantari posse quatenus iudicaretur, quod populus ad magis frequentandas Confessiones, Conciones, & Lectiones moueretur & non aliter. Tum quia nec id ex substantialibus Instituti est, licet in Formula Instituti Paulo Tertio, & Iulio Tertio proposita, quod socij Præsbiteri, siue in sacris constituti non teneantur ad dicendum Officium Communiter, vel in Choro: quod etiam confirmauit peculiari Bulla Greg. 13. anno 1573. die vltima Februarij: Neque enim vt substantiale Instituto societatis agnita est ablegatio Chori ab vlla Congregatione Generali: Imò cum illæ tribuerint Generali facultatẽ dispensandi circa id quod habetur ea p. 6. c. 3. §. 4. & L. B. signum est, esse meram Constitutionem, quod non sit in societate Chorus. Certè si ablegatio Chori à societate iuxta præscriptum à Constitutionibus, esset quid substantiale Instituto, nemo negare posset e socijs, quin à nascente etiam societate ipsa societas in aliquo e substantialibus defecisset; & sicuti in hoc propter nouas apparentes causas dispensauit societas, ac Pontifex etiam, modo etiam posse dispensare societatem, & multò magis Pontificem cum grauiores modo occurrere posſint rationes talem suadentes dispensationem.

c. 119. c. 138. c. 14. & 67.

Causæ autem, quæ id suadere posſent Pontifici, hæ peculiariter numerari posſent.

P.ª Quia ex vna parte Religiones omnes etiam illæ, quæ ex peculiari Instituto animarum saluti procurandæ vacant Chorum amplectuntur; & ex alia non hoc tempore saltem militant rationes, quæ impulerunt Pontifices ad hanc exemptionem societati præter morem Religiosorum omnium in communi viuentium concedendam: Nam P.° s. Ignatius p. 6. c. 3. §. 4 censuit socios non vti Choro ad horas Canonicas, vel Missas, & alia Officia decantanda, Quoniam, inquit, occupationes, quæ ad animarum auxilium assumũtur, magni momenti sunt, ac nostri Instituti propriæ, & valde frequentes; cumque alioqui nostra habitatio tam sit in hoc, vel in illo loco incerta. Iam verò paucissimi

ſimi e ſocijs verſantur in Miſsionibus, multi e ſocijs ſacerdotibus diebus maxime ferialibus ocioſi ſunt, & occupationes in auxilium proximorum non ſunt admodum frequentes, & multæ etiam ex illis poſſunt Chorum ſecum compati. Tempore quidem s. Ignatij, cum non eſset in Eccleſia tot Religioſi Ordines, qui in ſalutem proximorum incumberent, & eſse ſociorum exiguus numerus, ex quibus non pauci etiam verſabantur in Miſsionibus, qui in Domibus vel Collegijs habitabant, plura officia ac miniſteria in auxilium proximorum obibant; Quare Choro vacare non poterant: Modò autem mirificè amplificatus eſt ſociorum numerus, imminutæ ſunt occupationes, extinctus eſt in plerisque Caritatis feruor, qui vires etiam naſcentis societatis Patrum Corporibus, ne dum animis ſuggerebat. Hinc illæ P. Mutij In litt. ad Patres Cong. Prouinc. datis anno 1619. die 7. Martij querelæ. *Eſt etiam, qui, ſi velit, duorum inſtar eſſe queat; ſed ne ſibi incommodet, ne vnius quidem partes expleat. Hinc porro fit, vt cui muneri olim ſatis forent quatuor, ne viginti quidem, vt ſunt hæc tempora, fortaſſe ſufficiant. Certè cum ipſe mecum reputo, quid illi Primi Decem Patres effecerint; quid alias item hæc ſola Profeſſa Domus Romana cum operarum numero ſanè per exiguo, digna res mihi prorſus videtur, in qua omnes erubeſcamus, vt verè operit faciem meam confuſio.* 2. Greg. 13. anno 1573 die vltima Februarij hæc habet in Bulla qua approbat, & de nouo cōcedit facultatem ſocijs recitandi horas Canonicas extra Chorum. c. 445. c. 136.

Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ſocijs prædictis, vt horas canonicas ſinguli, & priuatim iuxta vſum Romanæ Eccleſiæ, non autem communiter, ſeu in choro, recitare teneantur, quo acrius ſtudijs, lectionibus, & prædicationibus intendere poſsint. Iam verò hanc exemptionem potius inſeruire alendo ſociorum otio experientia patere poteſt: Quare finis, quem intenderunt Pontifices in concedendo tali priuilegio videtur iam poſitiuè ceſsaſse. Præterea, vt acrius ſocij ſtudijs, lectionibus, & prædicationibus intendere poſsent, ſatis eſset modo ſi in ſeminarijs, in quibus ſcholaſtici ſocij addiſcunt Philoſophiam, Theologiam, aliasque facultates, chorus tantum haberetur Dominicis, feſtisq; diebus, lectores ſiue Magiſtri actuales, & côcionatores tēpore Quadrageſimæ & alijs diebus, in quibus cōciones habēt, à choro eximerentur; vel illæ exēptiones à choro cōcederentur ſocijs, quæ à Religioſis Ordinibus, qui cæteroqui obſeruātes cenſentur, & incumbūt in ſalutem animarum procurandā, quales ſunt, vt de reliquis ſileam, Ordo Prædicatorum, & Ordo Clericorum Regularium vulgo Theatinorum, ſcolaſticis, Lectoribus, & Prædicatoribus concedere ſolent. Imò cum ex ordinibus maximè Mendicantibus plurimi prodierint viri in omni ſcientiarum genere illuſtriſsimi, ſapientiſsimi Lectores, atq; Prædicatores egregij poſtremis etiam hiſce temporibus, ne dum in earum Religionum exortu, licet ex Inſtituto omnes recita-

uerint ſemper, recitentque in choro canonicas Horas; argumentum
ferme eſt euidens ſcientiarum ſplendorem non optenebrandum à
recitatione canonicarum Horarum in choro.
2. Quia non ſatis aptè, vel prudenter dici à nonnullo videtur aliqui-
bus: Quod ſi induceretur chorus in societatem, in animarum ſalute
procuranda ſollicitudo diminueretur in socijs exiſtimantibus intro-
ducto choro ſatis eſſe præſtitum; multæ exemptiones à choro multis
eſſent concedendæ, tota diſciplinæ Societatis ratio domeſtica euer-
tenda eſſet: Nam P. eſſet vitium sociorum, ſi inducto choro minorem
in proximorum ſalute procuranda ſollicitudinem adhiberent; adeo-
que cum ſe parum in Virtutibus profeciſſe oſtenderent, maior in illis
perfectio curanda eſſet: Imò potius e contra contingere poſſet, vt ex
publica Officij recitatione in choro alacriores socij ad ſalutem pro-
ximorum procurandam procederent; neque enim negari poteſt, quin
cantus in Eccleſijs (maximè ſi ſit deuotus, ſuauis, & ſimplex, qualem
c.188. sociorum cantum requirunt conſtit. p. 6. c. 3. §. 4. L.B. habetque Dec.
36. congreg. 3.) excitet ad pietatem, & amorem erga Deum; qui quo
maior erit, eo etiam maior exiſtet in proximos amor. Adde, ſi hoc ar-
gumentum prohaberet, probare poſſet haud fuiſſe inducendam a B.
Borgia horam integram orationis præter tempus vtriuſque exami-
nis, cum conſtit. p. 4. c. 4. §. 3. ſemihoram tantùm deſignent, nihilque
c.69. illi addendum cenſuit etiam con. 1. dec. 97. & tamen conſuetudinem
c.240. vnius horæ integræ orationis, tanquam piam, ac ſalutarem retinen-
c.373. dam eſſe congreg. 4. dec. 5. ſtatuit. Non fuiſſet etiam decernendum à
cong. 6. dec. 29. §. 2. vt omnes quotannis vacent spiritualibus exerci-
tijs per octo, vel decem dies continuos omni occupatione ſepoſita ita
vt neque negotijs, neque confeſſionibus eo tempore diſtineantur, vt
c.431. habet cong. 7. dec. 25. §. 4. non fuiſſet ab eadem cong. 7. eo dec. §. 3. fe-
renda lex, vt in poſterum ante examen veſpertinum quadrans integer
ſupereſſet, quem ſinguli, vt præfinitum ſibi tempus lectioni spirituali
impendant &c. non fuiſſet inducenda, & retinenda conſuetudo, vt
quotidie omnes ſimul recitent Litanias Sanctorum cum Præcibus, &
Aue Maris Stella; nec vt in plurimis collegijs canerentur Veſpertinæ
Preces, & aliquando etiam Miſſæ. 2. Non aliæ exemptiones conce-
dendæ eſſent a choro præter iam dictas, niſi in aliquo extraordinario
caſu, vt fit etiam in Religionibus obſeruantioribus. 3. Dato etiam,
quod perturbaretur iam cõſueta ratio domeſticæ diſciplinæ, id haud
tanti eſt ponderis, vt commune societatis, & Eccleſiæ bonum præua-
lere non debeat. Attamen videri poteſt illa adhuc leuiter perturban-
da. Nam hora, quæ Orationi iuxta cõſuetudinem inductam a B. Bor-
gia impendenda eſt in dies ſingulos poſt mediam horam à ſigno ex-
citationis matutinæ impendi poſſet recitando Matutino cum Laudi-
bus; & quod ex hora ſupereſſet tempus (neque enim dubitari poteſt,
quin

quin sæpè Matutini cum Laudibus recitatio horam integram attingeret, cum cantus sociorum deberet esse deuotus, suauis, ac simplex) impendi posset orationi mentali: Cui speciale tempus diebus festis omnibus dicari posset, sicuti de facto sæpius in hebdomada æstiuis mensibus peculiare tempus, quod cæteroqui in studijs insumendum esset, designatur à prandio pro perficienda integra orationis hora, quæ matutino tempore non potuit perfici cum scholastici eunt tunc ambulatum. Cum verò tempus etiam modo à fine scholarum vsque ad Mensæ signum complectatur tres quadrantes, eo spatio Horæ possent recitari; & quod superesset temporis impendi poset examinandis conscientijs. Dato autem signo pomeridianarũ scholarum media circiter hora impendi posset in recitatione Vesperarum, & completorij. Quæso quænam grauis hinc domesticæ Disciplinæ perturbatio? 3. Vt vitaretur otium à socijs tùm in Domibus, tum in Collegijs; quod quidem habere locũ noluit in socijs tanquã malorum omnium originem s. Ignatius p. 3. c. 1. §. 6. qui p. 4. c. 1. §. 6. addit Rectoris esse curare, vt cum tempus vacuum fuerit, vtiliter illud diuino seruitio subditi impendant. Ac irrepsisse autem otium in societatem patere potest 1 ex ipso P. Claudio in litt. de medijs ad cõseruandam societatem datis anno 1587. die 27 Martij; vbi sic habet. Et profectò, vt verè dicamus, res est comiseratione digna, nec sine scrupulo, quod operarij ad res maximas pro animarum salute idonei, sed eant totos annos vni alicui sedi affixi paucarum fœminarum confessionibus occupati, quæ illuc ex sua tantum particulari deuotione ter, quaterue in hebdomada ventitant &c. & in litt. de Iubilæo, & Missionibus datis anno 1590. die 12. Maij sic loquitur. Illud autem per amorem Dei aduertamus, quam seueram à nobis Dominus rationem repetet, si vota nostra, litterarum studia, tot labores in informandis operis, & necessario commeatu cogendo tolerati, post modum angustis parietum nostrorum finibus coerceantur, tribus aut quatuor mulierculis omnem operam impendendo &c. 2. Congregatio Prouinciæ Romanæ anno 1590. proposuit ad vitandũ operariorum sacerdotum otium occupationes varias, in quibus illi cum fructu exerceri, & tempus vtiliter collocari possint. Quas P. Claudius approbauit, ac reponuntur in lib. Instructionum vniuersæ societati communium. Inter cætera autem ibi n 2. dicitur; Bonum est, vt nostri sacerdotes paulò magis delectentur studijs, tum ad otium vitandum, tum propter vtilitates, quæ consequuntur. 3. P. Mutius in litt. de Oratione &c. anno 1617. die 2. Ianuarij hæc habet. Et sanè dedecoris plena res esset, si ex societate aliquis (soboles tandem Patrum, quibus Deo mundos ipsos totos lucrari perparum videbatur) satis sibi faceret, multumque sanè præstare se duceret, dum collegio, Domoue in aliqua non incommodè degit, ijsque triginta plus minùs mulierculis bis terue per hebdomadam

c. 105.

c. 163.

Instr 4 c. 24.

c. 104.

dam confitentibus aures præbet. Quam autem multi sint, qui paucio-
rum etiam mulierum confessionibus contenti sint, patere potest expe-
rientia. 4. Idem P. Mutius eodem anno die 4. Ianuarij ad superio-
c.433. res scribens hæc habet; Omni ope, atque opera contendant, vn cun-
ctos pro singulorum viribus, dotibusque, satis, fructuoseque habeant
occupatos; neminem ad otium, vel quietem aspirare permittant. Et
quæ vtilior occupatio ad vitandum ocium excogitari potest, quando
ministerijs spiritualibus in auxilium animarum satis modo in tanta
multitudine sociorum occupari non posśunt, vel nolunt socij, quam
laudes Deo occinere in choro? Certè si chorus diceretur à socijs in-
ductus fuisse in Religiones, quæ ministerijs spiritualibus in auxilium
animarum vacant, ad vitandum ocium plurium talium Religioso-
rum; non est, cur ad idem vitandum in Societate non posśit, imò &
debeat induci chorus modò in societatem.

4. Si experientia pateret sacerdotes non nisi (vt præcipitur illis Reg.
Iul.R.c.191 2. Sacerdotum) Diuinum Officium attentè, deuotè, & opportuno tē-
pore recitare; sed potiùs Sacerdotes ita se pati obrui negotijs, vt ad
horas valdè importunas proprium hoc munus reijcere cogantur, a-
deo vt præueniendi, postponendiue facultas indulta necessitati, vel
tempestiuæ feriarum rerum tractationi oscitantes eos reddat, minus-
uè sollicitos; eos Officium persoluere, quasi pēsum aliquod indifferēs,
aperto loco, & salutationibus, alijsque distractionibus valde peruio;
nec Psalmorum maximè affectus conari illos exprimere &c contra id
c.351. quod monuit P. Claudius in litt. ad Prouinciales datis anno 1612. die
24. Nouembris de Officij Diuini recitatione; Qui addit etiam, maio-
rem procul dubio à socijs diligentiam adhiberi necesse esse; vt reue-
rentia illa, quam ipse chorus, ipsa Ecclesia, & communis multorum
consociatio, ipsæ quoque cærimoniæ æternæ conciliant, prēsidijs alijs
ita compensetur, vt quod hinc deest, aliunde suppleatur. Si, inquam, id
non præstaretur à socijs, sed potius Diuini Officij recitatio habentur
communiter à Sacerdotibus inter occupationes minoris momenti, &
cuius recitationi opportuno tempore præferenda esset confabulatio
inter ipsos socios, vel ad ianuam cum externis, vel in Ecclesia cum
mulierculis; nonne pareśset, vt Pontifex omnino iuberet, Horas cano-
nicas à sacerdotibus persolui in choro? Certè si S. Ignatius diceretur
existimasse, recitationem Diuini Officij priuatum apud socios fore
cum maiori fructu, quam si publicè in choro recitaretur, & ex hac e-
tiam causa voluisse vt priuatim recitaretur officium ab ijs, qui essent
sacris initiati; cum iam cōtrarium potius euenire demonstrare queat
euentus, videri potest S. Ignatius potius iussurus modò, vt illud publi-
cè in choro recitaretur, si modo in humanis degeret.

5. Si experientiæ pateret socios minùs laudare Psalmodiam in cho-
ro, & excogitare ad id aliquas rationes, licet illam amplexi fuerint, &

ample-

amplectantur Viri ſanctiſſimi, ac Doctiſſimi omnium ferme Religionum, multiſque laudibus ea à Sanctiſſimis, ac Doctiſſimis Viris celebrata fuerit, atque celebretur; dictitare eam eſſe actionem hominum otioſorum, & ſi quando in aliquo ordine deputato miniſterijs ſpiritualibus chorus introductus fuit, cauſam videri fuiſſe, vt inepti ad alia miniſteria ſpiritualia in Canendis canonicis horis occuparentur; hoc enim apertè eſſe mendacium oſtendit inter cæteros illuſtriſſimus pietate, ac doctrina Prædicatorum Ordo, in quem S. Dominicus Chorum ab initio inuexit, illique vacare ſuos Religioſos ſumma cum diligentia voluit. Non immerito quidem mirarentur multi, ſi Religioſi ſocietatis conſuetudinem canendi Horas Canonicas in Choro non laudarent, aut in nullo præcio haberent; nam accedere viderentur ad Hæreticorum mores, qui Pſalmodiam in Choro, quæ ab initio naſcentis Eccleſiæ in illa ſemper viguit, vituperant. Par quidem eſſent vt hic ſenſus de Choro ablegaretur tūc è Societate introducto illo, diſcerentque Socij periculo proprio eſſe magis cautos in loquendo, & multo magis in ſcribendo.

6. Si experientia declararet ſocios communiter parum eſſe ſtudioſos orationis mentalis, & horam, quæ iuxta conſuetudinem inductam a B. Borgia mentali orationi impendenda eſt, in alijs rebus, ſiue occupationibus, vel cogitationibus inſumi; Oratio enim vocalis tunc eſſet omnibus præſcribenda, quæ ab omnibus publicè haberetur; nulla autem ſuauior, vel fructuoſior videtur poſſe socijs præſcribi, quam Horarum Canonicarum recitatio, quæ cum maiore ſui parte Pſalmis conſtent ſi vel mediocri præuia animi præparatione recitare ſtuduerint, non dubitandum, quin mirabiles effectus experturi ſint, cumque ſpiritualem mentis paſtum probaturi, vt nunquam Officij longitudo ſatietate eos afficiat; ſemper autem eiuſdem iucunda varietas ſpirituali dulcedine perfuſos dimittat, vt habet P. Claudius in litteris de Officio Diuino. c.335.

Petes 17. An poſſit Pontifex iubere, vt omnes in eumdem locum orationis, vel examinandæ conſcientiæ cauſa conueniant.

Reſpondeo affirmatiuè: tum quia contrarium non exprimitur in conſtitutionibus: tum quia licet Cong. 1. dec. 98. reſponderit, ſimul non eſſe orandum; Cong. tamen 4. dec. 69. declarauit, cum Nouitijs in oratione ante cænam diſpenſari poſſe in illo Decreto Cong. 1. vbi Præpoſitus Generalis expedire iudicauerit: tum quia iam à compluribus annis inducta eſt vniuerſalis conſuetudo in ſocietatem, vt omnes ſocij quotidie poſt recreationis horam vel à prandio, vel à cæna ſimul conueniant ad recitandas Sanctorum Litanias cum Præcibus, &c. c.70. c.268.

Cauſæ autem, quæ poſſent ſuadere Pontifici vt id iuberet, hæ poſſent numerari.

P.[a] Si experientia declararet, non obſeruari Reg. 2. excitatoris, qua

iube-

iubetur, Quarta horæ parte ab excitatione elapſa cubicula rurſus in-
In l. R. 158 uiſere, ac ſi quos nondum ſurrexiſſe comperiat. Superiori nunciare; adeoque fieri vt dato Orationis ſigno multi adhuc nõ ſurrexerint, vel induant ſe veſtibus, vel ſint extra cubiculum; & perconſequens etiam vel omittatur oratio, vel deuertetur tempus orationi deputatum: Si autem omnes in vnum locum conuenire debeant ad orationem pro tali tempore, maior ſollicitudo adhiberetur enimuero, vt tali loco tunc adeſſent, ac Superiores magis eſſent certi, quod ſocij orationi vacarent toto præfixo tempore, excitaretq; alios exemplum illorum, qui præfixo tempore adeſſent.

2. Si experientia pateret non multum iuuare ad hoc vt tempus integrum orationi, & examini bis in dies ſingulos præſcriptum inſumatur, quod ſit vir fidus, quotidie etiam obſeruans ex dec. 25. Cong. 7.
c. 430. § 1. num omnes vacent orationi, & examini conſcientiæ, etiamſi aliquando id munus obeat ipſemet Superior, vel Miniſter, vt Reg. 50. Præp. & 47. Rect. habent, & non teneatur idem tempus in viſitando,
c. 84 & 103 vt idem Decretum habet; ſed vbi præterijt Viſitator, multos ex orationis loco ſurgere, vel in alijs occupationibus ſemet exercere &c.

3. Si experientia declararet, multos e ſocijs non ſolùm, vbi præſentiunt Viſitatorem, ſe collocare in loco orationi deputato, ſtatim verò vbi ille præterijt, ab eo recedere, ſtudioque operam nauare &c. verum etiam ſi quando a Viſitatore referatur Superiori, quod in lecto, vel extra cubiculum deprehenſi fuerint, inuehere in Viſitatorem, acerbiſque illum mordere vocibus; vnde fiat vt munus iſtud Viſitatoris omnes fermè ſubterfugiant, vel nequeat demandari niſi Viris ineptis.

4. Si experientia demonſtraret multos in priuato cubiculo orantes inambulare, vel ſedere, nec eum corporis habitum præſeferre, quem videtur exigere mentis eleuatio in Deum, & ad Deum.

5. Si experientia declararet facilius obtineri, vt nemo orationis, & examinis tempore ad portam, vel Eccleſiam euocaretur ſine expreſſa ſuperioris facultate: & ſi quis in templo fuerit, vel ad oſtium Domus cum externis colloquatur, audito examinis ſigno (niſi aliud grauitas
c. 430. et 431 negocij, aut perſonæ depoſcat) audito examinis ſigno ad cubiculum ſe recipiat; quemadmodum ſtatuit Cong. 7. dec. 25. §. 2.

6. Si ſperaretur, quod ſuperiores ipſi, qui certè intereſse deberent rationi, & examinibus conſcientiæ in publico loco habitis, in poſterum futuri eſsent magis orationi dediti, quam modò ſint. S. quidem Ignatius non ſolum initio c. 2. p. 9. hæc ſcribit, Inter dotes varias, quibus ornari Præpoſitum Generalem optandum eſt, omnium prima hæc erit: vt cum Deo, ac Domino noſtro quam maximè coniunctus, & familiaris, tam in oratione, quam in omnibus ſuis actionibus ſit; & c. 6. §. 1. L. A. orationem in eo aſſiduam commendat: verum etiam p. 4. c. 10. §. 5. ait, Rectoris officium erit, in primis oractione, & ſanctis

deſide-

deſiderijs totum Collegium velut humeris ſuis ſuſtinere; Quæ verba reponuntur in Reg. 2. Præp. & in Reg. 1. Rect. Hinc P. Claud. ſtatuit, vt qui in ſuperiores eliguntur, antequam ſuperioris officium iniant, ſeſe ad dies aliquot ſpiritualibus exercitijs recoligant: & Cong. 6. dec. 29. nominatim commendauit ſuperioribus annuum ſpiritualium exercitiorum vſum per octo vel decem dies continuos. Ex qua recollectione tum ſuperiorum, tum reliquorum ab ea Congregatione præſcripta copioſior fructus ſine dubio haberetur, ſi intra terminum quindecim vel viginti circiter dierum Omnes ex eodem Collegio, vel eadem Domo, vacare deberent huiuſmodi exercitijs ſpiritualibus, & ad horas præſcriptas in vnum locum ad orationem, aliaſq; pias functiones omnes conuenirent. Si enim intermittatur etiam viſitatio horum, qui vacare dicuntur exercitijs ſpiritualibus, conſueta tempore orationis, & examinis, facilè contingere poteſt, vt hoc tempore (ne dum alio, in quo iuxta id quod præſcribitur ab exercitiorum ſpiritualium libro orationi vacare deberent) deputato ordinariè orationi, & examini in lecto decumbant illi vel alijs occupationibus detineantur illi, qui dicuntur vacare exercitijs ſpiritualibus. Quare non mirandum eſſet, ſi paruus, aut nullus fructus ſpiritualis ex ea recollectione exiſteret nullus equidem ſanæ mentis dubitare poteſt, vt arbitror, quin ſi præciperetur à Pontifice socijs, vt tempore orationis, & examinis ſimul omnes vnum in locum conuenirent, plurima afferrentur commoda ſpiritualia ſociorum animis, & maximè Scholaſticorum: Qui ſi in hoc negligentes fuerint, facile rerum ſpiritualium periti, ac magiſtri ſuſpicabũtur, facile eos labi poſſe in grauia peccata etiam caſtitati oppoſita; Quod videtur innuere etiam P. Mutius in litt. ad Patres Cong. Prouinc. anno 1619. die 7 Martij datis.

In I. Reg. c. 73 & 92.

In I. Ord. c. 1, n. 6. c. 11.

c. 373.

c. 444.

Petes 18. An poſſet Pontifex iubere vt in dimittendis ſcolaſticis, & coadiutoribus ſpiritualibus formatis formula Iudiciaria ſeruaretur. Reſpondeo affirmatiuè; licet enim daretur inter ſubſtantialia Inſtituti societatis reponendum eſſe hoc, *non eſſe neceſſarium*, vt in dimittendo forma iudicialis ſeruetur, vt declarauit Con. 5. dec. 58. attamen cum Greg. 13. in fauorem societatis ipſius anno 1584. die 25. Maij reddiderint eos qui emiſerunt tria vota ſimplicia, ante dimiſſionem à societate, ad contrahendum matrimonium inhabiles; cum tamen antea hi licet peccarent vxorem ducentes, contractus tamen matrimonij validus foret, vt liquet ex ipſius etiam societatis ſenſu declarato in Cong. 1. dec. 94. & in Cong. 2. dec. 63. & in eadem etiam Bulla ſtatuerit, in his votis ſimplicibus non poſſe quemquam diſpenſare, præter Romanum Pontificem, cum tamen ab initio societatis conſueuerint Nuncij Apoſtolici diſpenſare in huiuſmodi votis ſimplicibus quę emittuntur poſt biennium probationis, vt clarè apparet ex dec. 142. Cong. 1. cum enim propoſitum fuiſſet, An ex-

c. 323.

c. 68. & 143

In Bu. c. 237 & 236.

c. 92.

pediret petere à Summo Pontifice, vt Nuncij Apostolici non possint dispensare in talibus votis, Responsum est à Congregatione petendum videri, vsum tamen eius gratiæ, si obtineatur, penes Prepositum fore; & cum nouas facultates impetrauerint à Pontificibus, propter quas recessus à societate quantum est ex parte ipsorum vouentium difficilior redditus fuerit; ab anno enim 1540. die 27. Septembris, quo die & anno primùm fuit approbata Religio societatis à Paulo Tertio vsque ad annum 1549. & diem 18. Octobris non habuit societas, vt scolaris saltem non posset transferri ad alium ordi-
In Bu. c. 41. nem regularem, nisi de expressa ipsius Præpositi, aut Apostolicæ Se-
c. 425. dis licentia; & præterea in Cong. 7. dec. 22. variæ leges condita fuerint ad reddendam difficiliorem è societate dimissionem, quantum est ex parte ipsorum vouentium; valdè congruum videri potest, quod dimissio talium vouentium difficilior reddatur quoque, quantum ex parte ipsius societatis, ita vt non liceat Generali dimittere quemquam solùm rationabilis causæ alicuius ratione habita, sed examinetur culpa quæ socio obijcitur à Viris ex eadem societate deputatis ad id munus à cōgregatione Generali, vel à Præposito Generali, & ad plura eorum suffragia retineat, vel dimittat Generalis socium de aliqua accusatum culpa, quæ videatur mereri vt à societate dimitatur. Causæ autem quæ peculiariter suadere adhuc id possent Pontifice numerari possunt.

P.ª Quia licet detur, quod in dimissionibus Sociorum, qui iuxta formulam votorum simplicium in Constitutionibus expressam voue-
In Bu. c. 279 runt, quosque in societate retinere non expedit, nec contractus, (vt habet Greg. 15. in litt. de Instituti soc. confirmat datis anno 1591. die 28. Iunij) vitiosè claudicet, nec vlla alia interueniat iniustitia; attamen multum videtur detrahi stabilitati religiosi status, si libere possit Generalis ex rationabili aliqua causa, nedum culpa, ipsi etiam solum cognita socium dimittere. Quare ad maiorem huius religiosi status in Ecclesia stabilitatem cōferet, vt aliqui deputentur ad examinandas causas dimissionis, vt supra dictum est. Accedit quod si qui vota simplicia emiserunt, quantum est ex parte ipsorum perpetuò, ex parte verò societatis tamdiu obligati sint, quamdiu Præpo-
c. 225. c. 226 situs Generalis eos in societate retinendos esse censuerit, vt habet Gre. 13. in Bulla edita anno 1584. die 25. Maij; adeoq; aliqui putauerint liberū esse Generali sinè vlla saltem iniustitiæ nota hosce absq; vlla etiam rationabili causa dimittere; solent enim nonnulli facultates Generali concessas extendere adhuc minorem; habebit stabilitatem hic Religiosus status.

2. Quia licet ingressus in societatem explicitè manifestetur cuiuis, quod per emissionem votorum simplicium post biennium remaneat perpetuò societate obligatus, societas verò nō obligetur ad eum

retinen-

retinendum accedente saltem aliqua rationabili causa, & ipse hanc c.226.
conditionem amplectatur, vt habet Greg. 13. vbi supra: attamen si-
bi suadet ea quoque seruanda in Dimissione, quæ Greg. 14. vbi supra c.279.
habet; licet enim declaret posse procedi ad dimissionem rationabi-
lis tantùm causæ ratione habita addit tamen habendam esse ratio-
nem personarum, aliarumq; circumstantiarum, quarum conside-
ratio sit cum caritate, & prudentia coniuncta: suadet sibi quoque
à prouinciali seruandi illa, quæ ipsi præscribuntur Reg. 42. & in- *In l. R. c. 42.*
struct. missa à P. Claudio anno 1604. ad Prouinciales de ratione te-
nenda cum ijs, quos e societate dimitti oportere iudicauerint, an- *In l. instru. c 12. c. 73.*
tequam ad Generalem scribant. Quare si hæc non seruentur à su-
perioribus, congruum est, imò necessarium, vt alius modus seruan-
dus in dimittendis instituatur à Pontifice, ne fiat iniuria his, qui
cum tali intentione imittunt vota in societate post biennium aliter
non emissuri; putant enim, quemcumq; suas Regulas, ac ordina-
tiones seruaturum.

3. Si ex leui causa, vel occulta etiam graui quæ per se non aduersare-
tur communi bono, nulla habita ratione nobilitatis, vel laborum in
societate, & pro societati multi dimitterentur.

4. Si socij aliquo accusati delicto, quod dignum foret dimissione,
superiores renuerent diligenter inquirere veritatem delicti, sed leuis-
sima adhibita diligentia dimitterent e Societate innocentem.

5. Si dimitterenrur socij propter delictum cognitum in Confessio-
ne, vel ex cõfessione tantũ sacramẽtali, vel ex redditione conscientiæ.

6. Si ipsimet superiores aliquibus socijs, quos propter priuatas cau-
sas haud libenter vident in societate, aut erga quos minus propensi
sunt, offerrent occasionem aliqua faciendi, propter quæ dimittendos
ipsi postea iudicent illos è societate.

7. Si nolint superiores recipere excusationes aliquorum delictorum
etiamsi legittimè cæteroqui possent admitti, nec admittere pœniten-
tias ad quas vltrò se offerrent socij, qui ex naturæ fragilitatæ lapsi es-
sent etiam semel.

8. Si ex vna parte Superiores non sollicitè curarent, vt seruarentur
Constitutiones circa Iuuenum educationem maximè in 3. & 4. p. re-
positæ: ordinationum Generalium c. 13. de Iunioribus scholasticis, *In l. Or. c. 83*
quorum separatio à reliquis fuit approbata, & confirmata à Con. 6.
dec. 16. & c. 14. de ijs, qui in Prædijs, aut villis morantur, cum a stu- *In li. Dec. c. 352.*
dijs feriantur; & n. 4. c. 1. de professione sociorum in patriam; &
c. 3. de Tertio Probationis anno; & n. 22. c. 4. de recreatione religio- *In l. Or. c. 84 & c. 10 & c. 17. & c. 43.*
sè transigenda: Instructionum 7. & 17. pro scholasticis societatis;
& 10. de Præfectis spiritualibus constituendis, formandisque, his
enim n. 11. peculiariter cura scholasticorum in seminarijs committi- *In li. Instr. c 34 & 90. & 47.*
tur; & ex alia parte illis offerent in scholis, in seminarijs, alijsq; fun-

K 2 ctio-

ctionibus plures occasiones labendi in aliqua crimina quæ si patrarentur, è societate dimitterentur; culpa enim in superiores aliqua saltem ex parte reuocanda esset, qui non multum operæ collocarent, vt scholastici in spiritu educarentur, & in via spirituali ad maiorem perfectionem semper aliorum monitis, & exemplo dirigerentur. Nonne excusandi essent aliqua ex parte essent iuuenes, qui aliquod patrarent crimen, dum in Collegijs, compluribus, in quibus degærent, non habent Confessarium, vel superiorem, vel alium, cui tanquam humanissimo Patri animi sui arcanæ patefacere possent, & a quo tanquam à viro iure spirituali, ac versato in via spirituali dirigi in illa possent.

9. Si nunquam priuatim de occulto aliquo crimine, vel publicè de aliquo delicto publico moniti dimmitterentur socij. Pater enimuero, antequam filium è domo eijciat, omnia fermè alia remedia adhibet vt illum sibi obsequentem reddat.

10. Si vbi aliquis condigna etiam pœna propter aliquod delictum affectus esset in nouitiatu, & postea admissus ad biennij vota a Superioribus, propter idem delictum à successore Superiore a societate dimitteretur.

11. Si cummularentur delicta, quæ singula essent parui momenti, a superioribus, nec de illis aliqua imponeretur peccanti socio pænitentia; quæ omnia simul coniuncta, & proposita Generali illum compellerent ad dimittendum socium.

12. Si nihil fermè dissimularetur cum Iuuenibus, sed superiores, alijq; seniores vellent eos ita se gerere in omnibus ac si essent in media vel vltima ætate constituti; ideoque notarent omnia planè aliquorum Iuuenum facta, dictaque, vt possent ad Prouincialem Visitantem Collegium ea deferre ad ingenerandum prauam opinionem de hisce Iuuenibus, & si quando Prouinciales ijs aures non præberet, possent per litteras de ijsdem Generalem facere certiorem.

13. Si Prouincialis vellet detinere in eo collegio Iuuenes, in quo plura habēt offēdicula ex eo quod sint inuisi superioribus, vel quidam Patres, qui multam habent auctoritatem apud superiorem immediatum, vel Prouincialem, parum in illos sint propensi, adeoque quasi desperatione oppressi cogantur facere, vel dicere nonnullas, quæ secundum se possunt præbere rationabilem causam eos dimittendi.

14. Si ipsi superiores vel immediatè, vel mediatè per amicos suaderent socijs minus gratis aliquibus superioribus, vt ipsimet dimissionem peterent; hanc enim petitionem ab hisce socijs factam potest iudicare Generalis esse sufficientem causam ad redolendam licitam dimissionum, maximè accedente alia vel leui causa; propter quam leuem causam si socius dimitteretur, timere potest Generalis ne socius recurrens ad Pontificem vel sacram Congregationem Præpositam

tam negotijs Regularium iterum illum recipere cogeretur, ſi autem ipſe dimiſſionem petijt, nequit ad Pontificem vel ſacram congregationem confugere accuſando Generalem de dimiſione &c.

15. Si aliqui ſuperiores ita ſemper vrgerent aliquos vel ſeuero aſpectu, vel perpetuis monitis, ac pœnitentijs, vt tædio & quaſi deſperatione preſſi dimiſſionem vltro cogantur petere.

16. Si experientia manifeſtaret plurimos ad ſalutem reduci potuiſſe, ſi paterna quadam, ac plena amoris ac fiduciæ patientia res acta fuiſſet, quos ex neglecta, aut perfunctoria medicina tanquam, incorrigibilis excluſſerunt ſuperiores. & hoc quidem experientiam diuturniorem certiſſimè ſibi perſuaſiſſe trahit expreſſe P. Claudius in Proemio Induſtriorum pro ſuperioribus ſocius ad curandos animæ morbos. c.10.

17. Si non diſſimularentur aliqua, quæ poſſunt ſine damno maximè publici boni. Quis enim poteſt eſſe etiam è primarijs ſocietatis viris, cuius ſi facta dictaue exactiſſimè obſeruentur omnia, omneſque eius actiones adamuſſim Conſtitutionibus, Regulis, Decretis, Ordinationibus, & Inſtructionibus conformari velimus, non poſſit cenſeri dignus qui expellatur vel dimittatur a ſocietate eo quod nõ perfectè ſe conformet ſocietatis legibus. Cur ergo tam acris animaduerſio in alios, eo quod peccent aliquando in Conſtitutiones, Regulas, Ordinationes &c. Si ſuperiores nollẽt exigi à Pontifice rationem omnium quæ dicunt, & faciunt; & ſi quando accuſarentur de tranſgreſſione aliquarum Conſtitutionum, Regularum &c. quæ ad ipſos pertinent vellent vt Pontifex ſibi compateretur; ſibi ſuadeant etiam ſuperiores, ſubditos exigere ab ipſis ſimilem diſſimulationem, & compaſſionem &c.

18. Si ſuperiores facilè Delatoribus aurem præberent contra id etiã quod ſtatuitur a Con. 7. dec. 11. ſed facilè illis crederent: Vnde non ſedulò perpenderent, a quo nam ex ſocijs hæc delicta deferantur, poteſt enim eſſe inuidus, vel parum in alium propenſus, ac vir ſuſpicioſus; & quomodo deferantur, an tanquam certa an tanquam dubia, an tanquã ſolum probabilia, vel poſſibilia; & cui nam illa obijciantur; viri enim primarij in doctrina, nobilitate, alijsq; ſimilibus dotibus ſunt expoſiti ante cæteros multis calumnijs, vt de ſuperioribus ipſis ait S. Ignatius p. 9. in fine c. 4. c.413 r414

Petes 19. An poſſet Pontifex iubere, vt Profeſſi non amplius illud quintum votum ſimplex poſt Profeſſionem emittant, quod ita ſe habet. Inſuper promitto ſi quando acciderit, vt hac ratione (hoc eſt ſi præcipiatur a Summo Pontifice) in Præſidem alicuius Eccleſiæ promouear; pro cura, quam de animæ meæ ſalute, ac recta muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo, me eo loco ac numero habiturum Præpoſitum ſocietatis Generalem, vt nunquam Conſilium audire

audire detrectem, quod vel ipse per se, vel quiuis alius de societate, quem ad ipse sibi substituerit, dare mihi dignabitur. Consilijs verò huiusmodi ita me pariturum semper esse promitto, si ea meliora esse, quam quæ mihi in mentem venerint, iudicabo. Omnia intelligendo iuxta societatis Iesu Constitutiones, & Declarationes.

Respondeo affirmatiuè; non solum quia ante diem 25. Augusti anno 1558. vt patet ex dec. 102. Cong 1. nullus ex Professis emiserat
*74. illud votum sicuti nec alia quatuor simplicia, & tamen qui ad illam diem extiterant Professi in Virtutibus multùm excelluerant; verum etiam quia Greg. 13. in Bulla edita anno 1584. die 25. Maij, in qua ex professo mentionem facit votorum simplicium, quæ emituntur post professionem, huius quinti voti nullatenus meminit. Quod euenisse aliqui arbitrantur, vel quia eius Bullæ scriptor (dicitur a nonnullis Pater Franciscus Toletus societatis Iesu vir in omni fermè scientiarum genere clarissimus, qui postea Cardinalis creatus fuit a Clem. 8. eam scripsisse Bullam, vel eam recognouisse vbi scripta est; vel certè de illius consilio scriptum fuisse Bullam fertur) minus approbauit illud votum; aut quia cum Patres societatis difficultates non leues in emissione talis voti reperissent, noluerunt proponere illud Pontifici Gregorio societatis amantissimo vt explicitè approbandum, ne si quando alijs Pontificibus minus Votum illud placeret illudq; non amplius emitti à Professis statuerent, affirmare possent illud non esse inter Instituti substantialia vt pote non approbatum nec in formula Instituti laudata à Paulo Tertio, & Iulio Tertio, nec à Greg. 13. Greg. 14. & Paulo 5. in Bullis quibus confirmarunt societatis Institutum, eiusque multa substantialia explicarunt; sed solum implicitè approbatum, quatenus Constitutiones approbarunt. Quis autem dixerit hosce Pontifices curasse vt omnes planè Constitutiones ita exactè discuterentur, vt possent ipsi ad definitionem authenticam, siue ex Cathedra, quod omnia planè in libro Constitutionū contenta haberent infallibilem veritatē, nec meliora etiam in ipsa societate institui possint, & omnes sententiæ, quæ minus laudarent aliquid, quod legitur in Constitutionum libro, essent falsæ, temerariæ &c. Minus sapienter ac prudenter sentiret de sapientissimis, ac Prudentissimis Pontificibus, qui talia sentiret: Maiorne erit autoritas libri Constitutionum licet approbati à Summis Pontificibus peculiaribus Bullis, quam librorum qui à Sanctis Patribus conscripti sunt & laudati à Gelasio Papa in Concilio Romano? Nonne ipsimet socij derogarunt aliquibus Constitutionibus? non ne idem præstiterunt alij Pontifices? legatur Pars 2. veritatum, quæ non habentur ex fide, multarum magis compotes fieri possunt aliquando recentiores, quam antiquiores.

Causæ autem, quæ possent suadere Pontifici, vt id iuberet, hæ recenseri

cenſeri poſſent peculiariter.

P.ª quia ex vna parte votum iſtud eſt de re non leuis momenti, vtpotè pertinente ad Eccleſiaſticam Epiſcoporum, aliorumq; Prælatorum gubernationem; & ex alia non eſt improbabile, imò multorum iudicio ſapientum ſaltem probabile, vel probabilius, ſi non certum, Votum iſtud inualidum eſſe: Non tollit autem probabilitatem opinionis ſentientis votum iſtud eſſe inualidum, reſponſio ad argumenta, quæ fiunt pro inualiditate; Nam omnis Argumentatio, quæ non eſt Demonſtratiua, per ſi ſolubilis eſt; & præterea attendendum, an Argumentationes, an verò ſolutiones efficaciores ſint, nec id iudicium relinquendum eſt socijs &c.

2. Si socij Votum illud conarentur extendere ad Cardinales ex societate creatos: neque enim reuera Voto iſto comprehendi videntur, tum quia qui Cardinalis creatur, non promouetur vt talis propriè in Præſidem alicuius Eccleſiæ tum quia S. Ignatius p. 10. §. 6. vbi mentionem facit de emiſſione huius voti poſt Profeſſionem. L. A hæc addit. Conſiderando quam inſtanter, quamque multis rationibus curatum ſit, vt aliqui de noſtra societate varios Epiſcopatus ſumerent; cumque in multis obuiam itum ſit, nec tamen in Patriarcatu, & Epiſcopatibus Æthiopiæ admittendis reſiſti potuerit; de hoc auxilio ad opus illud Ætiophiæ & alia ſimilia, cum reſiſtendi modus deeſſet, cogitatum eſt. Ex quibus verbis apparet S. Ignatium voluiſſe comprehendere illos tantùm, qui Epiſcopi, Animarumque Paſtores per ſe creandi forent.

3. Si experientia pateret, quod socij hac ratione vellent ſe immiſcere in gubernatione vniuerſalis Eccleſiæ; quamuis enim ſocietas, vt ea L. B. ſubditur, non obligetur ad hoc munus ſuſcepiendum quandocumque alicui ex ea Epiſcopatus eſſet admittendus; imò libera maneat vt id oneris & relìquere, & aſſumere poſſit, vbi multum referre ad Dei obſequium iudicaret; attamen poteſt Generalis deputare aliquem ad id munus, vel ipſemet immediatè illud ſuſcipere; poteritq; ſibi facilè ſuadere ad id teneri non raro ſaltem; adeoque tenebitur per ſe vel per alium obſeruare, quales ſint mores Epiſcopi ex societate creati, qua ratione adminiſtret Eccleſiam, Eccleſiaſticas functiones exerceat, Eccleſiaſticos reddituſ inſumat &c. Et cum hic teneatur ex voto ſequi conſilia a Generali vel immediatè vel mediatè propoſita, ſi ea meliora cenſuerit, negari præterea non poteſt, quin aliquam ſubordinationem habeat reſpectu Generalis, ad quem vtpote exemptum omnimodè ab obedientia ipſius fuerit socius à Pontifice dum creatus fuit Epiſcopus, cur Cura illius animæ, rectèque muneris illi impoſiti adminiſtrationis ſpectauerit?

4. Si id Votum inſtitutum fuiſſet a S. Ignatio eo conſilio, vt Pontifices retraherentur a promouendis socijs in Epiſcopos ſcientes quod tunc

tunc etiam Episcopi isti haberent aliquam subordinationem respectu Generalis, & quod Generalis, posset etiam tunc se immiscere gubernationi illi Ecclesiasticæ: quod consilium colligunt aliqui ex illis Verbis L.A. *Cum resistendi modus deesset* neque enim par esse videtur, vt huiusmodi quasi impedimentum obijceretur Pontifici, dum ipse iudicaret ad vniuersale Ecclesiæ Bonum, quod maximè situm est in proborum, sapientum, ac prudentum Episcoporum creatione, aliquem ex socijs ad Episcopatum promouere; particulari enim societatis bono præualere debet Commune vniuersalis Ecclesiæ bonum. Quare cum sufficiat ad excludendam omnem ambitionem, vt Professi voueant se neque pretensuros, ne indirectè quidem vt in aliquam Prælationem vel dignitatem intra vel extra societatem eligantur, nec extra Societatem in sui electionem, quantum in eis fuerit, consensuros, nisi coactos obedientia eius, qui id ipsis possit sub pœna peccati præcipere: itéq; societati, vel eius Præposito manifestaturos, si quem sciant aliquid huiusmodi moliri, quorum trium votorum tantummodò facit mentionem Bulla Greg. 13. ad omnem excludendam ambitionis occasionem; ad quid politicam istam rationem aiunt nonnulli, obijcere Pontifici, vt retardari queat a præcipiendo, ne aliquis ceteroqui dignissimus ad Episcopatum, vel Cardinalatum etiam promoueatur? Certè si ista intentio S. Fundatoris fuisset an laudari illa posset, iudicent alij, sicuti etiam an propter hoc ipsum talis voti emissio prohibenda sit.

Iul. Re. Sum Conf. Reg. 9. c. 10. Petes 20. An possit iubere Pontifex, vt deleantur, vel non obseruentur Reg. 9 & 10 summarij Constitutionum desumptæ ex §. 4. c. 4. Examin. quæ sic se habent.

Re. 10. c. 10. Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submissionem, & humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, vt omnes errores, & defectus ipsius, & res quæcumque quæ notatæ in eo, & obseruatæ fuerint, superioribus per quemuis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur.

Boni etiam omnes consulant, ab ijs corrigi, & ad aliorum correctionem iuuare; ac manifestare se se inuicem sint parati debito cum amore, & caritate, ad maiorem spiritus profectum; præsertim vbi à superiore, qui eorum curam gerit, fuerit ita præscriptum, aut interrogatum ad maiorem Dei gloriam.

Respondeo affirmatiuè: tum quia alijs Constitutionibus derogarunt iam Pontifices: tum quia Bag. 22. q. §. a. 8. dub. 2. in resp. ad 2. p. prior. Confirm. 7. arg. ver. iam ad aliud, & ledes. 2. t. sum. tit. 4. c. 4. post concl. 24. diff. 6. docuerunt statutum istud esse minus expediens religiosis ordinibus; vnde huiusmodi lex non videtur modo saltem vigere apud vllum religiosum cetum licet cæteroqui perfectissimum: tum quia non est improbabile omninò huiusmodi legem

gem præcepto Christi de correctione fraterna aduerſari: tum quia videtur doctiſſimis etiam viris eſſe probabile, quod non poſſit homo etiā priuatus cedere iuri ſuæ famæ; habet enim homo vitā ſociabilē, quæ in hoc præcipuè ſita eſt, vt alijs prodeſſe queat: quomodo autem id faciet, niſi ſuam cuſtodiat famam? Quare putant hominem nō magis eſſe dominum famæ, quā Corporis membrorū: imò aliquis arbitratur teneri hominē magis famam, quam membra cuſtodire &c. Cauſæ autem quæ ſuadere poſſent Pontifici id, hæ peculiariter recenſeri poſſent.

P.ª Quia s. Th. quodlib. 11. a. 13. ait, ſi melius fiet correctio fratris per Prelatū, & Prælatus ſit pius diſcretus, & ſpiritualis non habens rancorem, ſeu odium aduerſus illum ſubditum tunc licitè poteſt ipſi denunciari &c. additque propter diuerſas conditiones Prelatorum, ac ſubditorum circa hoc non poſſe dari Generale Iudicium, niſi quod in omnibus ſemper ſeruanda eſt caritas, & quod magis expedire videbitur. Cum ergo non poſſit negari, quod Prelatorum ſocietatis modò maximè diuerſæ conditiones ſint, non erit talis Regula vniuerſaliter danda.

2. Quia Bagn. 22. q. 33. a. 8. dub. 2. ad 4. hæc habet. Aduertant Prælati, quod multa ſunt relinquenda iudicio Dei, & caueant, ne velint vſurpare iudicium illius qui redet vnicuique ſecundum opera ſua: sūt enim aliqui Prælati, qui plus nimio zelo corrigendi crimina aguntur, & non ſecundum ſcientiam, & valde ſatagunt, vt vniuerſa ſubditorū peccata in publicum iudicium veniant prætextu boni cōmunis conſeruandi, cum tamen non omnia peccata ſint boni communis deſtructiua, circa quæ ſolùm rigidus ille zelus iuſtè exercetur: alia verò crimina debent Prælati præſertim eccleſiaſtici vt Patres corrigere, & in profundo maris proijcere: Cuius rationem habes apud S. Thomam a. 7. quoniam hominis fama magnum bonum temporale eſt, & ad ſpiritualia vtile. Et in fine eiuſdem dubit. hæc ſubdit. Sunt plurimi peccatores, etiam maximi, non tamen ſcandaloſi, qui bona opinione, & fama, quam habent, ædificant Eccleſiam Dei doctrina, & publico exemplo; quorum opinionem ſi Prælati ſuis indiſcretis inquiſitionibus deſtruunt, nihil aliud agunt, quam quod ipſe Diabolus deſiderat videlicet aliorum ſalutem impedire; præterquā non ſolùm illius peccatoris fama perit, ſed etiam aliorum ſimilium eiuſdē ordinis & officij fama neceſſaria magnum detrimentum non ſine vulgi ſcandalo patitur. Vide Aug. in ep. 113. ad Pleb. Hipp. cuius verba habes in a. 7. circa finem: quæ attentè lege; & videbis, quantum periculi habeat indiſcretus Prælatorum zelus inquirentium per fas & nefas ſcire ſubditorum delicta, qui potius ſunt boni communis, & pacis deſtructores quam conſeruatores. Si igitur ex hac Regula ſumerent occaſionem plerique ſocietatis Prælati omnes planè ſubditorum de-

fectus etiam occultissimos, habendi perspectos, eosque puniendi prætextu maximè communis Boni, illa Regula licet speculatiuè loquendo laudabilis esset, abroganda tamen esset: Nam euenirent illa mala, (præter alia,) quæ recenset sapientissimus iste S. Thomæ interpres, ac celeberimus Theologus.

3. Si experientia pateret superiorum, cui aliquando paternè denuntiatur crimen socij, illud non tenere secretum: neque enim licitè potest denuntiari etiam paternè crimen fratris occultum, si non sit seruaturus secretum superior; vnde in tantum Doctores docent, subditum sic denuntiatum non infamari, eo quod superior illud sciat sub secreto; imò addunt alij, denuncianti debere esse perspectum, quod Prælatus sit solitus habere curam famæ proximorum, vt Pastorem decet. Non tenerent autem superiores crimina sic denuntiata sub secreto, si vel nomen delati paternè manifestarent in consultationibus: vel per litteras alteri superiori absenti crimen illud manifestarent, quod enim litteris, quæ per concitatos equos mitti consueuerunt, committitur, non videtur per se esse secretum, vnde qui volunt rem secretam litteris committere huiusmodi, occultas quasdam notas, quas cifras dicimus, adhibent vel delationum istarum notitiam perpetuò asseruarent in Archiuio; quis enim nõ videt esse periculum vehemens, vt illi defectus multis noti fiant, & nominatim socijs prouincialium, apud quos prouinciæ Archiuium custodiri solet: Certè omnes superiorum successores tale crimen poterunt habere perspectũ, cum curare soleant, vt omnia planè que in Archiuio Collegij, vel Domus vel etiam Prouinciæ sunt recõdita, nota habeant: Vel manifestarent criminis delati auctorẽ alteri superiori sibi subordinato in eodem Collegio, vel in eadem Domo, qui solet Minister dici; cum possint subdito auferre occasiones sine manifestatione non inis, vel etiam criminis ipsimet superiores non subordinati in eadem Domo, vel in eodem Collegio: Vel si hasce peccandi occasiones auferrent superiores subdito cum probabili periculo diffamationis delicti; tenentur enim illas ita auferre vt nullo modo diffametur subditus; in quo ipsi possunt magis peccare, quam subditi committendo delictum: Imò videntur etiam contra Iustitiam peccaturos hosce superiores, si propter huiusmodi delationes paternas vt sic etiam verisimi criminis, remouerent subditum delatum ab aliquo officio, aut illum cõtristarent, siue minus quam antea publicè saltem honorarent; vel differrent illi gradus consuetos in Religione; aut retardarent ab officijs, Prelaturis, seu Dignitatibus, quæ consueuerunt socijs in tali ætate constitutis, vel qui talia obierunt munera, conferri.

4. Si experientia pateret etiam cessante sine talis denuntiationis adhuc socios vel ex indiscreto quodam zelo, vel ex cupiditate obsecundandi superioribus, quibus esset gratum omnia planè ad subditos spectan-

ſpectantia habere perſpecta, vel ex naturali quadam propenſione ad alios accuſandos, & ad alijs famam detrahendam, vel ex inuidia, odioque in aliquos, vel eum denunciare. Cum enim finis iſtius denuntiaturos per ſe ſit bonum & emendatio ipſius ſubditi, non poteſt denunciari crimen ſuperiori.

P.° Si contingat ſuperiorem eſſe parum prudentem, vel infenſum delato, & vti iſtis denuntiationibus ad punitionem iudicialem, & ad infenſos illi ſubdito animos ſequendos, & ad alios fines damnoſos famæ ſubditi.

2. Si timeretur, ſuperiorē non rectè vſurum illa notitia in bonum ſubditi, quia v.g. concipiet odium in illum vel iniuſtam, aut ſaltem imprudentem indignationem, quæ ſolet nimium affligere, & inquietum redere ſubditum.

3. Si timeretur, ſuperiorem erga ſubditū ſic denunciatum non oſtenſurum ſigna in poſterum amoris verè paterni; nam iſta denuntiatio non fit Prælato vt Prælato, ſed potius vt perſonæ cuidam priuatæ, & amicæ, & Patris affectum habenti.

4. Si prudenter iudicetur notitiam ſuperioris, nec neceſſariam, nec vtiliorem eſſe futuram ad emendationem ſocij, ſecuritatem Religiones, vel ad alios honeſtos fines.

5. Si remedium opportunius iudicetur, minuſque ſocio moleſtum, quod per confeſſarium vel amicum ſocius qui deliquit, admoneatur.

6. Si emendatum eſt iam delictum, nec eſt periculum, niſi valde remotum, recidiuiui; vel ablata ſit occaſio delinquendi: finis enim huius denuntiationis eſt correctio ſocij.

7. Si denuntiatio futura ſit occaſio frequentioris lapſus in ſocio ex conditione naturæ talis ſocij: vel ſocius ita egrè laturus ſit denuntiationem, vt maiora inde incommoda, quam commoda ſecutura ſint.

8. Si ſuperior exigat informationes de socijs de promouendis ad gradus, vel de aptis ad Gubernandum; cum enim iſtæ petantur in ordine ad publicum bonum, iſtæque informationes, antequam Romam mittantur, debeant ſaltem Conſultoribus ſuis à prouincialibus manifeſtari, & ipſe prouincialis, conſultoreſq; ſeparatim iuxta propoſitas informationes de promouēdis ad Gradus, quantumuis homines non nouerint, diſtinctis litteris ſententias ſuas mittere debeant; iſtæq; preterea informationes ſoleant Aſſiſtentibus manifeſtari, ac etiam in Romanæ Domus Archiuio cuſtodiri; aperte videtur colligi non poſſe in hiſce informationibus declarari vllum crimen ſocij occultum, ſed ad Capita Informationis, quæ petitur, reſpondendum à ſocio iuxta id quod certò ſcit ex puplica notitia, vel ex publica ſed probata fama. Ex l. ordin. c.17. c. 101. & c.18. car. 113.

5. Si experientia pateret ſuperiores in hiſce Regulis fundatos, ſine earum occaſione.

P.° Occultis prorsus, & reconditis vijs explorare vel immediatè, vel mediatè crimina & quecumque subditorum facta, vt fodiendo parietem, vel lacunar, aut includendo se intra arcam, vel aliquem similem locum secretum intra cubiculum &c.

2. Auide excipere suspiciones etiam, de socij maximè, in quem minus sunt propensi, delictis, & sua auida hac exceptione solicitare delatorem ad male iudicandum de delato, (confirmat enim se illa tanquam superioris suffragio, quod delata non fuerint suspiciones, sed certa argumenta delicti) & ad suspiciones suas iterum deferendas.

3. Si Imponere præceptum obedientiæ, vt crimina occulta ipsis manifestarentur, vel pœnam excommunicationis statuere contra illa ipsis non manifestantes: nam hæc facientes se vt superiores gerunt; sed vt superiores nullam iurisdictionem habent in occultis, quæ ad forum Dei spectant.

4. Admonere subditum de aliquo delicto quod non sit moraliter certum, siue quod non referatur solum à teste oculato, verum etiam à viro omni exceptione maiori, siue probatæ virtutis, & alijs circumstantijs quæ faciant fidem vehemẽtem dictis ita vt superior prudenter agendo teneatur illi fidem habere; neque enim potest negari, quin sit grauissimum subdito admoneri etiam tantummodo de aliquo delicto; sicuti quoque est iniuriosum ex dicto vnius simplicis ac vulgaris hominis, de cuius fide, & prudentia debebat iure dubitare, habere suspectum hominem alioqui bonæ famæ.

5. Non admonere suditum per se, sed per alium, si sit testis omni exceptione maior ille, qui delictum denunciat paternè; videtur enim transferri in superiorem obligatio Euangelica, corripe eum inter te, & ipsum solum Matth. 18.

6. Refere delictum Prouinciali, vel visitatori Collegium vel Domum Visitanti, si factis emendationem ostendat socius denuntiatus, & qui delictum fassus sit.

7. Quoslibet adhibere testes, cum facta admonitione socio ab ipsismet tantùm superioribus, iterum illum volunt monere eo quod signa emendationis non ostendat; tenentur enim adhibere duos testes, qui sint viri graues ac prudentes, de quorum secreto possit certò sibi promittere, & si fieri potest, sint illi ipsi, qui iam sciunt delictum illud, & illis præsentibus monere, orare, obiurgare, minis terrere, & omnia Patris officia exequi.

8. Dimittere à Societate Socium in pœnam, vel ob Communitatis bonum: neq; enim possunt superiores exercere vllum actum iurisdictionis, cum crimina denuncientur illis non vt Superioribus, sed vt Patribus.

9. Si experientia pateret occasione huius Regulæ subditos.

P. Delictum Communitatis bono directè oppositum, quod est occultum,

cultum, & in iudicio externo nullo modo probari potest, velle denuntiare iudicialiter, nec de hoc moneri à superioribus, dum præciperent in Generali, vt subditorum delicta sibi manifestentur; sunt enim multi in societate simplices, ac idiotæ viri, qui sibi suadere possant secretum delictum posse esse Iudicij materiam.

2. Non præmittere correctionem fraternam, cum volunt denuntiare iudicialiter etiam crimen directè nociuum Communitati, quod est probabile in iudicio, & cuius infamia saltem æquiualenter præcessit; cum enim denuntiatio iudicialis non fiat sine magna lesione famæ denuntiati, hæc grauiter lædi non debet non premisso suauiori remedio.

3. Non facere nouam denuntiationem Iudicialem dum crimen iudicialiter volunt deferre; neque enim ex vi denunciationis paternæ potest institui iudicium.

4. Multos obseruare omnia plane dicta, facta; aliquorum & eorum maximè in quos esse superiores minùs propensos norunt, vt possint illa denuntiare superioribus.

5. etiam cum rationabiliter dubitant ex aliquo positiuo, ac rationabili motiuo an superior cui denūtiandum est delictum paternè, sit se exhibiturus vt Patrem adhuc tamen illud denunciare subditus enim est in possessione suæ famæ &c.

6. Suspiciones pro viris defectibus deferre; vel ex maiori malitia sæpè calumnias struere vt infament alios apud superiores ad suos malos fines, & ad vindictā fingere sibi peccata occulta proximi cum videant neque iuramentum, neq; aliam probationem à se exigi, & in superioribus non rarò videre possint auiditatem ista excipiendi, & per hoc superiorum beneuolentiam sibi conciliari.

7. Exaggerare delictum, & eum qui semel vel iterum in aliquod delictum lapsus est, dicere habere consuetudinem illud patrandi.

8. Non paucos ex natura sua propensos ad obseruandos alios, eosq; accusandos reddi propensiones, adeoq; exponi periculo valde probabili multorum criminum etiam contra iustitiam.

9. Denuntiare Ministro, non verò superiori Colegij, vel Domus, qui potest paterno modo remedium afferre; hic enim solum est Pater, cui quoq; solum tenentur denunciare, cum denuntiare volunt.

10. Non amplius vt plurimum saltem has denuntiationes facere debito cum amore & caritate, vt vult Regula; sed ex alijs non honestis finibus has denuntiationes oriri.

7. Si experientia pateret superiores hanc Regulam, ac renuntiationem quam faciunt socij iuri quod habent in famam suam, latissimè interpretari, cum tamen quisque in dubio censcendus sit semper minus præiudicium voluisse facere iuri suo maxime in rebus multi momenti; adeoq; omnem adhibere operam, vt immediatè vel mediatè no-

resque delatas inquirere, vt si nocentem, cum qui defertur, deprehenderit, pro delicti conditione puniat; sin innocentem, non patiatur delatorem impunitum abire. Optaretque eadem in scriptionibus modum teneri, vt nemo ad mediatos superiores dicta, factaq; aliorum deferat, nisi priùs superiores immediatos iuxta bene ordinatæ caritatis, & prudentiæ leges, per se, aliosue monuerit: addatq; in ijs, quas scribit litteras, monuisse se superiorem, nec emendationem secutam: nisi graues admodum causæ hunc ordinem inuertendum suaderent; quod vbi acciderit, causas transgressi ordinis in litteris ad mediatum superiorem addat.

Si, inquam, experientia pateret, Decretum istud factum fuisse solùm ad quamdam speciem, vel nullatenus obseruari, cum non puniantur illi, qui falsum denunciant crimen; si enim ab anno 1615. in quo conditum fuit illud Decretum de pœna falsis delatoribus imponenda, fuisset vt numquam saltem publicè ad deterrendos alios executioni mandatum, & tamen publicè sciretur, aliquibus fuisse à certis hominibus falsa crimina imposita; quis sibi persuadere posset superiores & maximè Generalem illius Decreti obseruantiæ acerrimo inuigilare studio? Imò potius sibi suadere posset, superiores existimasse grauari suam conscientiam, si hos delatores punijssent; nam ipsi arbitrari potuerunt pertinere maximè ad bonum societatis non punire falsos delatores, eo quod deterrentur complures à veris etiam defectibus, vel criminibus occultis denunciandis, nec difficiles præbere aures delatoribus eo quod ipsis postea difficillimum esset reperiræ homines, qui deferrent; eoq; facilius sibi aliquis suadere posset id superioribus in mentem venisse, quando legerit à Cong. 5. dec. 58. inter substantialia Instituti explicitè repositum est. Contentum esse debere vnumquemq; vt omnia quæ in eo notata fuerint, per quemuis, qui extra Confessionem ea acceperit, superioribus manifestentur: & Paratos esse omnes debere, vt se inuicem manifestent debito cum amore, & caritate; Quæ tamen duo cum alijs tribus recensitis noluit recensere Cong. 7. cum ab illa postulatus fuisset Catalogus de substantialibus Instituti, sed censuit, Præter ea quæ in formula Iulio Tertio proposita exprimuntur, videri consultius a recensendis alijs supersedere. Sic habetur dec. 4. c. 323. c. 447.

10. Si experientia pateret hanc regulam vt plurimum nocere propter qualitates superiorum & subditorum; vt enim illa Regula cum laude obseruari posset, exigeretur quod superiores essent tales quales requirunt Constitutiones, & inter subditos vigeret ille amor, & caritas, quæ vigebant in nascente societate, ac viuente S. Ignatio: cuius præsentem statum si videret modò in humanis degens, quiuis prudēs existimare poterit, nunquam illam fuisse laturum legem adeò vniuersalem, imo potius iussurum, vt si quis crimen deferre vellet superiori,

riori, ipse superior (vt consueuerat idem S. Fundator facere) non admitteret delationem, siue accusationem nisi scripto ab ipso deferente commendatam, legatur Maff. in vita S. Ignatij lib. 3. c. 10. Vetuit certè Clem. 8. anno 1594. die. 26. Maij, ne superiores Regularium pro tempore existentes, quam Confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vterentur; quia licet opinio, quod liceat ac vti notitia ad exteriorem gubernationem esset probabilis, & multa commoda afferre posset, plura tamen incommoda afferre experientia ipsa declarare poterat. Sicut enim ad stabiliendam aliquam legem sufficit solùm vt plurimum iuuet; Sic ad abolendam sufficit, vt plurimùm illa noceat; Imò poterit aliquando superior, vel qui curam habet communitatis tenere ad eam legem explicitè abrogandam; licet enim aliquãdo legis obligatio ex se ipsa cesset propter obiecti, & circumstantiarum mutationem, cum tamen legis iniustitia non clarè multis apparet, qui vel facilè decipi possunt existimantes se adhuc teneri tali lege, vel adhuc persuadere sibi probabiliter illam legem adhuc esse iustam, legislator vel qui iurisdictionem obtinet in legislatorem teneri poterit ad eam legem explicitè abolendam. Vtinam huius Regulæ occasione societas modò nõ numeretur inter illas Religiones, de quibus Octauius Spatharius in Praxide modo Corrig. Regul. tract. 6. c. 3. n. 3. Vbi enim hic Auctor dixit, *Ordinem præscriptum à Domino in Euangelio circa correctionem fraternam essentialissimum arbitror in Religionibus, vt millies dixi & qui nunquam sine grauissima culpa omitti possit, quando est ei locus*; hæc addit. *Et qui vtinam seruaretur; nam eo seruato non essent in Religionibus tot controuersiæ, tot æmulationes, tot contentiones, tot persecutiones, & mortales inimicitiæ, tot scandala, & præcluderetur aditus omnis & omnis via inquietis, & maleuolis, & Religiones fruerentur summa pace, caritate summa, summa concordia, & summa regulari obseruantia*.

Petes 21. An possit Pontifex iubere, vt per gradus quosdam aditus fiat ad Prælaturas in societate.

Respondeo affirmatiuè: Tum quia ad hoc vt aliquis ad Professionem admittatur requiritur Sacerdocium ex c. 1. §. 8. Actus supra vigesimum quintum annum p. 1. c. 2. §. 12. & c. 3. §. 16. L. K. Virtus & doctrina insignis exam. c. 1. §. 8. p. 4. in Proem. L. A. p. 6. c. 3. §. 1. p. 10. §. 7. Cur ergo vt aliquis ad Prælaturas societatis promoueatur non certæ leges ferentur v. g. quod debeat habere iam Gradum in societate Professi, vel coadiutoris formati, ætatem triginta circiter annorum, Virtutem non vulgarem, quæ communi Prouinciæ sensu reddat illum Prælatura dignum; & preterea sicuti requiritur exam. c. 1. §. 8. & c. 4. §. 16. & 41. p. 5. c. 2. §. 1. & p. 10. §. 7. ad hoc vt aliquis Professus sit,

ſus ſit, quod antecedēter fuerit diū probatus in varijs virtutū exercitationibus, cur ſimiliter non requiratur ad hoc vt aliquis ad Prelationes promoueatur, quod in ijs miniſterijs quæ ex ſe deberent eſſe præambula ad illas, cum laude diū ſe exercuerit, & antequam ad Prælaturas maiores promoueatur, minores cum laude adminiſtrauerit? Tum quia P. Claudius ſtatuit ſic. *Miniſtri, in magnis præſertim Collegijs, nec valde iuuenes præficiantur, nec abſque conſultatione. Inſtruendi autem erunt primùm à Prouinciali, deinde à Superioribus ipſis in decurſu officij: ijq; ſint, quantum fieri poterit, qui Rectores aliquando eſſe poſſint.* Quare potiùs videtur eſſe iuxta mentem legum ſocietatis, vt promouendus ad Rectoratum aliquam ſocietatis ipſius adminiſtrationem obierit: Tum quia expreſſe p.4.c.10.§.4. dicitur inter cętera, Curandum eſſe, vt ille cui Rectoris officium imponitur, donum diſcretionis habeat, ſit ad gubernādum idoneus, in rebus agendis verſatus, qui ſeueritatem ſuo tempore & loco cum benignitate miſcere nouerit, qui ſollicitus, qui patiens laborum, ac demum eiuſmodi ſit, cui confidere, cuique ſuam poteſtatem tutò communicare Præpoſiti ſuperiores poſſint, quandoquidem, quo hæc poteſtas maior erit, eò melius regi Collegia ad maiorem Dei gloriam poterunt. Quis autem non videt, horum notitiam non poſſe haberi, niſi prius in aliqua gubernationis ſpecie promouendus ad Rectoratum ſemet exercuerit: Tum quia Superiorum autoritas in ſocietate non illis limitibus circumſcribitur, quibus definitur auctoritas ſuperiorum aliorum Religionum; neque enim vlla in re (præter cætera) tenentur ſtare iudicio ſuorum conſultorum etiam omnium. Non ergo par eſſe videtur, vt tam ampla auctoritas, concedatur ſuperioribus facultas, & maximè ſtatuendi de ſingulis auditis etiam conſultoribus vt dicitur p.9.c.17.§.6. & L. H. & non ſit factum periculum in aliqua adminiſtratione minoris ponderis prudentiæ, diſcretionis, vigilantiæ &c. In lib. Ordin. c.1.n.11. & 16.

Cauſæ autem, quæ poſſent Pontificem ad id præcipiendum impellere, hæ peculiariter recenſeri poſſent.

P.ª Si experientia pateret ſolùm promoueri ad Prælaturas illos, qui ſunt grati Generali, vel Prouincialibus, vel ijs qui apud illos auctoritatem habent; aliosque, licet digniores, haberi à Prelaturis remotos, eo quod minus grati ſint Generali, ac Prouincialibus propter naturarū difformitates, vel propter priuatas quaſdam cauſas, quæ exiſtere potuerunt etiam antequam Generali ſuprema poteſtas, & Prouincialibus Prouinciarum regimen conferretur.

2. Si experientia pateret, Iunioribus vt plurimum conferri Prelaturas eo quod ab his quædam faciliùs impetrare poſſint Prouinciales, ac nominatim ſuffragium in Congregatione Prouinciali de non cogenda Congregatione Generali; nec eas conferri ſenioribus eo quod

M magis

magis liberè suam sententiam, maximè in Congregatione Prouinciali, aperiant, quibusdam Prouincialibus postulatis non adhereant, nec possit Generalis non maiorem fidem adhibere his, quæ scribi possunt à senioribus, quam à Iunioribus Prælatis, si quando de illis, quæ fiunt à prouincialibus certiorem reddant Generalem.

3. Si experientia pateret multos Iuniores præfici compluribus senioribus, quorum consilium licet sapientissimum detrectent audire Iuniores, & quibus licet valde benemeritis de societate, infensos se potius, quam beneuolos exibeant contra id quod monuit P. Claudius in litt. anno 1587. die 28. Martij datis ad Prouinciales de medijs ad conseru. Societ. Nam sic habet n. 13. *Non permittatur iuuenibus,*
c. 210. *ac nouis obliuisci illius modestiæ, ac reuerentiæ, quam antiquis Patribus exhibere debent, consideratis eorum laboribus pro Christo toleratis, officijsq; plurimis rectè, ac vtiliter in Societate præstitis. Ad quam rem non parum conducet, vt ipsi Rectores exemplo suo præeant, procurantes vt eiusmodi benemeriti Patres sic in omnibus tractentur, vt eorum conditio, & virtus postulat: quod si fecerint, vltra debitum caritatis, & officij* &c.

4. Si experientia pateret aliquos propter peculiarem quamdam prouincialium propẽsionem perfecto studiorum cursu ad Prẹlaturas promotus fuisse & ad maiores semper promotos vel in perpetuo regendi alios munere perseuerasse absq; eo quod vnquam obedierint: hi enim quomodo subditis compatientur, si præter studiorum tempus nunquam subditi fuerunt?

5. Si experientia pateret non paucos pecunia, vel alijs donarijs, alijsq; officijs minus religiosa simplicitate dignis conciliare sibi prouincialium beneuolentiam, vt ab illis; quamuis minus digni ad Prælaturas euehantur.

6. Si experientia pateret Prouinciales informationes de aptis ad gubernandum non accipere ab ijs qui prudenter & sincerè eas daturi videantur, sed de illis, quos cupiunt ipsi euehere ad Prẹlaturas, accipere informationes ab ijs quos norunt esse horum amicos; de illis verò, quos nollent euehi ad Prælaturas, accipere ab ijs quos norunt esse in hos minorem habere animorum propensionem.

7. Si experientia pateret, nullum ferè esse Iustitiæ Distributiuæ locum in societate maximè in Prælationum distributione, & non ad merita antecedentia, sed ad genium, voluntatemq; liberam Generalis, ac prouincialium & aliorum qui apud hosce superiores auctoritatem habent illas conferri.

8. Si experientia pateret multos regere alios in societate, qui indigerent maximè regi: præfici alijs viros, qui minus animi passiones domitas habent, quam subditi, & qui illis obsequuntur in multis: spiritualem animarum curam committi viris, qui non affecti sunt ad res spiri-

ſpirituales, orationem, ceteramque cum Domino communicationem; vnde fiat, vt à ſubditis huiuſmodi Prælati paruo habeantur in precio; exiſtimetur ab illis, ſe non teneri hiſce Prælatis reddere rationem conſcientiæ iuxta Inſtructionem repoſitam in libro Regularum, conſcientiamq; ſuam penitus aperire, vt iubetur p.4.c.10.§.5. voluntatem, iudiciumq; ſuum cum eo quod hi Prælati volunt, ac ſentiunt, omninò conformare vt iubetur p.3.c.1.§.13. &c. c.144.

9. Si experientia pateret præfici Collegijs Viros in re Oeconomica penitus inexpertos contra id, quod ſtatuit Cong. 7. dec. 82. ex quo fiat vt Collegia multo premantur ære alieno; & licet Prouinciales cognoſcant horum negligentia æs contractum fuiſſe alienum, illos tamen vt pote à ſe ad Prelaturas promotos excuſent prouinciales; & aliquando etiam nolint recognoſcere in Viſitatione Collegiorum libros Dati, & Accepti, ſed ſtatim ac ille allatus fuerit ſubſcribant. c.461.

10. Si experientia pateret complures Miniſtros in Collegijs conſtitui viros ineptos, & qui ad nihil fermè apti ſunt, nolintqui viri cęteroqui apti, illud ſuſcipere munus eo etiam nomine, quod videant illud ſæpiſſimè conferri viris ineptis, & non eſſe gradum ad Prelaturas: Si autē hoc officium eſſet gradus ad Prelaturas; haud recuſandum fore à viris dignis enimuero tali munere, quod multam exigit prudentiam, caritatem, & ſollicitudinem certè plurima damna tùm ſpiritualia, tum temporalia importare Miniſter Collegijs, ac Domibus poteſt, cum ad illum immediatè ſpectet curare, vt obſeruentur Conſtitutiones, Regulæ tum vniverſales tum particulares officialium ſubordinatorum ſibi, ordinationes communes, & approbatæ cōſuetudines Collegij, ac Domus, & alternis ſaltem diebus debeat viſitare officiales, & abſente ſuperiore multa poſſit exequi auditis ſolùm Conſultoribus, & conſtituatur non rarò loco Rectoris, dum per aliquod non breue tempus à Collegio abeſſe cogitur Rector, cui quoque morienti ſolet ſuccedere in munere gubernandi Collegium (niſi alterum Prouincialis nominauerit, qui vices gerat Rectoris morituri) quoad vſq; prouincialis alium deſignet. In l. Re. Re. 2.3 & 14. Miniſtri ca. 151.152. & 153.

11. Si experientia pateret promoueri ad Prælaturas aliquos qui non apti ad illas communi Prouinciæ ſenſu cenſentur: ex quo fiat, vt Prouinciales eos promouētes vituperentur communiter à ſocijs, ac multæ querelæ ſint inter ſocios de modica prouincialium prudentia, caritate &c. Hæc autem ceſſarent ſæpenumero, ſi promouendus ad Prælaturas in aliqua adminiſtratione ſe exercuiſſet cum laude, & Prelationis minoris munus cum laude adminiſtratū eſſet aditus ad maius.

12. Si experientia pateret præfici à Prouincialibus aliquibus Collegijs, vel Domibus nonnullos, non ſolùm, dum omnes planè degentes in Collegijs vel Domibus præſeferunt minùs gratos ſibi futuros tales ſuperiores, verum etiam eo conſilio, vt bonum opera, quos imme-

 diatè

diatè promouent, vtantur ad vexandos viros omni etiam exceptione maiores, qui in tali Domo, vel Collegio habitāt minus sibi gratos.
13. Si experientia pateret vt plurimum superiores non posse instruere Ministros, aliosque officiales Primarios, vt pote qui talia munera nunquam obierint.
14. Si experientia pateret superiores multùm sibi arrogare de prudentia, discretione, vigilantia &c. Ex eo quod videant se immediatè ad Prælaturas euectos; atq; hinc fieri, vt quod sibi visum fuerit, vel animum subierit illud melius existiment, quam quod à prudentissimis viris & in tali re versatis proponitur; putentque sapientiam quasi cælitus infusam medijs litteris, quas à Generali recipiunt de promotione ad Rectoratum &c.
15. Si experientia pateret aliquos euehi ad prouincialis munus inuitos prouinciæ propter inferiores Prælaturas cum iustis subditorum querelis administratus, vel qui tantum rexerint vnum vel alterum Collegium, ex cuius gubernatione laudem reportauerint apud Generalem, vel eo quod in eo Collegio degerent multi amici Rectorum, ideoq; con ultò etiam Prouinciales antecessores huiusmodi Collegijs eos præficiendos curauerit, vel eo quod prouinciales operam secretò adhibuerint, vt Consultores ad Generalem scribentes illius gubernationis tantùm laudes recenseant, vel eo quod in tali Collegio prouinciales longiori præ more tēpore ibi habitauerint ad hoc vt in ipsos potius, quam in Rectores reijciatur culpa, si quid minus gratum subditis imponendum sit &c.

Petes 22. An possit Pontifex præcipere, ne Collegia ampliores redditus admitterent inconsulta Apostolica, vel Congregatione Eminentissimorum Præposita negotijs Regularium.

Respondeo affirmatiuè; hoc enim non videtur difformæ ipsis etiam soc. Constitutionibus; nam p.4.c.2.§.6. apertè dicitur. *In ijs Collegijs, quæ duodecim scolasticos (præter Præceptores) ex proprijs redditibus alere possunt, ob maiorem populi ædificationem, nec petantur eleemosinæ, nec illæ, aut dona vlla oblata admittantur.* & L. G. *Quamuis hoc ita se habeat, si tamen Benefactores essent, qui possessionem aliquam, vel redditum dare vellent admitti illa possent, vt tanto maior numerus Scholasticorum, ac Præceptorum ad maius diuinum possen obsequium sustentari.* Quare iuxta mentem S. Fundatoris videtur fuisse, vt in talibus Collegijs ampliores redditus admitti possent tantùm ad augendum numerum scholasticorum, ac Præceptorum, & hoc ad maius Diuinum obsequium: Hinc Redditus non videtur posse admitti ampliores ad augendum solummodò numerum Præceptorum, vel dum horum auctio non esset in maius diuinum obsequium.
Causæ autem quæ suadere possent Pontifici vt id præciperet hæ recenseri possent.

P.ª Si experientia pateret quibusdam artibus parùm religioso homine dignis vti socios ad hoc vt ampliores redditus sibi donentur.
2. Si experientia pateret ampliores redditus vt plurimum socijs dari à quibusdam Virginibus, Viduis, alijsq; huius notæ fœminis.
3. Si experiẽtia pateret occasione horum reddituum, qui relinquuntur socijs filios ac filias hæreditatibus priuari, consanguineos non rarò pauperes omitti in confectione testamentorum, familiasq; nobiles ac primarias ad mendicitatem aliquando redigi, vel non posse sustentari cum ea decentia, quæ par esset.
4. Si experientia pateret hos redditus non insumi iuxta testatorum mentem; & latissimè interpretari Priuilegium, quod 5. Commutatio §. 4. refertur commutandi ex vno vsu in alium necessarium legata, & res etiam donatas per viuentes, si non sequatur scandalum donantium, vel eorum, ad quos solutio legatorum pertinet. In l. Triud. c. 47.
5. Si experientia pateret ampliores redditus reddere magis superiores sollicitos, ita vt hi nequeat in spiritualem subditorum profectum incumbere.
6. Si experientia pateret ampliores redditus ad illud peculiariter inseruire, vt amplificentur numerus sociorum: cuius amplificatio quot damna attulerit societati, experientia ipsa etiam declarare poterit.
7. Si experientia pateret ex amplificatione reddituum homines societatis complures reddi otiosos, minusq; sollicitos in animarum salute procuranda.
8. Si experientia pateret ex eadem amplificatione oriri lites multas, scandalaque populorum.
9. Si experientia pateret hanc amplificationẽ reddituum nõ inseruire alendis scholasticis in Collegijs vt volunt Constitutiones.
10. Si experientia pateret Immunitatem, quam habent Clerici, circa bona, multa pati incommoda; neque enim potest esse gratum Principibus vt tot redditus societati in dies donentur; multa enim centena millia aureorum pro reditibus iam soc. habet.

Petes 23. An possit Pontifex præcipere socijs, vt ieiunent in Aduentu, non comedant carnes feria quarta cuiusque hebdomadæ &c.

Respondeo affirmatiuè: tum quia à tempore quoque S. Ignatij, qui tamen in Exam. c. 1. §. 6. declarauerat rationem viuendi sociorum nullas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas habere, & in Formula Instituti à Iulio Tertio anno 1554. die . . . Iulij à se proposita idem expresserat, inducta est in societatem abstinentia sextæ feriæ, de qua Reg. 5. ex Communibus: tum quia id potest iubere Congregatio Generalis: vnde in 1. Cong. dec. 96 propositum fuit, an Diebus Veneris ieiunandum esset, & in Aduentus saltem die Mercurij, & Veneris: & in 5. Con. dec. 27. petitum fuit, vt socij communiter in aliquibus locis tempore Aduentus, vel ieiunarent,

vel

vel saltem à carnibus abstinerent: & in 6. Con. dec. 9. iterum petitum
c.345. c.346 fuit, vt cōsideraretur An ad euitandum offensionem in nonnullis Prouincijs, ac Ciuitatibus, concedendum esset ijs Prouincijs, quæ id petunt, vt vel ieiunent vel abstineant in Aduentu: tum quia de facto Con. 7. dec. 16. indixit ieiunium toti societati in Peruigilio S. Ignatij. Ex quibus etiam apparet, non pertinere ad substantialia Instiuti, Quod socij nullas habeant ordinarias pœnitentias, & corporis afflictiones ex obligatione subeundas; neque enim licet agere in Congre-
c.32. gationibus Generalibus de Constitutionibus pertinentibus ad substantialia Instituti, neque illæ immutari possunt ex dec. 16. Cong. 1. &
c.111. dec 6. Cong. 2.

Causæ autem, quæ possent impellere Pontificem ad id iubendum, hæ possent esse.

P.º Exemplum cæterorum omnium Religiosorum Ordinum, ac nominatim illorum, qui animarum saluti procurandæ vacant, quorum plerique ne dum tempore ab Ecclesia Aduentui dicato ieiunant, verum etiam longiora alijs etiam temporibus ieiunia protrahunt.

2. Si experientia pateret socios minùs laudare eos Religiosos cætus, qui victus habitusque asperitati dediti sunt, passimque prædicare apud iuuenes maximè, perfectionem haud in corporis afflictationibus sitam esse, sed in alijs, quibus operam dat societas, adeoque societatem præ cæteris Religionibus, vtpote perfectiorem, amplectendam esse, &c.

3. Si experientia pateret exercitium pœnitentiarum exteriorum cōmuniter apud socios non vigere, eo quod illæ vltrò non suscipiantur à socijs, nec illis imponantur à Superioribus; & licet hæ imponerentur, cum tamen vt plurimùm saltem istæ secretò subeundæ sint, non posset exploratum haberi an hæ de facto subeantur. Certè languorem, ac inertiam sociorum in pœnitentijs amplectendis reprehendit iam ab
c.245. anno 1599. in litt. de Orat. & Pœnit.

4. Si experientia pateret non ampliùs florere, vt antea in societate, Castitatis Virtutem, passimque audiri multas etiam querelas de socijs in hoc genere; nimis liberè plures Confessarios agere cum mulieribus, Magistros non paucos scholarum inferiorum, aliosque scholasticos nimium propensionem præseferre in externos adolescentes, & inter eos maximè in Venustiores, Coadiutores Sacristas, & Ianitores, vel socios Procuratorum, vel eleemosinarum pro Domibus Professis Quæsitores, vel Emptores & c. nimis familiariter agere cum aliquibus & c. Fieri quidem non posse multi putant, quod socij in quibus communiter non viget orationis, vel pœnitētiarum studium, tamdiu cum fœminis, & adolescentibus, & familiariter agant, & non sæpè contra Castitatem peccent. Certè ipsemet P. Mutius in litt. ad Patres Congr.
c.444. Prouinc. anno 1619. die 7. Martij datis loquens de Virtute Castitatis ait.

ait. *Sed neceſſitas occupationum, quæ periculo ſunt obnoxiæ, occaſiones variæ, ac multiplices, defectus orationis, internæ recollectionis, ſtudijq; ambulandi ſollicitè coram Deo nonnullorum otioſitas, aliorum denique nimiæ commoditates, non leuem nobis metum incutiunt, ne optimo Societatis auro aliquantiſper obſcurato, amariſſimi luctus cauſa præbeatur ei, qui aliquo tangatur zelo nominis Societatis, & Diuini honoris; neue liceat cum ſignificatione doloris, & conqueſtionis exclamare: Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus!* Ad conſeruandam autem Caſtitatis Virtutem inter opportuniſſima medicamenta reponi corporis afflictiones ſuadet tùm ratio ipſa, tum doctrina omnium ſanctorum Patrum, eorumque exemplum.

Petes 24. An poſſet Pontifex iubere, vt ſocij ſe conformarint Romanæ Eccleſiæ Ritibus in Miſſis, Veſpertiniſque Precibus concinendis, &c.

Reſpondeo affirmatiuè: tum quia ex p. 4. c. 8. § 2. tenetur ſocietas ſequi in Miſſæ Ceremonijs vſum Romanum vt magis Vniuerſalem, & quem peculiari quadam ratione Sedes Apoſtolica amplexa eſt, quantum patietur regionum Varietas. Cur ergo in Italia ſaltem, & maximè Romæ dum ſolemniter canitur Miſſa in quibuſdam maximè feſtis diebus Sacerdoti celebranti non aſſiſtant Duo, qui fungantur munere Diaconi, & Subdiaconi cum Dalmaticis pro vſu Romano; & cur illi aſſiſtant duo Sacerdotes cum ſuperpelliceis, duabusque ſtolis ad collum appenſis? id enimuerò eſt contra Romanum vſum: tum quia ex Formula Iulio Tertio propoſita à S. Ignatio tenentur illi, qui ſunt in ſacris recitare Officium ſecundum communem Eccleſiæ Ritum, ſiue iuxta vſum Romanæ Eccleſiæ, vt habet Greg. 13. in Bulla edita anno 1573. die vltima Februarij. Ergo etiam par eſt vt in cantandis etiam Miſſis, quando iam in ſocietatem inuectus eſt mos eas cantandi, ſeruetur vſus Romanæ Eccleſiæ: tum quia cum in 5 Cong. dec. 72. poſtulatum fuiſſet, vt ad maiorem erga venerabile Sacramentum Euchariſtiæ deuotionem exercendam, peteretur à Summo Pontifice, vt in ſocietate ſingulis quintis ferijs non impeditis, Miſſa de illo celebraretur, & Officium proprium recitaretur, ſicuti in diebus Sabbati de B. V. fieri conſueuit; Viſum fuit Congregationi, nihil omninò petendum; magis autem curandum, vt ſocietas in huiuſmodi ritibus ſe Romanæ Eccleſiæ conſuetudini conformet, quemadmodum ſemper fecit. Cur ergo non ſe accomodet eiuſdem conſuetudini in canendis Miſſis: tum quia nihil videtur obſtare ex ipſis quoque Conſt. t. Nam ſolùm p. 6. c. 3. § 4. in fine lit. B. habetur. In Miſſis maioribus, quæ dicentur (licet ſubmiſſa voce) habita deuotionis, & decentiæ ratione, licebit duos veſtitos ſuperpelliceis, vel vnum aſſiſtere, prout in Domino fieri poterit. Ex quibus verbis habetur P.° in Societate aliquas dici Miſſas Maiores, in quibus ſcilicet modò aſſiſtunt duo ſocij veſtiti ſuper-

c. 67.
c. 136.
c. 331.

superpelliceis; & hæc est solemnitas quæ in plerisque locis adhibetur, cum Missa celebratur pro Fundatore, & Benefactoribus Collegiorum solemniter iuxta Constit. p. 4. c. 1. §. 2. & L. A. 2.° fuisse saltem præter mentem S. Fundatoris, quod induceretur in pluribus societatis Ecclesijs mos canendi Missam; Ipse quidem S. Fundntor solùm Romę Diebus Dominicis sacrũ, ac Vespertinas Preces in Professorum Templo cum cantu peragi iussit ex initio lib. 16. tom. 1. Hist. Societat. Quare ex Constitutionibus non apparet, quod S. Ignatius non approbauerit in Ecclesijs Societatis ritum adhibendi Diaconum, & Subdiaconum cum Dalmaticis cum solemniter celebrantur Missæ. Imò cum ibidem dicat S. Ignatius, Eodem tono Officium, quod Tenebrarum dici solet, cum suis Cerimonijs in hebdomada sancta fieri posset; videtur approbasse in Ecclesijs Societatis ritum istum adhibendi Diaconum, & Subdiaconum cum Dalmaticis, præscribitur enim hic in Cerimonijs earum Missarum, quæ tribus postremis hebdomadæ sanctæ celebrantur.

Causæ autem, quæ peculiariter mouere possent ad Pontificem ad iubendum, vt in Missis canendis, processionibus habendis, & alijs Ecclesiasticis functionibus, quæ in Ecclesijs exerceri solent à socijs, & in administratione quoque Sacramentorum Ritum Romanum exactè seruaret Societas, hæ numerari queunt.

P. Vt maiorem in Apostolicam Romanamque Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, ac Magistram exhiberent, eamque cæteris omnibus suadere exemplo suo possent. Patet autem experientia, quantum ad amorem, & obseruantiam in Romanam Ecclesiam conferat, illius se conformare ritibus.

2. Vt quando Religiosi Societ. Iesu ex Formula Instituti Iulio Tertio ropofita in ijs, quæ pertinent ad victum, & vestitum, & cætera exteriora, honestorum Sacerdotum communem, & approbatum vsum sequi tenentur; in hisce quoq; ritibus sequantur communem, & approbatum vsum Sacerdotum celebrãtium solemniter; Dalmaticis enim vtuntur non solum Monaci, & Fratrum, Ordinis, verum etiam reliqui Regularium Clericorum cætus, imò & omnes planè Clerici sæculares dum solemnis Missa celebratur: & Cardinales quoque assistentes Summo Pontifici solemniter celebranti, dum funguntur munere Diaconi, & Subdiaconi nonne Dalmaticis vtuntur? A Clericis certè videtur deriuasse mos apud Monacales, & Mendicantes Ordines vtendi Dalmaticis. Similiter mos vtendi stola, & superpelliceo, quando excipiuntur Confessiones, non est Monacorum vel Fratrum tantummodò mos: illa solent adhibere reliqui Clericorum Ordines, & Clerici sæculares honesti, dum pœnitentes saltem in publico templo audiunt: Superpelliceis vtuntur in processionibus, alijsque similibus functionibus reliqui Clericorum ordines ac omnes Clerici. Cur ergo

societas,

ſocietas, quæ ſe profitetur Clericorum, & Presbiterorum, Religionem, & hoc nomine appellata fuit à Tridentino Concilio ſeſſ. 25. c. 16. habitum Clericorũ in his Eccleſiaſticis functionibus non amplectetur? Hinc aliqui exiſtimant fermè euidenter probari socios primo ſuo receſſiſſe inſtituto, quando re ipſa communem, & approbatum Clericorum vſum in his functionibus non amplectuntur, voluntque habitu proprio ſemet diſtinguere à reliquis honeſtis Sacerdotibus. Multis verò videtur indecens, quod cum iiſdem planè veſtibus, quibus Religioſus societatis vtitur, dum eſt in cubiculo, dum menſæ adeſt, dum ad Ianuam loquitur cum ſæcularibus, vel dum per orbem incedit vtatur in Confeſſionali Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrans. Certè Decretum à Cong. 1. factum de non adhibendo ſuperpelliceo in lectionibus Sacræ ſcripturæ etiam ad populum declarauit Cong. 4. intelligendum eſſe de regionibus, & locis, vbi non eſt illius vſus. Alioquienim (ſunt verba Congregationis valde ad hanc rem notãda) magna eſt indecentia non vti ſuperpelliceo, vbi eſt illius vſus; & inter hæreticos refert hæreticorum Miniſtros, qui in Miniſterio verbi ſuperpellicea irrident, & auerſantur. Tunc enimuerò societas maximè ſe Hæreticorum mores deteſtari apertius declarabit cuique, ſi in canendis Miſſis, in miniſtrandis Sacramentis, aliiſq; ſimilibus Eccleſiaſticis functionibus Ritus, Cæremoniaſque Romanæ Eccleſiæ maximè quas Hæreticorum accuſantur amplectantur.

Dec. 110. c. 80
Dec. 10. c. 243.

3. Vt mutua inter socios vnio maximè feruetur: ad hanc enim *multum conferre dicitur* p. 8. c. 1. §. 8. *conſenſio in cæremonijs Miſſæ* &c. Certè, niſi ſtatuantur, quod Ritus Romanus ſit ſeruandus in cæremonijs Miſſarum, quæ ſolemniter celebrantur; ſeruandæ ſint Rubricæ Miſſalis Romani in cæremonijs Hebdomadæ Sanctæ; Rituale Romanum ſeruandum ſit in miniſtratione Sacramentorum, in Proceſſionibus, in Exequijs sociorum &c. inducentur varij ritus apud socios, eritq; in poteſtate cuiuslibet ſuperioris modò hunc, modò illum adhibere; Quod non poteſt non eſſe cum graui offenſione populorum.

4. Vt extirpetur, quantum fieri poteſt illa cupiditas, quam plerique notant in socijs, cæteris etiam laudabilibus inſtitutis, ſiuę moribus non ſe confirmandi, nouitateſque excogitandi in ipſis etiam vocabulis, dum in rebus nequeunt.

5. Vt socij ad Presbiteratus Gradum euehendi ante in munere Diaconatus, & Subdiaconatus exercuerint ſemet; neque enim negari poteſt, quin maior Sacerdotalis gradus exiſtimatio à socijs conciperetur, ſi Ordinum illorum, qui ſunt veluti vltimæ ad Sacerdotium diſpoſitiones, functiones exercerent aliquando: Præterquam re ipſa maximè ſe oppoſitos Hæreticis irridentibus Ordines maximè sacros ſignificarent.

6. Vt Clericalis ſtatus pluris æſtimetur à Coadiutoribus Tempora-

libus; ſi enim hi viderint ſocios antequam ad Sacerdotium promoueantur, cum Dalmaticis, quibus nullatenus laici vti queunt, alioſq; Clericos in proceſſionibus cum ſuperpelliceis, quæ non debentur laicis, eadem quoque adhibere Clericos non Sacerdotes, dum Sacratiſſimum Chriſti corpus ſumunt, defunctorum Clericorum corpora ad ſepulturam deferri induta ſuperpelliceo, Clericos ſepeliri in diuerſo tumulo à laicorum tumulo &c. non poſſunt non agnoſcere ſe longè inferiores Clericis, adeoque nec poterunt non multum honorem Clericali gradui deferre. Certè cum ex dec. 106. Cong 1. Soli Sacerdotes alios ad eum Gradum non promotos præcedant, & inter ipſos Sacerdotes, aut laicos (quorum nomine videntur includi eo decreto omnes
c.354. qui non ſunt Sacerdotes) nullus ordo conſtituatur; & in Reg. 2. Præfecti Refectorij ſolum iubeatur, vt mantilia pro extergendis manibus alia Sacerdotibus, alia non Sacerdotibus deſtinentur; coadiutores præterea vtantur pileo Clericali, & ſuperpelliceis etiam communiter ſicuti Clerici dum inſeruiūt Miſſis, cum tamen Cong. 1. dec. 95. ſtatuerit petendam eſſe facultatem à Generali, ſi quando expedire iudicaretur, vt laici, qui inſeruiendi Miſſis etiā officiū habent ſuperpelliceis vteretur, & vſque ad vltimam diem, quo ſocij Sacerdotali caractere inſigniti ſint, licet Subdiaconi, & Diaconi in menſa inter laicos conſideant &c. non poſſunt hinc non minorem Clericalis ſtatus exiſtimationem concipere; quare par videtur eſſe, vt aliunde ſaltem occaſionem habeat huiuſmodi hominum genus multo in pre-
In lib. Reg. c.238. tio Clericalem ſtatum habendi, adeoque obſeruādi exactè Regulam 6. ipſorum propriam, quæ ſic ſe habet. Meminerint non ſolum ex Regula (eſt 29. in ſum. Conſt. deſumpta ex p.3. c.1. §.4.) omnes in animo tanquam ſibi ſuperiores ducendo exiſtimare, & exteriùs honorem, ac reuerentiam, quam exigit cuiuſque ſtatus, cum ſimplicitate, & moderatione religioſa exhibere; ſed etiam peculiari ſtudio curent erga omnes illos e noſtris, qui coadiutores non ſunt exteriori obſeruātia, & modo conuerſandi, eum quem debent reſpectum, humilitatemque præſeferre; idq; multò etiam magis erga Sacerdotalem Ordinem.

Petes 25. An poſſet Pontifex maiorem quamdam poteſtatem concedere Congregationibus Prouincialibus, quæ fiunt in societate.
ca 324. & 325. Reſpondeo affirmatiuè: tum quia Cong. 5. dec. 60. derogauit Conſt. p.8. c.3. ſtatuens vt non omnes Profeſſi ad Congregationes Prouinciales accederent. Multo ergo magis poterit Pontifex derogare §. 4. in Form. Congreg. Prouinc. confecta in 8. Cong. Gener. & approba-
In l. Form. n.75. ta in quarta recognitaque & aucta in 6. & 7. quod ſic habet. Intelligat autem in primis Congregatio, non ſibi licere quidquam ſtatuere, nec vllam ſibi aliam poteſtatē fieri prẽter eam, quæ expreſsè habetur
n.325. in hac formula Congregationis &c. Tum quia Cong. 5. dec. 60. de-

creuit

creuit, vt in prouincialibus Congregationibus per suffragia secreta decerneretur de cogenda, vel non cogenda Congregatione Generali: quod tamen Decretum reuocauit Cong.6.dec.22. quam reuocationem cofirmauit Cong.7.dec.11. Poterit ergo multò magis Pontifex, vt illius Cong.5. decretum omninò seruetur: tum quia Cong.2. dec.19. dedit Procuratoribus, qui tertio quoque anno ex omnibus Europæ prouincijs Romam accedunt ius suffragij ad decernendum cum Generali, & Assistentibus, an cogi debeat Congregatio Generalis nec ne; quod tamen suffragium illis non concedunt Constit.p. 8.c.2.§.1.L.B. tum quia eadem Congregatio voluit, vt huiusmodi Procuratores eligerêtur à Congregatione prouinciali; de quo tamen nullam mentionem Constitutiones faciunt. ca. 360. & 361. ca. 412. & 413. ca. 110, 121.

Causæ autem concedendi talibus Congregationibus maiorem aliquam potestatem, quam de facto habeant, hæ recenseri possunt.

P.a Si intelligeret multos etiam e primarijs ac spiritualibus Patribus exensare se ab interessendo huiusmodi Congregationibus, variasq; excogitare causas, & rationes, propter quas facilè admitti queat eorum excusatio; idq; fieri à talibus viris eo quod videant ex talibus Congregationibus iuxta formulam præscriptam factis nullum ferme reportari fructum, se non posse sensum suum liberè proferre circa indicendam maximè Congregationem Generalem, vel si liberè illum proferant, posse sibi meritò timere aliquod damnum vel à Prouinciali, vel à Generali, vel saltem minùs gratum se reddi illis, & alij ex eadem etiam Congregatione, qui Generali, vel prouinciali gratificari velint &c.

2. Si intelligeret prouincialem omnia ferme ad libitum moderari in talibus Congregationibus, easque haberi solùm ad quandā speciem; & maiorem partem eorum dierum, in quibus habentur huiusmodi Congregationes cum grauibus expensis Collegiorum, insumi in leuissimarū rerum discussione, nullumq; bonum maximè spirituale reportari prouincijs ex Congregationibus taliter factis.

Hæc autem maximè possent statui circa Cōgregationum prouincialium Potestatem.

P.o Vt illi qui intersunt hisce Congregationibus per secreta suffragia decernerent, an Congregatio Generalis cogenda sit nec ne.

2. Vt in Congregatione quæ Romæ habetur tertio quoque anno, Procuratorum à Congregationibus Europæ prouincialibus electorum, non liceat recedere a sensu Prouinciarum circa cogendam vel non cogendam Congregationem Generalem, si maior Prouinciarum in alterutrum consenserit.

3. Vt deputentur à Congregatione prouinciali tres aut quatuor Patres, qui examinent admittendos ad societatem.

4. Vt in his Congregationibus eligantur Magistri Philosophiæ, Mathema-

 thema-

expelli à ſocietate, tamen non tenebuntur eos Epiſcopi alere, cum qui ordinantur ex ſocietate noſtra, ceſſerint ſuo iuri in ordinatione; ordinantur enim ad titulum voluntariæ paupertatis. Neque enim hi ordinati poſſunt cedere iuri cōceſſo à Tridentino omnibus illis, qui promouentur ad Ordines ſacros, ſi ſint Clerici ſæculares, vel ſi facilè fieri poſsint Clerici ſæculares; eadem enim Tridētini ratio militat in vtroq; Clericorum genere; licet enim Scholaſtici ſocietatis ordinentur ad titulum voluntariæ paupertatis, hæc tamen voluntaria paupertas eſt valde diſſimilis illi, ad cuius titulū ordinantur reliqui Regulares profeſſi; rarò enim accidit, vt hi expellantur e Religione, adeoq; in ſęculo degentes emendicare cogantur. Neq; præterea obſtat id quod dec.3. Cong.7. de hoc ipſo loquens ait, Non teneri Iudicem alimenta miniſtrare illis quos ob manifeſtum delictum beneficio, aut Clericali titulo priuauit, damnauitque, Nec teneri reliquos Ordines ea miniſtrare illis, quos à Religione ſua ob delicta præſcindunt; Non obſtat, inquam: Quia non ſeruat ſocietas formam Iudiciariam in dimittendis etiam Sacerdotibus, & ob eas cauſas propter quas facilè dimittit non Sacerdotes, dimittit etiam Sacerdotes. ca. 405. & 406.

2. Vt magis ſolliciti ſint ſuperiores ſocietatis in promouendo Scholaſticorum ſpiritu; maior certè cura in hoc adhiberetur, ſi cum Ordines ſacros eſſent recepturi, inter profeſſos quoq; ſaltem trium votorum admittendi forent.

3. Vt tempeſtiuè aliqui Scholaſtici dimitterentur, nec cum ſocietatis iactura diutiùs (vt dicitur in Reg. 41. prouinc.) quā par eſt, retineantur. P. quidem Claudius in litt. de medijs ad Conſer. ſociet. datis anno 1587. die 28. Martij dixit ſcholaſticos male mortificatos ſi ad Sacerdotium promoueantur, maiores longè difficultates exhibere &c. In lib. Reg. c.41. c.201.

4. Vt ſic maior exiſtimatio concilietur Sacerdotali gradui: ad quem qui idoneus putatur, an non idoneus quoq; cenſeri poteſt, vt inter profeſſos trium votorum adſcribatur?

Petes 27. An poſſet pontifex iubere, vt à ſocietate amoueatur Gradus Coadiutorum ſpiritualium.

Reſpondeo affirmatiuè; initio enim Societatis per ſex circiter annos à confirmata ſocietate haud extitit hic gradus in ipſa ſocietate; Paulus enim Tertius ſolùm anno 1546. die 5. Iunij, vt apparet ex eius Bulla tertia, dedit facultatem S. Ignatio, eiuſq; ſucceſſoribus admittendi tales Coadiutores. In Bull. ca. 19.

Cauſæ autem, quæ ad hoc compellere poſſent Pontificem, hæ recenſeri poſſunt.

P.ª Si experientia pateret, aliquibus conferri gradum coadiutorum ſpiritualium, qui tamen reuera digni eſſent gradu profeſſorum; & hinc fieri, vt non pauci vel petant dimiſsionem e ſocietate, vel in perpetua animi amaritudine viuant.

2. Si

2. Si cessat finis propter quē fuit talis gradus in societ. institutus; cum enim supponeret S. Ignatius Professos debere maximè versari in missionibus, & in rebus grauissimis ad auxiliū animarū spectantibus, instituit talem Gradū Sacerdotū, cuius maximè propriū est iuuare professos in ministerijs proximorū, vt habetur eadē Bulla, & in Exa. c. 6. §. 1. modò autē cum mirificè creuerit professorū numerus, Professiq; pauci versentur in missionibus, nō indigent talium coadiutorū opera professi, et si quādo aliqui professi iuuādi essent, posset vti opera aliorū professorū, ex quibus nō pauci vel sunt otiosi, vel parùm occupati.

3. Si ex Coadiutoribus formatis non constituerentur ordinariè Rectores Collegiorum, quemadmodū decernitur p. 4. c. 10. §. 7. vel procuratores (vt statui videtur p. 6. c. 3. §. 7.) non amplius ex illis solis institueretur; sed professis ordinariè iam demādaretur munus Rectoris, & Professi iā plurimi cępissēt obire munus procuratoris Collegiorū &c.

4. Si iste Gradus esse potius ad quamdam speciem videretur; nam hi qui constituūtur in tali gradu, emittūt vota simplicia, sicut Scholastici, possūtq; dimitti e societate propter illas causas propter quas Scholastici dimitti queunt, vt habetur ex formula Instituti Iulio Tertio

c. 68. proposita; illa enim vota, & si publica, vt expresse dicitur p. 5. c. 4. §. 2. L. B. fiunt cum tacita quadam, quod ad perpetuitatem attinet, conditione, quæ hæc est, si societas eos tenere volet; & licet ipsi ex parte ipsorum ligati ad semper viuendum & moriendum in societate maneant; societas tamen vel eius superior, cum eorum opera se non iuuari, sed contra potius accidere cerneret, eos dimittere à societate potest, ac votis omninò liberare; quod dicitur etiam in fine c. 6. Exam. Hoc solum peculiare est in eorum dimissione: Quod hi, vt dicitur p. 2. c. 1. L. C. dimitti non debent nisi consulto, & approbante Generali, nisi in quibusdam remotissimis locis (vt in Indijs) huiusmodi facultatem prouinciali communicari opporteret; vel Generalis extra ordinē alicui, cui tanquam sibi ipsi fideret, & propter causas magni momenti eam communicasset: cum tamen vnusquisque pro-

In lib. Reg. c. 41. uincialis ex Reg. 41. habeat facultatem scholasticos approbatos, & coadiutores non formatos qui probationem absoluerunt, dimittendi inconsulto Generali in grauibus & vrgentibus casibus, in quibus sine graui periculo Generalis responsum expectari nequeat &c. Peioris tamen conditionis aliquibus videntur esse coadiutores isti formati, quam quicumque alij qui, post biennium vota emiserunt simplicia; nam isti post votum paupertatis possunt retinere dominium

In Bull. ca. 117. suorum bonorum p. 6. c. 2. §. 11. L. H. & ex Bulla Greg. 13. edita anno 1582. die 1. Febrarij, suntq; capaces hæreditariæ successionis; illi verò minimè hoc admittant dominium, vel hereditariam successionem, vt explicitè dicitur ibidem. Et tamen ex parte causarum tam facilè dimitti possunt hi coadiutores, quam scholastici.

5. Si

5. Si iste gradus quasi contemneretur à professis; adeoq; mutuam caritatem ac vnionem inter socios non custodiri experientia pateret. Hinc P. Claudius in Instr. de spiritu ad superiores c.6.n.6. monuit. Nullo modo ferant superiores, vt de coadiutorum Gradu abiectè quisquam loquatur, aut sentiat, præcipuè ex professis; sed illos arguant, mortificent, & instruant docentes quo ex spiritu talia procedant: & caritatem, obedientiam, fructumq; proximorum ea demum esse, quæ non solum apud Deum meritum, sed in Religione etiam beneuolentiā apud superiores, existimationemq; concilient. Hos esse operarios, qui tanquam membra reuera vtilia, & tali corpore digna, in societate pluris fieri, magisque foueri debeant. *In lib. Instr. Instr. de spir. ad sup. c. 45.*

6. Si experientia pateret prouinciales non solum non peculiari studio intendere in hosce coadiutores, quos ad Rectoris munus idoneos animaduerterint, vt ibidem n.7. iubet P. Claudius, eosq; Generali proponere; verum etiam in infimis Collegijs, & in illis locis, & occupationibus, in quibus operam collocare suam detrectant professi, illos detinere; horū postulatis, sicuti professorum, licet æquis, non annuere superiores, eidem delicto patrato & à Coadiutore, & à Professo haud pares imponere pœnas, imò dissimulare, si professus puniendus sit quoque &c. *c. 45.*

Petes 28. An possit Pontifex præcipere vt ad professionem etiam quatuor votorum promoueantur viri in pietate, religiosisq; moribus insignes, licet ceteroqui non essent in litteris conspicui, quales professos requirunt Bullæ Pontificiæ, & Constitutiones.

Respondeo affirmatiuè: tum quia ex Dec. 33. Cong. 7. Generalis dispensare potest cum ijs, qui ad gubernandum, vel ad concionandum illustria talenta habent, vt ad professionem quatuor votorum admittantur, etiamsi non deprehendantur habere tantum eruditionis, quantum necessum foret ad philosophiam, ac Theologiam cum satisfactione docēdam, quod ibi requiritur ad hoc vt aliquis admittatur ad professionem quatuor votorum: tum quia cum ijs qui mediocrem rerum Theologicarum cognitionem habuerint, quę sufficere ad infidelium, & hæreticorum conuersionem possit, quique insignes alioqui, in litteris humanioribus fuerint, & plures annos in ijs docēdis cum laude strenuè laborauerint (si cætera non desint, quæ in Constitutionibus requiruntur) dispensare potest Generalis, vt ad professionem quatuor votorum promoueantur: Sic habet dec. 15. Cong. 6. cuius etiam verba sunt. Quod si prædictam rerum Theologicarum cognitionem eos non habere contingerit, & nihilominus cætera, quæ dicta sunt, adfuerint; dispensari cum illis poterit, vt ad trium votorum professionem promoueantur. Atque idem fieri posse intelligatur cum Nostris, qui apud Indos vtiliter laborantes, eorum linguis cum fructu addiscendis operam dederunt &c. *c. 435. & 436.* *ca 351. & 352.*

Causæ

Causæ autem quæ impellere possent Pontificem ad id iubẽdum,dum viri aliqui iudicio vnanimi Congregationis Prouincialis censerentur in vnaquaq; Prouincia insignes pietate,ac Religiosis moribus,hæ recenseri possent.

P.° Quia ex vna parte id non repugnat Constitutionibus; nam p. 5. c.2.§.2. L.B. expresse dicitur, qui in Iure Canonico doctrinam sufficientem, vel alia egregia Dei dona haberet, ex quibus, quod studio Theologiæ deest, compensari posset; sine eo ad Professionem trium, & aliqui viri Insignes ad quatuor votorum (quamuis hoc extendi nõ debeat) admitti possent: & ex alia parte si quisque e socijs p.10.§.2. maius in virtutum solidarum, ac perfectarum, & spiritualium studio rerum momentum, quam in doctrina, vel alijs donis naturalibus, & humanis constitutum esse docere debent; etiam par videtur esse, vt societatis superiores à se maiori in precio haberi homines insigniores pietate, quam doctrina re ipsa declarent.

2. Vt excitentur socij ad maximè amplectendas Virtutes; si enim experientia patet conferri gradum Professorum quatuor votorum, qui est in societate præcipuus, illis, qui conspicui sunt in Theologia, vel etiam litteris Humanioribus, vel in linguarum Indicarum cognitione, licet minus in pietate præcellant, eumq; negari illis, qui conspicui sunt in Religiosis moribus, sed minus præcellunt in doctrina; fieri moraliter non potest, quin sibi suadeant communiter socij accuratiorem à se operam adhibendam in hoc, vt euadant magis conspicui doctrina, quam pietate. Qui sensus non potest non inferre grauissima societati, imò & ipsimet Ecclesiæ damna: & vtinam nunquam hactenus apud socios viguerit. Neque hæc damna impedire potuisset, vel poterit palam prædicare, quod societas pluris faciat Virtutem, quam Doctrinam, si facto contrarium ostenderet in promotione ad professionem: nullus enim à multis ab hinc annis saltem designari posse videtur, qui eo tantum nomine ad professionem quatuor votorum admissus fuerit, quod valde conspicuus fuerit in Religiosis moribus. Neque obstare id quod aliqui dictitare possunt; Hinc futurum, vt multi pietatis conspicua argumẽta præberent non ex puro amore Dei, sed ad obtinendum hunc Professorum Gradum: Non obstat, inquam. P.° Quia acquisitio talis gradus potest esse causa impulsiua, non motiua; quod non tollit laudabilitatem operationibus ceteroqui pijs. 2. Quia actus illi quibus detestatur peccatum quis ob timorem gehennæ, vel actus pios elicit ad acquirendum in cælo præmium, sunt actus supernaturales: Deusq; ipse vltrò proponit in Cælo mercedem his, qui rectè operantur, licet sit iuxta naturam hominis, qui est animal rationale, rectè operari. 3. Quia ex ipsis Const. p.3.c.20.§.26. licet socijs proponatur, vt seruiant, & placeant diuinæ bonitati propter se ipsam, & propter caritatem, & exi-

gua

mia beneficia, quibus præuenit nos potiùs quam ob timorem pœnarum, vel ſpem præmiorum, ſubiungitur tamen, quamuis hinc etiam iuuari debeant.

4. Quia huiuſmodi motiuũ poteſt eſſe in illis, qui de facto ad Profeſſionem quatuor Votorum promouentur; non enim alij, vt habetur p. 10. §. 7. quam ſpiritus, & doctrinæ ſelectæ viri, & multùm diuque exercitati, & in varijs probationibus virtutis, & abnegationis ſui ipſorum, cum omnium ædificatione, & ſatisfactione perſpecti, ad profeſſionem admitti debent. Quæ verba, vel his ſimilia habet formula Inſtituti Paulo Tertio, & Iulio Tertio propoſita: & Bulla 17. & 18. Greg. 13.

Petes 29. An poſſet Pontifex iubere vt ſocij ad Proceſſiones, ſiue ſupplicationes publicas accederent.

Reſpondeo affirmatiuè: Tum quia Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 13. ſocios etiam compelli ad proceſſiones decreuit; quod ipſimet faſſi ſunt in Cong. Tertia: Tum quia Epiſcopi de facto ſocios aliquando coegerunt ad proceſſiones, vt habetur dec. 35. Cong. 3. & tom. 2. Hiſt. ſoc. lib. 5. n. 111. anno 1561. antequam Concilium Tridentinum ſub Pio 4. perficeretur; Tum quia Greg. 13. anno 1573. die 27. Maij mandauit, ne Romana Proceſſio, quæ iam haberi cœperat à ſocijs, deinceps intermitteretur, vt habetur eodem dec. 35. Cong. 3. Tum quia ibidem eadem Congregatio liberam dedit P. Generali facultatem diſpenſandi circa quaſcumque proceſſiones retinendas, & inſtituendas, vbi ad Dei gloriam, & proximorũ ædificationem, præſertim vbi vſu, receptæ ſunt, & maximè inter hæreticos, & vbi conuerſioni infidelium opera datur, expedire videret. In lib. Dec. 232. c. 136.

Cauſæ autem, quæ poſſent ad id iubendum compellere Pontificem, hæ poſſent eſſe.

P.ᵒ quia Romæ non tantum ab omnibus fermè ſocijs in ea vrbe degentibus habetur Proceſſio in Octaua Corporis Chriſti, qua extra Eccleſiam, & circa Domum Profeſſam ſocietatis circumfertur Sanctiſſimum Chriſti Corpus; verum etiam habentur præſcriptæ Proceſſiones in Die Purificationis B. V. & in Dominica Palmarum, quibus ſolent intereſſe omnes ferè ſcholaſtici, qui degunt in Romano Collegio. Cur ergo ſimiles Proceſſiones non habeantur in ijs locis, in quibus ſcholaſtici ad litteras informantur?

2. Quia videtur ceſſaſſe finis propter quem Greg. 13. anno 1576. die 16. Iulij ſocietati exemptionem à publicis ſupplicationibus: nam ſic loquitur Pōtifex. *Nos igitur, qui præfatos Presbiteros, & Religioſos dictæ Societatis* à ſtudijs, lectionibus, prædicationibus, Confeſſionibus audiendis, & alijs Verbi Dei miniſterijs, ac pietatis operibus, quibus continuè laudabiliter incubuerunt, & incũbere non deſiſtunt, quauis ex cauſa diſtrahi nolumus; conſiderantes in Eccleſia Dei In Bull. ca. 154.

O non

non deesse alios Ordines Religionum, qui vel ex Instituto, vel absque propriarū functionum impedimento, supplicationibus huiusmodi interesse, aliaque publica Diuina officia exercere, sanctè continenterq; valeant &c. Nam possunt socij, quorum numerus valde amplificatus est à tempore Greg. 13. & vacare suis ministerijs, & interesse supplicationibus maximè pro publica indictis causa; neque enim e cæteris Religiosis Ordinibus omnes plane in tali Monasterio, vel Domo Regulari degentes accedunt ad processiones. Non pauci etiam e socijs otiosè viuunt.

3. Si experientia pateret eo tempore quo habentur supplicationes à cæteris Religiosis Ordinibus socios vel vagari per vrbem, vel extra vrbem ad villas etiam concedere recreationis causa, vel frequentare vias in quibus habentur Processiones, ac cæteris Religiosis se veluti tunc ostentare, quasi tali onere his processionibus interessendi carentes. Et in hoc quidem casu videretur cessasse finis Priuilegij etiam Positiuè.

4. Si experientia pateret socios minùs honorificè loqui de fratribus, maximè Mendicantibus, qui intersunt Processionibus, illorumque errores, dum intersunt Processionibus, sollicitè animaduertere, alijsq; referre &c.

Petes 30. An possit Pontifex iubere, vt in Hispania, vel Gallia, vel Germania Commissarius instituatur, cui potestas, quam habet Generalis communicetur (exceptis quibusdam casibus) tanquam ordinaria.

Respondeo affirmatiuè: Tum quia de Commissarijs fit mentio p.9.c. 3.§.90. tanquam de munere distincto à visitatorum munere: Tum quia S. Ignatius ipse non vni tantum Commissarij munus demandauit; quod tantæ existimationis fuit, vt in Cong. 1. dec. 10. statutum fuerit, ordinem in eundo ad Ecclesiam, & communicando, & redeundo, & sedendo ad dicendam sententiam, vel suffragium dandum talem esse debere, vt primo loco sederent primi professi, qui superstites erant ex nominatis in Bulla Institutionis societatis; secundo Commissarij Generalis præpositi &c.

Causæ autem, quæ possent Pontifici suadere, vt id iuberet, hæ peculiariter afferri queunt.

P.ª Si experientia pateret, cum adeò multiplicatus fuerit sociorum numerus, vbique fermè esse querelas, quod expectare à Generali Romæ degente responsum rebus gerendis complura afferat præiudicia. Plurima autem sunt illa, quæ per se solum licet Generali statuere.

2. Si experientia pateret Prouinciales alicubi quasi Generalis auctoritatem, & potestatem in compluribus præseferre, cum tamen opus esset, vt aliquis præsens eam moderaretur.

3. Si experiẽtia pateret multas esse de Prouincialibus querelas, quas cum

cum exponere nequeant voce Generali ipsi Prouincias non visitanti, par esset audiri ab aliquo, qui eius vices ordinarias habeat.

4. Si experientia pateret ex vna parte Generalem negotiorum multitudine oppressum vix litteris quæ ad illum scribuntur, responsum dare posse, ne dum examinare rem de qua litteræ fuere conscriptæ, & tamen expediat sæpenumero rem discuti, & non à Prouincialibus.

5. Si experientia pateret prouinciales, maximè nouos, peccare in multis, eo quod non habeant vllum præsentem à quo dirigi possint, & ad quem possint tutò pro re nata confugere &c.

6. Si ex vna parte pateret Prouinciarum Bono extra Italiam ex horum Commissariorum institutione consulendum; & ex alia parte non tolleretur hinc collectio societatis sub vno capite; nam adhuc Generali præposito subordinati essent Commissarij, sicuti sunt etiam Prouinciales Generali subordinati, licet multam potestatē illis conferat Generalis; imò licet daretur hosce Cōmissarios non posse remoueri omninò ab officio, nisi de consensu societatis (supposito quod electi fuissent in Congregatione Generali) adhuc tamen si ita se male gererent in alijs rebus, vel etiam officio suo, vt indigni viderentur eo loco, possent suspendi ab officij executione à præposito Generali, vt in simili casu statutum est de Assistente à Cong. 1. dec. 87. c. 65.

7. Si experientia pateret conari Generales suam semper potestatem, & auctoritatem amplificare, & Monarchicum regimen vndequaque reddere perfectum; quod aliquando quasi in Tyrannidem vergere posset.

8. Si experientia pateret prouinciales in Congregationibus Generalibus eo præsertim nomine noluisse, vt Commissarij essent officiales Ordinarij Generalis eo quod vellent suo penitus arbitrio regere prouincias: & tamen Episcopi, & Archiepiscopi, cæterique præsules Ecclesiastici in Catholicis omnibus Prouincijs solēt admittere Legatos, siue Nuncios Apostolicæ sedis, eosque colere tanquā superiores suos, & habentes plerumque saltem maiorem auctoritatem collatam à Summo Pontifice, nec conqueri solent, quod habeant duplicem in spiritualibus superiorem, vnum Remotum, alterum proximum, qui potest singulorum actiones obseruare &c.

PARS TERTIA

In qua proponuntur multa, in quibus Religiosi Soc. Iesu derogarunt Constitutionibus à S. Ignatio conscriptis, alijsq; Legibus in Congregationibus Generalibus editis:

Simulq; explicantur aliqua, in quibus Pontifices Summi derogarunt ijsdem Constitutionibus, vel Legibus, Priuilegijsq; iam obtentis à Socijs.

Maioris gratia Claritatis Partem hanc in duo Capita tribuimus.

CAPVT PRIMVM

In quo proponuntur aliqua in quibus P. Iesuitæ, siue Legibus, siue Praxi derogarunt Constitutionibus à S. Ignatio conscriptis.

ac.49.ad 54 P.° **Pono.** Constitutionum Librum, qui modò extat, non posse dici eumdem omninò, & secundum omnia planè cum eo qui fuit à S. Ignatio conscriptus: Quia, quidquid sit de Verbis, quorum aliqua videntur immutata, vel in commodiorem sensum à Congreg. 1. adaptata, ab eadem Cong. 1. in c. 6. p. 4. S. 5. vbi dicebatur, *Ut versionem ab Ecclesia approbatam defendant, quoad eius fieri poterit*; hæ postremæ Voces ablatæ sunt, quia vbique defendi potest Vulgata Editio iuxta Constitutionem Concilij Tridentini. (dec. 27 post electione Ge. c. 37.)

dec. 32. c. 38 2. In c. 13. p. 4. L. A. illis verbis, *Speciatim in quodam Tractatu*, additum est, *per Generalem Præpositum approbato*.

3. Ibidem L. D. cum haberet textus, *Non solùm Repetitiones vltimæ Lectionis, verum hebdomadæ, mensis*, & *anni fieri oportebit*, repositum est, *Non solùm Repetitiones vltimæ Lectionis fieri oportebit, verum & hebdomadæ, & longioris temporis, prout expedire iudicabitur*. (dec. 32. c. 38)

dec. 33. c. 38. 4. In c. 14. §. 3. vbi dicebatur, *in Logica, & Philosophia Naturali, & Morali*, additum est, *& Metaphysica*.

5. In c. 15. §. 4. vbi sermo est de promotis ad gradus, sic textus habebat,

bebat, *honore inuicem præueniant, & doctiores infima loca procurent;* sed repositum est, *honore inuicem præuenient, nulla obseruata differentia locorum.* dec.34.c.38

6. Illis Verbis p.6.c.2. L.G. *Non debet quidquam accipi, tanquam stipendium*, additum est, *vel eleemosina pro his* &c.& expuncta Declaratio in idem cap. *Quod aliquando Domus, vel Professus posset habere ius succedendi in hæreditate.* Tantus fuit Primorum illorum Patrum in paupertatem puram, sinceramque amor. dec.37.c.39.

7. In decl.p.2.c.4 sic habebatur, *Qui egrediuntur à Societate sua sponte, quamuis iudicentur ad eam idonei, si aliam Religionem essent ingressi, & habitum eius assumpsissent, nō videretur eos Societas recipere debere, nec minus curare, vt eos ad se reduceret;* sed iussum est reponi hæc & in scholio, *nec curare vt eos ad se reduceret, siquidem sint Nouitij. Nam in alijs vti poterit Societas (si in aliquo casu videbitur ad maius Dei, ac Domini nostri obsequium fore) facultatibus à Paulo 3. concessis, quandoquidem aliam Religionem ingrediendo, non ideò de iure desierunt esse de Societate nostra.* Hæc verò modò non leguntur nec in Declarationibus, nec in scholio, vt cuique Legenti patere potest. dec.24.c.35.

8. Ad declarationes translata sunt p.c.3 & c.9. p.4. ab eadem Congregatione, quæ iussit quoque addi Declarationem ad c. 13.p. 4. vbi dicitur, *præsideat, qui contentionem dirimat.* Verum illa Declaratio modò non legitur. Ac præterea expuncta quædam Declaratio ad c. 2. p. 6. dec.18.c.37. & dec.30.c.37. dec.37.c.39.

2. *Pono.* Congregationes Soc. Generales derogasse Constitutionibus à S. Ignatio conscriptis. Nam 1. cum in Cong. 2. propositum fuisset, cum in ratione scribendi, quæ in Declarationibus vltimis 1.cap 8. p. lit. L.M N. continetur, licet initio societatis perutilis fuisset, tunc grauissimæ difficultates inuenirentur, *An mutari eam oporteret*, & formam aliquam confici, quæ societati pro statu præsenti conuenire censeretur: Re discussa, visum est, quædam esse in prædicta ratione scribendi, *quæ modò non bene possint obseruari: vnde remedium esse per aliquam immutationem Constitutionum in ea parte adhibendum* Et placuit designari tres, vel quatuor, vel quinque, pro arbitrio R.P. Præpositi Generalis, cui eligendi eos cura data est, qui Formulam aliquam scribendi conficerent, & Congregationi proponerent, vt ea decerneret, quid esset agendum. de.16.c.118. & 119.

Ipse autem Generalis, qui fuit B. Franciscus Borgia, ad hoc quinque elegit; Qui vbi eam confectam Congregationi proposuerunt, à Congregatione talis Formula approbata fuit, ea tamen Lege, vt tamen propterea non expungerentur Constitutiones, donec id definiret proxima futura Generalis Congregatio, *etiamsi executio, & praxis iuxta Decreta illa esset obseruanda.* de 54.c.136 137.& 138.

In eadem Congregatione cum ageretur ab eodem B.Borgia de Congrega-

gregatione Generali, An certis, & statis temporibus esset cogenda;
de.19.c.120. & 121. visum fuit Congregationi, eius sententiam sequi, quæ septimo quoque anno eam celebrandam esse censuit &c. Sed intercessum fuit, & intercessio obtinuit, ne vllum certum tempus præscriberetur &c.
de.37.c.131 Eadem etiam Congregatio statuit, vt litteræ Quadrimestres continentes societatis res ad ædificationem in annuas conuerterentur, siue vt quæ quarto quoque mense iuxta p. 8. c. 1. initio L. M. scribendæ erant, in singulos tantùm annos conscriberentur.
Idem quoque eadẽ Congregatio decreuit circa Catalogos, qui quar-
de.48.c.134 et 135. to quoque mense mittendi erant à singulis Superioribus Localibus Prouinciali, & à Prouincialibus Generali iuxta p. 8. c. 1. L. N.
2. Congregatio 3. sustulit Constitutionem iussu S. Ignatij factã, quam
de.76.c.58. tamen Congregatio 1. inter Regulas, non inter Constitutiones reponi iusserat, vt scilicet *Qui in Domo, vel Collegio, vbi Sociorum multitudo vltra triginta se extendit, supremam habet auctoritatem, non cibum capiat ordinariè cum illis in Refectorio* &c. Approbauit tamen antiquam
de.38.c.129 consuetudinem à Patribus Generalibus tanquam cum ratione obseruatam tam in sua mensa priuata, quam vt etiam cum alijs ex causa dispensaretur, prout in Domino magis expedire iudicaret ipse Generalis. Hanc tamen priuatam mensam cum sibi vltronea voluntate subtraxisset. P. Mutius Vitellescus creatus anno 1615. Generalis, Con-
de.7.c.409. gregatio 7. probauit, laudauitque propensam illius in communem mensam voluntatem; *Nam licet, inquit, primorum Patrum nostrorum in illis Societatis initijs consuetudo, ob graues, quę eos mouerant causas, non possit non probatissima videri; in pręsentiarum tamen non potest non Diuinæ Bonitati gratias agere, quę piam hanc mentem Patri Nostro iniecerit; eamdemque Successoribus, quanto potest studio precari, totisque animis commendare; vt pari voluntate, & spiritu in eamdem rem ferantur.*
3. Congreg. 4. derogauit p. 8. c. 3. §. 1. in duobus; Constitutiones enim relinquebat Generalis arbitrio cogere, vel non cogere Congregationes Prouinciales, quando habenda esset Congregatio Generalis, præterquam si hæc habenda foret ad eligendum Generalem, aut ad deliberandum de his, quæ ad Generalem ipsum spectant; & præterea liberam eidem Generali, vel prouinciali eiusdem nomine relinquebãt electionem illorum, qui cum prouinciali venire ad Congregationem Generalem deberent. At hæc Congregatio statuit, vt quotiescumque
de.37. & 39 c. 258. 259. & 260. cogenda esset Congreg. Generalis, fierent Congregationes Prouinciales, & in his eligerentur qui ad Generalem venturi essent, nec liberum relinqueretur Generali, vel Prouinciali eos nominandi.
de.5.c.240. & 241. Eadẽ Con. approbauit consuetudinem inductam à B. Borgia de integra Orationis hora præter tempus vtriusque Examinis, cum tamen Const. p. 4. c. 4. §. 3. horam vnã orationi, & examinandis bis quotidie suis cõ-

scien-

scientijs assignauerint, siue, vt habet Congregatio, semihoram tantùm Orationi deputauerint; & præterea Cong. 1. petita an plus temporis orationi impendendum foret, quam Constitutiones præscribant, Responderit, seruandas esse Constitutiones, & nihil aliud certi præscribendum &c. *dec.97.c.69*

4. Congreg. 5. derogauit eidem §. 1. c. 3. p.8. in quo dicebatur, ad Congregationes Prouinciales conuenire debere, & in illis suffragium habere professos omnes Prouinciæ, qui interesse poterunt, statuens, vt quoniam excrescente iam in dies numero Professorum, & Superiorum, ob eam causam multò frequentiores, quam par esset, ad Prouinciales Congregationes conuenirent, indeque multa & grauia incommoda sequerentur, in posterum ad Congregationem Prouincialem pro eligendo Procuratore, qui tertio quoque anno Romam mittitur, conuenturi quadragenarium numerum non excederent, nec quinquagenarium, quando conuocatur Prouincialis Congregatio ad eligendos duos, qui vnà cum Prouinciali ituri sunt ad Congregationem Generalem; in vtroque tamen casu debere esse maiorem Professorum numerum, hoc est, duas tertias partes Congregationis. *dec.24.38. 60.& 81.* *c.288.289. 297. 325. 337 & 338.*

5. P. 10. Praxi, seu Consuetudine, quæ est tacita lex, derogatum esse pluribus, quæ in Constitutionum libro habentur: Inter cætera autem, quæ compluribus innotescere potuerunt, possuntque.

P.° Commissariorum officium de quo fit mentio p.9. c.3. §.7. & 20. iam amplius non est in vsu, licet & s. Ignatius, & Pater Laynez s. Ignatij in Generalatu successor, pluribus id munus, (quod erat maximæ auctoritatis, poniturque tanquam distinctum ab officio Visitatoris eo §.20. & dec. 11. Cong. 2. & dec. 3. Cong. 4.) demandauerint. *c.115. & ca. 139.*

2. Sociorum vestitus debet esse accommodatus ad vsum loci in quo viuitur p.6. c.2. §. 15. Sed hoc non videtur esse ampliùs in praxi. Certè iam socij solent quoad vestitum distingui ab alijs Clericis, & sacerdotibus sæcularibus, licet honestis, cum tamen deberent sequi in ijs quæ ad victum, & vestitum, & cætera exteriora pertinent, honestorum Sacerdotum communem & approbatum vsum ex Formula Instituti Iulio Tertio à S. Ignatio proposita. Socij quoque non nutriunt barbam, sicuti omnes fermè sacerdotes, & Clerici sæculares honestissimi quoque: Decretum autem 114. à Cong. 1. de non nutrienda barba factum fuisse dicitur eo tempore, quo non erat communis vsus apud honestos sacerdotes nutriendi barbam. Aliqui etiam reprehendunt in societate, quod Clerici, & maximè sacerdotes non designentur illo prænomine quod est commune omnibus sacerdotibus sæcularibus honestis *Don*; maximè cum hoc non videatur repugnare vlli Decreto; solum enim à 2. Cong. dec. 85. statutum est, vt nomen illud honorificum, id est *Don*, vbi est insigne nobilitatis sæcularis, de societate omninò tolleretur; imò videri possit magis conforme s. Ignatij *In Bull. c.67* *c.82.* *c.149.*

volen-

volenti exam. c. 1. §. 6. vt ipsamet ratio viuendi sociorum in exterioribus esset communis.

3. Collateralem socium superiori adiungendi, de quo latè est sermo
c.149. p. 8. c. 1. L. D. iam penitus vsus defecit. Congregatio quidem 2. dec. 86. sustulit à societate nomen, officiumque superintendentis &c.

4. Correctio externorum scholasticorum non est exercenda per aliquem de ipsa societate p. 4. c. 7. §. 2. & c. 17. §. 5. & tamen passim id executioni non mandatur.

5. Prælegi debet vna cum S. Thoma Magister sententiarum p. 4. ca. 14 L. B. Vbinam id seruatur?

6. Coadiutores spirituales p. 4. c. 10 §. 3. & p. 6. c. 2. §. 3. ordinariè debent esse Rectores collegiorum: & tamen Professi non solum Collegijs, in quibus scholastici socij litteras discunt, verum etiam alijs ferme omnibus præsunt.

7. Quod scholastici alantur in quibuslibet Collegijs, vel eorum iusto deficiente numero alij scholastici externi pauperes ibi alantur tradi-
c.114 tur p. 4. c. 3 §. 1. & 2. & L. B & c. 9. § 1. L. A. & tamen hoc non præstatur, sed scholastici educãtur in certo seminario, vel certis seminarijs, quæ instituta sunt à tempore Cong. 2. in qualibet Prouincia; statuit enim vt in qualibet Prouincia saltem vnum seminarium societatis perfectum institueretur dec. 9.

8. Instrumenta ad rem musicam Domi haberi non possunt ex p. 3. c. 1. L. M. & praxis societatis saltem per sexaginta annos interpretata est, Organa non posse haberi saltem ordinariè, vel certo affixa loco in ipsismet societatis Ecclesijs: Et tamen passim haud id seruari videtur.

9. Vespertinæ preces non sunt cantandæ a socijs nisi eo tempore, quo vesperi prædicandum, vel legendum est ad populum detinendum ante huiusmodi Lectiones, vel conciones p. 6 c. 3. §. 4 L. B. in cuius fine supponitur, Missas maiores dicendas submissa voce, assistentibus tamen duobus, qui vestiti sint superpelliceis &c. & hæc est solemnitas Missæ, de qua fit mentio p. 4. c. 1. L. A. & Praxis quidem per plurimos annos docuit, rarissimum fuisse cantus firmi & figurati vsum in Ecclesijs etiam Domorum Professarum, & tunc etiam cum peculiari facultate Generalis. Qua ratione hæc seruentur, cõpluribus innotescit.

10. Debent Nouitij saltem ex p. 3. c. 1 §. 3. L D. agere cum maturis, ac prudentibus, qui à superiore præscripti fuerint: & scholastici, cum ad publicas scholas eundum est, debent ire, ac redire inuicem associati, cum socio scilicet, qui à Rectore fuerit designatus, & hic huiusmodi esse debet, vt vterque alterius opera magis proficere possit p. 4. c. 4. §. 6. & L. F. Hæc passim non solent exequi superiores &c.

11. In cæremonijs Missæ sequi debet societas Romanum Ritum p. 4. c. 8. §. 2. Id nec in ipsamet Vrbe Romana seruari in solemnioribus Missis

Missis, quæ canuntur, omnibus innotescit, & illa quidem Constitutio Vniuersalis est, & rationes ibi allatæ vrgent in omnibus Missis.

12. In opinionibus, in quibus Catholici Doctores variant inter se, vel contrarij sunt, curanda est conformitas in societate p.3.c.1.§.18.L. O. Huic praxi derogatum esse nemo ferme ignorat.

13. Quod statuitur p.6.c.2.§.7. de non accipienda etiam eleemosina introitu vllius ministerij societatis iuxta explicationem P. Claudij in lib. Ord. c.1.n.14. non amplius communiter videtur in vsu. c.14.

14. Procurator Generalis cum suis socijs alijsque Procuratoribus ordinariè habitare debet in Collegijs p.9.c.6. §.12. & L.G, supponitq; Reg. vltima illius: & tamen id non fit. In lib. Regl. c.115.

4. *Pono*. Cum hæc, aliaq; his similia in compluribus saltem Prouincijs, & quarum notitiam clariorem habere potest Generalis, fiant repugnantia Constitutionibus, nec superiores contradicant, videri posse iam praxi tales Constitutiones abrogatas. Cognouit Congreg. 3. abrogationem aliquam constitutionum praxi inductam: nam dec. 23. cum quidam ex Patribus proposuissent, vtrum Constitutiones, quæ ratione temporis, vel alias ob causas in praxi nõ sunt, expungẽdæ essent; Responsũ est, nulla ratione id faciendũ esse: sed potiùs oportere, vt omnes inuiolatæ permaneãt, vt quales à Sanctæ me. R. P. Ignatio acceptæ sunt, tales identidem ad posteros transmittantur &c. c.121.

5. *Pono*. Non hic examinari, an opportunius fuisset, foretque, vt integrè seruatæ fuissent, vel seruarentur Constitutiones prout à S. Ignatio conscriptæ: sed solùm attendi, cum propter incommoda, quæ experientia docuerat sequi ex aliquarum Constitutionum obseruantia, & difficultates, quas societas præsentiebat, vel iam senserat oriri, si nonnullæ Constitutiones obseruarentur, Patres Congregationũ Generalium, ac superiores expressè vel tacitè illis derogarunt iam à multò tempore, recentiores Patres societatis non facturos contra morem antiquiorum Patrum, si apertè alijs Constitutionibus derogarent, vel moneret Congregatio Generalis, aut ipsemet Præpositus eius nomine superiores, ne aliquarum Constitutionum obseruantiæ inuigilarent &c.

6. *Pono*. Primam derogationem apertè factam Constitutionibus electo Generali B. Borgia, circa formulam scribendi, Catalogos, ac litteras quadrimestres fuisse. Aucta iam erat societas mirum in modum sociorum numero; ideoque moderatio adhibenda fuit in litteris, maximè quæ ad Generalem scribendæ erant, & in certioribus faciendis superioribus Primarijs, alijsq; etiam ex societate de statu personarum, ac rerum eiusdem societatis. Quare non mirandum esset, si ab eo tempore caritas, & vnio animorum inter socios pristina deficere incepisset; nam ad hanc eo §.9.c.1.p.8. dicitur magnopere conferre litterarum vltro, citroque missarum inter inferiores, & superio-

res commercium, & crebrò alios de alijs certiores fieri, ac audire, quę ex varijs locis ad ædificationem geruntur, cognitionem, afferuntur cuius rei superioribus, ac præcipuè Generali, & prouincialibus cura erit, eo constituto ordine, vt quouis in loco, quæ ad mutuam consolationem, & ædificationem faciunt, ex alijs sciri possint. Subijcit autem ibi in Declar. S. Fundat. quinam modus seruandus, quo hæc Constitutio ad praxim reuocanda est. Quamnam autem ob rationem à multis ab hinc annis Annuæ etiam ipsæ litteræ, quarũ quoq; impressionem commendauit Cong. 7. dec. 19. P. Generali, non Missæ fuerint
n.421. ad prouincias, nostri modò negotijs haud est indagare.

7. *Pono*. Secundam derogationem fuisse factam ad restringendam Generalis potestatem, adeoque cum illam restringendam fore visum fuerit immediatè post annos quadraginta à confirmata societate, haud mirandum, si post annos centum & amplius ab eadem confirmata iterum restringenda videri possit.

8. *Pono*. Cũ Tertia Derogatio aperta fuerit circa numerum cõgregandum in Cong. prouincialibus Professorum, nec explicatum, quòd duæ partes Congregationis cuiusq; prouincialis, quæ debet esse ex professis, esse debeant ex proffessis antiquioribus, hinc potuisse importari multa societati damna; nam cum pauci ex senioribus ad eas conuenire soliti fuerint eo quod Iuniores multis in Prouincijs saltem maxima ex parte Collegijs præsiderent promoti à prouincialibus ea etiã de causa, quod facilius eorum votum, & assensum, quam seniorum professorum haberent, fieri potuit vt prouincialibus suggerentibus haud necessariam esse Congregationis Generalis conuocationem assensum præstiterint, amissa non pauca proponenda nomine Congregationum prouincialium ipsi Præposito Generali futura minus ipsi grata, cum tamen essent in vniuersæ beneficium societatis &c.

9. *Pono*. Assensisse Congregationem 2. aliquam ex Constitutionibus à S. Ignatio scriptis non fuisse in vsu viuente eodem Sancto Fundatore; cum enim p. 4. c. 4. §. 5. designentur pro diebus, quibus renouaturi sint sunt sua vota scholastici bis in singulos annos, festa videlicet Resurrectionis, ac Natiuitatis, vel dies intra eorum Octauas, vel totidem dies ante hæc festa, vt declaratur ibi L. D. facta potestate tamen, vt Rector cum superioris facultate aliquando particularem aliquam ob causam hæc festa mutare possit, à tempore ipsius S. Ignatij vsu & consuetudine ad illa vsque tempora fuisse corroboratam mutationem illorum festorum in alia vniuersalem in societate: Quæ praxis etiam modò perseuerat. Aliquibus tamen mirum videtur, quod S. Ignatius talem conscripserit legem; & tamen iuxta eius intentionem fuerit, quod illa omninò non esset in vsu.

10. *Pono*. Si affirmaretur, in nonnullis Constitutionibus, quibus asseruimus videri derogatum esse praxi, primis societatis temporibus

dispen-

diſpenſaſſe Generalem iuxta id quod illi conceditur p. 9. c. 3. §. 8. & illi peculiariter circa Correctorem externorũ ſcholaſticorum illi conceſſum eſt à Cong. 1. dec. 35. & circa cantum Miſſæ, & veſperarum illi quoq; conceſſum ab eadem Cong. dec. 39. & à Cong. 2. dec. 17. hoc ipſum indicare praxim ipſam docuiſſe primis illis etiam ſocietatis temporibus Conſtitutiones aliquas minùs ſalutares vniuerſaliter iudicatas fuiſſe. Aliquibus tamen videtur diſpenſationem circa Correctorem externorum ſcholaſticorum, vt poſſit eſſe vnus e ſocietate, eſſe apertè contra mentem S. Ignatij: nam ipſe eo §. 2. c. 7. p. 4. & §. 5. c. 16. eiuſdem p. omninò vult correctionem hanc non eſſe *exercendam per aliquem de ipſa Societate*; ac ſimiliter diſpenſationem circa Cantum Veſperarum; nam ipſe S. p. 6. c. 3. §. 4. L. B. apertè ait poſſe cantari Veſpertinas preces ordinariè Dominicis, & feſtis diebus à ſocijs, quatenus iudicaretur, quod populus ad magis frequentandas Confeſſiones, Conciones, & lectiones moueretur, *& non aliter*. Nequit autem Generalis diſpenſare in Conſtitutionibus, niſi quatenus iudicauerit eam fuiſſe mentem eorum, qui Conſtitutiones condiderunt, vt clarè dicitur eo §. 8. c. 3. p. 9. Ideoq; praxi potiùs, quæ rationabiliter induci potuit, videri potius, hiſce derogatũ Conſtitutionibus. *c. 39. & 40. & c. 119.*

Caput Secundum.

In quo proponuntur aliqua, in quibus vna Congregatio Generalis Soc. Ieſu alterius Congregationis Generalis Decretis derogauit.

P.° Pono. Congreg. 2. ſuſtuliſſe nonnulla ex dec. 16. & 17. Cong. 1. ante elect. & integrè dec. 18. Imò cum etiam duo illa ſuſtuliſſet ex c. 5. dec. 6. eiuſdem Cong. 1. iterum vnum ex his cõſeruari ſtatuiſſe; & præterea amplificaſſe numerum illorum à quibus peti poſſet informatio pro futura electione Generalis, contra id quod placuerat Cong. 1. eo dec. 6. c. 2. *dec 24. et 25 c. 104 et 105* *de 16. c. 100 & dec 90. c. 150.* *dec. 24. c. 99*

2. *Pono.* Con. 3. decreuiſſe, vt informatio pro electione Generalis à ſolis Electoribus, & Procuratoribus peteretur, & quidè de rebus tantũ, non item de perſonis: cum tamen Cong. 2. dec. 14. ſtatuiſſet, vt illa ab omnibus de ſocietate, qui bene poſſet referre poſſet capi informatio. *dec. 5. c. 163*

3. *Pono.* Cong. 4. ſtatuiſſe non eſſe facienda breuia ſcholia in locos difficiliores Conſtitutionum, quemadmodum in Cong. 1. dec. 51. & in Cong. 2. dec. 42. commendatum fuerat. *de. 34. c. 157*

4. *Pono.* Cong. 5. ſtatuiſſe, vt beneficia Eccleſiaſtica quæcumq; finito biennio Probationis à ſocijs omninò reſignarentur, priuſquam vota ſimplicia ſcholaſticorum emitterent, contra id quod erat ſtatutum *de. 19. c. 285.*

in Cong. 1. dec. 140. innixa verbis Exam. c. 4. §. 5. quibus non præcipitur, vt beneficia relinquantur ante professionem, nisi iubente Superiore post annum; Hunc autem superiorem fore Generalem, vel Commissarium, vel Prouincialem in ea Congregat. est quoque statutum.

dc. 44. & 45 c. 304. c. 305 Eadem etiam Congregatio correxit Decretum immediatè à se factum antecedenter: ac præterea quod habebatur in Form. Cong. Prouinc. c. 3. approbata à Cong. 3. admittendos scilicet esse ad eam Congregationem Rectores, qui præsunt seminarijs, vel Conuictoribus. Si noue de societate vt minimum in huiusmodi Collegijs, & immediatè Prouinciali subditi fuerint, omninò sustulit, decernens ex Rectoribus non Professis eos tantùm in Congregatione locum habituros in

dc. 51. c. 338

posterum, qui societatis domicilia administrant, non item qui seminariorum quorumcumq; curam habent: Item statuit vt in prouincialibus Congregationibus per suffragia secreta decerneretur de cogenda, vel non cogenda Congregatione Generali, contra id quod videtur approbatum à Cong. 3. in Formu. Cong. Prouinc. c. 5. n. 3. voluit autem postea huiusmodi decretum, sicuti quoque alia duo in eo dec. 60. stabilita, donec sequens Congregatio (quæ cogenda erat summi Pontificis mandato, post proximum sequens sexenium) de illis decerneret, manerent suspensa.

dc. 60. c. 325 dc. 57. c. 334

6. *Pono*. Congreg. 6. reuocasse dec. 60. Cong. 5. statuens, nullo modo secretis vtendum esse suffragijs in Cong. Prouinc. cum quæratur cogendane sit Congreg. Generalis, siue de negocijs alijs agatur. Quod decretũ confirmauit etiam Cong. 7. dec. 11. eadem etiam Cong. Decreto Congreg. 4. derogauit statuens, vt duabus suffragiorum tertijs in Congregatione Procuratorum Romę, non ad plura mediatè suffragia decerneretur de cogenda, vel non cogenda Congregatione Generali.

dc. 11. c. 360 & 361. dc. 11. c. 412. dec. 26. §. 1. c. 368.

7. *Pono*. Cong. 7. reuocasse mox allatum decretũ, ac iussisse vt staretur dec. Cong. 4. eadem etiam abrogauit declarationem Cong. 6. dec. 55. §. 20. decernens vt non tantum post inchoatum sed nec etiam post decretam Congregationem Generalem liceat Generali Prouinciales mutare; iussisq; expungi quædam ex §. 21. & 82. Form. Congreg. Generali.

dc. 10. c. 412. dc. 66. c. 455 dec. 55. c. 88 ca. 449. & 467.

8. *Pono*. In Officio Vicarij recognito in sexta, & septima Congregat. in aliquibus datum esse Assistentibus suffragium decisiuum, cum tamen antea Vicarius teneretur tantùm audire illos, vt clarè cognoscet ille qui conferet istud officium confectum in secunda Congregatione Generali, & approbatum in Tertia cum eodem recognito, & aucto in sexta, & septima.

In lib. Decr. c. 155. 156. & 228. 230 In li. Form. c. 97. & 99.

9. *Pono*. Non has allatas fuisse mutationes, & quasi reprehensione dignas, sed eo tantùm Consilio, vt si Congregatio Generalis futura in bonum societatis iudicauerit aliqua ex Decretis antecedentium Septem Congregationum abolenda esse, vel mitiganda, innotescat

noteſcat illam in hoc non receſſuram ab aliarum Cong. Gener. more.
10. *Pono*. Cæteris paribus minus derogandum eſſe Conſtitutionibus à S. Ignatio conſcriptis, quam Decretis Congregationum Generalium: tum quia illæ peculiariter approbatæ ſunt à pluribus Pontificibus: tum quia dicuntur fuiſſe conſcriptæ ex peculiari lumine cæleſti: tum quia ſunt baſis, ac fundamentum ſocietatis, eiuſque Regula: tum quia hic videtur eſſe ſenſus ipſius ſocietatis; nam Cong. 6. ſtatuit, vt ſi de immutandis, abrogandiſque Conſtitutionibus in Congregatione Generali proponatur, minimè de ijs tractare liceat, niſi ad plura medietate ſuffragia de ijſdem agendum ſtatuatur: Ipſa verò deliberatio, & Decretum non fiat, niſi ad duas tertias partes non obſtante Dec. 16. inſtit. 2. Cong. 1. quo ſolùm ſtatuit exceptis Conſtitutionibus ſubſtantialibus Inſtituti, de alijs ſine experimento vel ratione clariſſima nihil poſſe immutari, ac dec. 7. Congre. 2. quo ſolùm ſtatuit ſufficere pluſquam mediam partem eorum, qui adeſſent Cong. Generali, ad decernendum de ipſis Conſtitutionibus, dummodo non eſſent de ſubſtantialibus Inſtituti. Hæc autem non ſunt ſtatuta vnquã circa Decreta Cong. Generalium. Tantummodò eadem Cong. 6. ſtatuit, vt in Congreg. Prouinc. non niſi ſaltem duabus tertijs partibus conſentientibus proponantur Congregationi Generali incõmoda, quæ ſecuta ſunt, vel ſequi poſſe videntur ex talium Conſtitutionum, vel Decretorum obſeruatione, & ad ea vitanda remedium ſimpliciter petatur, nullatenus verò petatur quod tollantur, aut immutentur Decreta, multoq; minus Conſtitutiones propter earum reuerentiam.

de. 11. c. 348 & 349.

de. 13. c. 349 & 350.

Caput Tertium,

In quo proponuntur nonnulla, in quibus à Pontificibus Summis, & à Tridentino Concilio derogatum eſt Societatis Conſtitutionibus &c.

1.º *Pono*. PAulum 4. iuſſiſſe, vt Generalis officium ad triennium ſolummodò, duraret, ita tamen vt poſt triennium eumdem Generalem reficere liceret, ac præterea indixiſſe Corum Societati. Non ſolum autem in Romana, & Oliſſiponenſi Domo cantari ad omnes horas cæptum eſt, & in Collegijs Dominicis, feſtiſq; diebus Miſſæ, & Veſpertinæ preces cantari cæptæ modo in Conſtitutionibus ipſius ſocietatis præſcripto; verum etiam illa duo edicta Pontificia impreſſa fuerunt ad calcem Conſtitutionum libri, qui eo anno 1558. primò impreſſus eſt in Collegio Romano. Peculiari autem
hunc

hunc Pontificem amore prosecutum fuisse societatis homines, & inter cæteros S. Ignatium, ac P. Laynez patet ex Hist. soc. t. 1. lib. 1. n. 121. lib. 15. n. 5. lib. 16. n. 1. & 2. & tom. 2. lib. 2. an. 37. & lib. 3. n. 10. ac Societatis Instituto aperte fauisse, aperte habetur tum ex responsione P. Martini Olauij ad Decretum Sorbonicum, vt videre est t. 1. Hist. lib. 15. n. 61. tum quia approbatum fuisse societatis Institutum
c. 34. ab eo Pontifice aperte habet dec. 20. tit. 2. Cong. 1. quod ita scriptum legitur. *An approbatio nostri Instituti per Paulum 4. esset initio examinis ponenda, quæsitum est: & visum, satis esse si in Scholio apponatur.* Hæc tamen modò nullibi legitur.

2. *Pono*. In Tridentino Concilio, quod perfectum est sub Pio Quarto, & ab eo confirmatum, plura numerari, quæ repugnare videtur societatis Instituto, Constitutionibus &c. Cognouit id societas ipsa;
c. 112. legitur quidem in dec. 5. Cong. 2. *Et quia in Concilio Tridentino sunt quædam, quæ videntur nostris Constitutionibus aliquo modo aduersari, petitum fuit, vt designarentur etiam aliqui, qui adnotarent, & expenderent, ac Congregationi proponerent ea, vt consideraret, num remedio, vel declaratione aliqua opus esset.* Cum autem placuisset Congregationi horum deputatio, eaq; commissa Generali, ipse designauit ad expendenda Acta Concilij septem, P. Alfonsum Salmeronem, P. Petrum Canisium, P. Hieronymum Natalem, P. Michaelem Gouiernum, P. Bartholomæum Hernandez, P. Ludouicum à Condreto, P. Marcum Georgium: & hi in eadem Congregatione publicati fuerunt: ex his autem duo, P. scilicet Salmeron, & Canisius interfuerunt Tridentino Concilio, Salmeronq; vt Theologus trium summorum Pontificum, Pauli Tertij, Iulij Tertij, ac Pij Quarti, sub quibus Pontificibus Concilium incoatum, & perfectum fuit, illi interfuit. Hi quoque à Tertia
de. 3. c. 171. Congregatione deputati fuerunt (data facultate Generali, vt posset adiungere alios; eorum loco qui deerant) vt quæ tunc annotata fuerant, nec ad Congregationem illam secundam relata, ea diligenter inspicerent, & quæ perfecissent, Congregationi proponerent. Lecta sunt postea in Congregatione plena illa, quæ hi deputati ex Concilio
d. 30. c. 184. & 185. Tridentino Constitutionibus, & Priuilegijs societatis repugnare annotarant, decretumque, vt R. P. Generalis primo quoque tempore opportuno relaxationem illarum derogationum curaret. In fine autè Decretorum illius Congregationis habentur hæc, quæ fuerunt annotata, ac lecta, hisce descripta Verbis.

DESI-

Deſignatio locorum Concilij Tridentini, Quæ cum noſtris Conſtitutionibus, Priuilegijs, & vſitato agendi modo planè pugnare videntur.

De quibus dec. 12. & 45. tertiæ Congregationis agitur.

P.ª Seſſ.5.c.11. Regulares perſonaliter ſe coram Epiſcopo præſentare, & ab eo benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. Id quod explicatur magis cap.4.ſeſſ.24. vbi nullus Regularis, etiam in Eccleſijs ſui Ordinis, contradicente Epiſcopo prædicare permittitur. c.4 II.

2. Seſſ.7.c.7. Beneficia Eccleſiaſtica Curata, quæ Eccleſijs, ſeu Collegijs perpetuò vnita, & annexa reperiuntur, ab Ordinarijs locorum annis ſingulis viſitētur, & cap. ſequenti idem repetitur de quibuſcumque Eccleſijs quomodo libet exemptis.

3. Seſſ.22. Decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ, proponitur, ne patiantur Epiſcopi priuatis in domibus, ac omninò extra Eccleſiam, & ad Diuinū tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinarijs deſignanda, & viſitanda, Sacrificium à Regularibus quibuſcumque peragi.

4. Ibidem cauetur, ne Sacerdotes alijs, quam debitis horis celebrēt.

5. Seſſ.23. cap.12. Regulares debita ætate non ſine diligenti Epiſcopi Examine ordinētur, priuilegijs quibuſcumque penitus excluſis. c.n.232.

6. Eadem ſeſſ. cap.15. Decernit Sancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe Cōfeſſiones audire, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, aut alias idoneus iudicetur, priuilegijs non obſtantibus.

7. Seſſ.25. cap.12. de Regul. Cenſuræ, & interdicta, ne dum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſijs publicentur, atque ſeruentur. Et cap. ſequenti: Regulares quicumque ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur.

8. Eadem ſeſſ.cap.22. Sancta Synodus præcipit omnibus Generalibus, & alijs ſuperioribus Ordinum, vt omnia, & ſingula in Decretis de Regularibus contenta, ſtatim exequantur: & Regularium negligentiam Capitula Prouincialia, & Generalia ſuppleant.

9. Eadem ſeſſ.cap.11. Ad normam Decretorū Synodi, Magiſtri, Doctores, & alij in Vniuerſitatibus, ea, quæ Catholicę fidei ſunt, doceant;

ſeque

seque ad hoc institutum initio cuiuslibet anni solemni iuramento obstringant.

Hæc de locis Concilij Tridentini manifestè pugnantibus cum legibus, & consuetudinibus nostræ societatis. Sunt & alia, quæ prima specie pugnare videantur: sed sanè intellecta minimè pugnare censemus.

c.233. Visa est etiam Bulla noua Greg. 13. Pontificis Maximi, quæ omnium Regularium priuilegia, & indulta priùs concessa reuocat: eosque licet exemptos subijcit planè dispositioni Iuris communis, & Concilij Tridentini.

His fortasse posset adiungi ex sess. 25. c. 18. vbi sic dicitur: Examinatores singulis annis in Diœcesana Synodo ad minus sex proponantur. Sint verò hi examinatores Clerici, seu Regulares, iurentque &c.

Designatio locorum eiusdem Concilij, quæ cum nostro Instituto, eiusq; priuilegijs quodammodò pugnare posse videntur.

Sess. 5. c. 1. In Conuentibus Regularium, in qubus studia commodè vigere possunt, Sacræ Scripturæ lectio habeatur, quæ à Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus, assignetur dignioribus Magistris.

Sess. 14. cap. 9. Beneficium vnius Diœcesis non vniatur perpetuò Collegio alterius Diœcesis.

Sess. 23. cap. 17. statuitur, Ordinum quorumcumque functiones exerceri non debere, nisi per constitutos in prædictis ordinibus.

Sess. 25. cap. 6. In electione quorumcumque Superiorum, & aliorum officialium Synodus præcipit electionem fieri per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.

c.234. Eadem sess. cap. 10. Quòd verò Sanctissimum Christi Corpus intra Chorum, vel septa Monasterij, & non in publica Ecclesia conseruetur, prohibet Sancta Synodus, non obstante quocumque priuilegio.

Eadem sess. ca. 16. vbi societas nostra primùm à Synodo approbatur, sed mox additur: Neque ante professionem, excepto victu, & vestitu, Nouitij, vel Nouitiæ illius temporis, quo in Probatione est, quocumque prætextu à parentibus vel propinquis, aut curatoribus eius, Monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium posideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit. Quin potiùs præcipit Sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus, ne hoc vllo modo fiat; & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant.

Omnia hactenus scripta sic se habent. In quorũ fidem ea manu propria subscripsi, & iuxta Decretũ Con. sigillo societatis muniui.

Laurentius Magius Secretarius Societatis Iesu.

3. Po-

5. Pono. Generales duos P. Euerandum Mercurianum scilicet, & P. Claudium Acquauiuam operam posuisse, vt à Pontificibus & maximè à Gregorio 13. harum Concilij Tridentini derogationum relaxationem impetrarent. Saltem ex parte in multis ea impetrata est.

Et P.° quidem obtentum est à Greg. 13. anno 1575. vt e socijs Confessarij, ac Prædicatores ab aliquo Ordinario semel approbati, & à suis superioribus ad huiusmodi munera deputati quandocumque, siue mari, siue terra iter faciant, possint (non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Ecclesiarum) verbum Dei prædicare, & quorumcunq; Christi fidelium Confessiones audire, dummodò id non faciant in oppidis, aut locis, in quibus ordinarij existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta. In libro autem Priuileg. 5. Confessarius §. 2. hæc habentur. In Bu. c. 146 & 147. c. 50.

Qui e nostris mittentur fructificaturi in aliqua diœcesi, etsi in itinere poterunt, sicut & reliqui societatis operarij, vti hac facultate, etiam intra eamdem diæcesim, ad quam destinati sunt, per eam tamen excurrere non debent, antequam rectà ad Episcopum, vel eo absente ad eius Vicarium, tendant, illi se offerant, & facultatem fructificandi obtineant: quod si longè absint, petant per litteras.

2. Ab eodem Pontifice eodem anno, ac etiam die obtentum est, vt in Oratorijs, & Capellis quæ Societatis Prouinciales per se in Domibus, Collegijs, & alijs locis, vbi aliqui societatis residebunt, approbauerint, & ad Diuinum dumtaxat cultum deputauerint, Missæ & alia Diuina Officia, alterius licentia desuper minimè requisita, celebrari possint. In libro autem Priuileg. 5. v. Oratoria hæc habentur. In Bu. c. 147. c. 138.

Non vtentur Prouinciales hac facultate nisi in locis remotis ab oppidis, in quibus Ordinarij existũt, aut vbi probabiliter timetur, quod illi, cum opus fuerit, difficiles se exhibebunt ad huiusmodi Oratoria deputanda. Hæc tamen Priuilegij limitatio facta à Generali non esse in vsu apud socios videtur.

3. Ab eodem Pontifice anno 1576. impetrata est exemptio sociorum ab interessentia in supplicationibus seu precibus, & processionibus publicis; inhibenturque Ordinarij, quauis dignitate fulgentes, ne socios ad interessendum dictis processionibus, quouis modo cogant &c. Præmittit autem Greg. ibi, nonnullos locorum Ordinarios forsan Concilij Tridentini autoritate, & decreto motos, Societatis Presbiteros ad supplicationes prędictas procedere coegisse, atque ex antiqua consuetudine à societatis erectione recepta obseruatum, vt nemo ex socijs ad illas accederet &c. Non videtur autem per hoc Priuilegium tolli, quominùs Cardinales à latere possint socios compellere ad Processiones &c. In Bu. c. 154 & 155.

4. Ab eodem Pontifice anno 1579. impetratum est, vt possint Præsbiteri Societatis celebrare Missas per horam ante auroram, & infra horam In Bu. c. 189

ram post meridiem, itineris vel alterius legitimi impedimenti causa, de licentia Præpositi Generalis, vel cuiuslibet alterius ad id ab eo deputati. In lib. autem Priuileg. hæc subduntur. v. Missa §.3. Hæc facultas communicaretur omnibus Superioribus, & ijs quibus ipsi commiserint.

c.128.

In Bu. c.193

5. Ab eodem Pontifice eodem anno impetratum est, vt non obstante decisione Concilij Tridentini sess. 22. in Decr. de obser. & Vit. in Celebr. Missæ, possint socij in Missionibus, quæ à superioribus fiunt, seruata aliàs forma concessionis Pauli Tertij (videlicet cum debita reuerentia, & honore) Sacrificium Missæ super Altari Viatico celebrare vbique gentiū, etiam in Castris militum, modò loca, & si communia sint & profana, tuta & honesta sint, & Præpositus Generalis, aut per eum Prouinciales Præpositi eo tum vtendum fore iudicauerint: Possintque ibi Presbiteri iidem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debitè præparatis.

In Bu. c.212 & 213.

6. Ab eodem Pontifice anno 1582. impetratum ne Antistites quicumque à promouendis socijs ad ordines tum minores tùm sacros, qui habuerint licentiā à Generali, vel ab eo delegatis, requirant vel exigant, quod ij in eorūdem ordinū functionibus, choriq; officijs, siue in Cantu, Officijs, & Ceremonijs Ecclesiasticis sint plenè instructi; vel inquirant de vita, moribus, ætate, natalibus ordinandorum &c. sed illos potius extra Tempora à iure statuta tribus Dominicis, vel alijs festis diebus, etiam continuis, ad Sacros etiam Presbiteratus ordines promoueant ac si omnibus requisitis prædicti essent. In libro autem Priuileg. v. Missa §.3. hæc subduntur facultates, quæ præcedentibus §. continentur, communicantur omnibus prouincialibus, excepta facultate extra Tempora, quæ in Europa reseruatur Præposito Generali.

In Bu. c.244

7. Ab eodem Pontifice anno 1584. impetratum, vt nullus ex Religiosis sub obedientia societatis degentibus, à quibusuis quacumq; Ecclesiastica, vel sæculari dignitate, seu auctoritate fungentibus, etiamsi Cardinales sint, vel Patriarchæ, Synodi, Communitates, Capitula, aut officij hæreticæ prauitatis Inquisitores, ac Commissarij, vel Iudices, tum ipsius officij, quam Ordinarij, vel Delegati ad quoduis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum aliorum, absque expresso suis superioris consensu, ac etiam mandato adigi, vel cogi possit.

In Bu. c.230

8. Ab eodem Pontifice eodem anno impetratum est tum vt declararetur facultatem prædicandi à Paulo Tertio concessam fuisse ijs etiā, qui nondum ad sacros ordines promoti essent, tum vt eadem de nouo concederetur, ac inhiberetur singulis locorum ordinarijs, & quibusuis alijs quacumq; dignitate, & auctoritate fungentibus, ne Clericos Societatis, etiam prima tantūm tonsura insignitos, populo Verbum Dei

quo

quocumq; in loco prædicantes impedire, vel moleſtare audeant, ſi deputati ſint à Generali.

In libro autem Priuileg. v. Prædicatores, hæc habentur.

Deputatio approbatorum prouincialibus conceditur, & quibus ipſi commiſſerint. Ceterùm per Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. c. 2. Noſtri in Eccleſijs noſtris, vt prædicare poſſint, vltra deputationem ſuperiorum, egent benedictione Epiſcoporum: in alienis autem egent eorumdem Epiſcoporum licentia. Ipſis verò Epiſcopis contradicentibus noſtri nec in noſtris, nec in alienis Eccleſijs poſſunt prædicare, vt habetur eodem Concilio ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform. Priuilegium tamen, de quo ſupra verbo *Confeſſarius* §. 2. vim ſuam retinet. c. 135.

9. Ab eodem Pontifice cum anno 1572. impetrata fuerit confirmatio Inſtituti, & Conſtitutionum ſocietatis, iterumque eadem amplior quoque anno 1574. videri poteſt, ſi quæ in Tridentino Concilio ſtatuta fuerint pugnantia cum Inſtituto, vel Conſtitutionibus ſocietatis, denuo admiſſa, & approbata fuiſſe. Impetratum autem ſpecialiter à Pio Quinto, vt ipſe declararet non obſtare definitionem Concilij Trident. ſeſſ. 25 c 16. de Regul. quin licitum ſit ſocietati perinde atque ante dictam Synodum licebat, facere quæcumque ad eius Inſtitutum pertinent, quoad renuntiationem, obligationem, profeſſionemque faciendam finito tempore Nouitiatus. Et hoc tanquam viuæ vocis oraculum refertur in lib. Priuileg. §. 1. v. Concilium Tridentinum. In Bull. p. 114 & 121. c. 48.

10. In eodem Priuileg. libro eodem v. Concilium Tridentinum §. 3. notatur ex viuæ vocis oraculo Pij 5. anno 1566. dec. 13. Martij Minoribus conceſſo poſſe ſocios vti omnibus gratijs in foro conſcientiæ, quæ conceſſæ fuerunt ab anteceſſoribus Pij Quinti. Multa autem, quę continentur in Conſtitutionibus, recenſentur tanquam Gratiæ, & priuilegia in hoc Priuileg. libro. c. 49.

4. *Pono.* Pium 5. Sanctiſſimum, eſt Societatis amantiſſimum Pontificem ipſorũ quoq; ſociorũ teſtimonio derogaſſe Conſtitutionibus ſocietatis volentibus eos qui ſunt in ſcholaſticorum gradu, adeoq; ſolùm ſimplicia vota emiſerunt, promoueantur ordinariè ad Ordines ſacros verſus ſtudiorum finem, vt magis incumbant ſtudijs, vt expreſsè dicitur p. 4. c. 6. L. C. & præſupponentibus in ijs qui ad profeſſionem admittendi ſunt Sacerdotium in exam. c. 1. in fine §. 8. Nam anno 1568. die 14. Octobris ſtatuit, vt id quod Tridentinum ſeſſ. 21. c. 2. decreuit circa Clericos ſæculares, qui promouendi ſunt ad Sacros ordines comprehenderet etiam Clericos Regulares non profeſſos. Vnde factum eſt, vt omnes poſt eam Bullam promouendi ad Sacros Ordines in ſocietate debuerint antecedenter emittere profeſſionem. Hinc aliqui in ſocietate dicti fuerunt profeſſi Pij Quinti. Anno poſtea 1573. die vltima Februarij Greg. 13. derogauit huic Conſtitutioni In Bull. p. 44.

Q 2 con-

concedens, vt illi qui tria Vota in societate emittunt, etiam ante solemnem professionem possint promoueri ad sacros quoque presbite-
In Bull. c. 30 & 44. ratus Ordines, quod antea quoq; concesserat Paulus Tertius in 4. & 6.
In Bull. c. 283 Bulla. Idem iterum concessit Greg. 14. in Prima Bulla. Cum autem in ea Bulla 2. Greg. 13. approbetur etiam, ac de nouo concedatur facultas horas Canonicas extra Chorum recitandarum ab ijs socijs, qui in Sacris fuerint, redditur hinc valdè vero simile id quod à multis circumfertur, Pium Quintum eumdem mandasse socijs, vt horas Canonicas communiter, seu in Choro recitarent, iuxta id quod iusserat etiam Paulus Quartus. Fuisse autem amborum Pontificum simplex mandatum videtur. Certè nec inter Pij Quinti Bullas hæc obligãs quoscumq; planè Regulares ad recitationem in Choro Horarum Canonicarum reperitur.

5. *Pono*. Gregorium 13. anno 1573. mandasse, vt Romæ sacrum cantaretur Diebus Dominicis & festis, sicuti hactenus factum fuerat
c. 40 ab anno scilicet 1556. viuente adhuc S. Ignatio: hoc autem est con-
Dec. 35. ca 187. & 188 tra Constit. p. 6. c. 3. §. 5. in fine L. B. quod etiam supponit Cong. 1. dec. 39. Idem quoq; Pontifex mandauit ne Romæ prætериretur deinceps processio, quæ à socijs iam fieri cæperat, licet Cong. 3. decreuisset, vt omninò intermitteretur, nec rationes nomine Congregationis illi 27. Maij propositas admisit.

6. *Pono*. Sixtum 5. anno 1587. die 26. Nouembris, & anno 1588. die 21. Octobris derogasse Constitutionibus, quoad admittendos Nouitios in Congregationibus Prouincialibus, vel à quibusdam deputatis, qui suffragia habeant decisiua; Nam Constit. p. 1. initio c. 1. facultatem admittendi ad probationem concedunt Generali, & illis, quibus eam ipse communicauerit: de facto autem illam communicauit Prouincialibus omnibus ex Reg. 32. prouincialis cum potestate etiam vt per alios id præstare possit: & quamuis eo c. 1. §. 4. supponatur prouincialem debere vti opera alicuius ad examinandos eos,
c. 112. qui societatem ingredi petunt; vnde & in lib. Regul. sunt peculiares Regulæ pro examinatore; non tamen ex vi Constitutionum videtur
c. 39. teneri ad vtendum opera examinatoris, dum ille vellet fungi eo munere, nec ex c. 4. Reg. prouinc. in quo agitur per Octo Regulares de Admittendis habetur teneri Consultores, vel alios deputare ad hosce examinandos: Sed quamuis teneretur aliquos deputare, & eorum audire sententiam, non tamen teneretur eorum adhærere sensui p. 4. c.
In Bu. c. 293. & 294. 17. §. 6. & L. H. & p. 9. c. 6. §. vlt. Constitutioni illi, & Declarationi à Sixto 5. factæ derogauit postea Greg. 14. anno 1591. die 30. Augusti, concedens facultatem Nouitios iuxta societatis Constitutiones admittendi.

7. *Pono*. Clementem 8. anno 1593. die 26. Maij Bulla de Reseruatione casuum apud Regulares derogasse 1. Constit. p. 3. c. 1. §. 11. in

quo

quo supponitur superiorem habere facultatem sibi reseruandi quosdam casus; & in 1. Congr. dec. 103. propositum est *De Reseruatis Casibus Rectori, vel Præposito locali, & An Prouinciali, vel Commissario reseruari oporteat peccata priuatorum, vel eorum qui alijs præsunt Responsumque est, vt Præpositus Generalis ea videret, & statueret quod facto opus esset.* Reseruati autem sunt à P. Laynez Generali tunc electo aliqui casus, quos retineri iussit Con. 2. dec. 60. addens declarationem casuum & ampliationem, vel restrictionem spectare ad Generalem: statuit enim Clem. 8. vt præter vndecim, quæ in ea Bulla enumerat, nullum aliud reseruetur quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu. Qua de causa Congreg. 5. coactæ Romæ anno 1594. placuit, vt P. Generalis designaret aliquos Patres, qui casus reseruatos societatis reuiderent, & cum Formula à Summo Pontifice edita pro Religiosorum familijs conferrent, & postea ad Cōgregationem referrent, vt illa demum statueret, quid in societate seruandū esset. Generalis autem deputauit octo Patres. Cum autem hi retulissent iudicium suum ad Congregationē, octoq; addidissent vndecim illis, quos reseruari posse statuerat Clem. 8. eorum iudicium approbauit Congregatio; sed iterum addidit illis alia duo, Transgressionem scilicet votorum simplicium, quæ professi emittunt post professionē, & peccata, quæ habent annexā excommunicationem in soc. Constitutionibus, Bullis, vel Decretis.

2. Iisdem Cōstit. ibidē, & infra §. 2 o L. Q vbi dicitur vnum debere esse omnium Confessarium à superiore constitutū; statuit enim Clem. 8. vt superiores in singulis Domibus deputent duos, tres, aut quatuor Cōfessarios pro subditorum numero maiori, vel minori, qui a nō reseruatis Regulares absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit. Est verum quidem quod eadem Cong. statuit eo dec. 51. vt omninò postularetur à Clem. 8. dispensatio, ne in singulis Domibus præter Confessarium ordinarium teneantur superiores deputare duos vel plures Confessarios, qui à reseruatis absoluant, & ne iudicium a reseruatis absoluendi Confessarijs absolutè relinquatur, sed liceat interdum Superiori huiusmodi facultatem denegare &c. Dicitur autem in fine dec. 64. concessisse viuæ vocis oraculo Pontifex hæc duo, sicuti & quod Magistri Nouitiorum possint, licet essent superiores, eorum Confessiones audire. Hæ tres concessiones referuntur etiam in lib. Ordinat. c. 5. Cum autem dubitatum fuisset, an hæc viuæ vocis oracula reuocata fuerint in reuocatione priuilegiorum concessorum viuæ vocis oraculo facta à Greg. 15. anno 1622. die 2. Iulij rescripsit P. Mutius Vitellescus Congregationem Concilij viuente Greg. 15. respondisse, societatem non comprehendi in ea reuocatione quoad ista viuæ vocis oracula Clem. 8. circa Confessarios socio-

Marginal notes: c. 76. — c. 1 — Dc 17. c. 284 — Dc. 22. c. 288 — Dc. 51. c. 311 & 312. — Dec. 58. ca. 322 & 323. — c. 325. — c. 47.

sociorum: Verumtamen tempore Vrb. 8. coacti sunt superiores plures in qualibet Domo, & in quolibet Collegio deputare Confessarios &c.

8. *Tono*. Eumdem Clem. 8. anno 1594. iussisse. P.° Vt prouinciales, atque Rectores (exceptis qui sunt in Domibus Nouitiorum, non durarent vltra triennium, sed vacarent per annum, in quo obedirent sicut cæteri. Et tamen id est contra Constitutiones p. 9. c. 3. §. 14. quæ nullum certum tempus præfigunt superioribus Localibus, vt habetur
c. 144. c. 294 quoq; dec. 68. Cong. 2. & dec. 35. Cong. 5. & licet designent triennium Prouincialibus adhuc tamen concedunt Generali, vt possit illud tempus prorogare. Nec illæ duæ Congregationes vnquam voluerunt assentiri, vt Superioribus localibus certum gubernationis tēpus præscriberetur; solumq; Cong. 5. P. Generali vehementer cōmendauit, vt diligenter curaret, ne præfecturę istæ societatis nimis diuturnæ essent, aut prolixè continuarentur. Illud mandatum Clem. 8. accepta-
c. 328. uit Cong. 5. vt apparet ex dec. 64. sed à Paulo 5. impetrauit P. Claudius reuocationem talis statuti Clem. 8. cum approbatione dec. 35.
In Buc. 309 & 312. Cong. 5. sine liberam, & sine vlla triennij, aut certi temporis præfixione superiorum localium gubernationem. In quo tamen notandū est in Bulla hac Pauli 5. non fuisse sermonem de Prouincialibus adeoque non potuisse ex vi mandati illius Clem. 8. acceptati à Congregatione 5. vltra triennium prouinciales regere prouincias, imò & debuisse per annum obedire sicuti cæteros. 2. iussisse, vt post sequens sexennium denuo cogeretur Congregatio Generalis. Id autem fuit contra Constit. p. 8. c. 2. §. 1. statuentes, ne crebrò fiant Congregationes Generalis: explicatur autem hij *Crebrò* L. A. *huiusmodi esset, tertio, aut sexto quoque anno, plus, minùs*. 3. Iussisse, vt mutarentur ex quatuor tunc Assistentibus tres, propterea quod diuturno satis tempore in eo officio ij perseuerauerant; nam Quartus Assistens pro Transalpinis Partibus non ita pridem officium suum inchoarat; & licet Pontifex sensum Cōgregationis circa allata duo restituerit, adhuc tamen
De. 73. et 74 c. 332. c. 333 voluit, vt executioni hæc duo mandarentur; imò hæc per Cardinalem Toletum (qui nihilominus erat e societate, Vir ob pijssimos mores, illustremque plurium scientiarum cognitionem Terrarum Orbi notissimus) P. Claudio Generali significari voluit; per quem etiam alia
Dec. 64. can 327. quatuor significari antecedenter voluit Patribus Deputatis pro cognoscendis detrimentis societatis.

9. *Tono*. Paulum 5. iussisse, vt omninò fierent omnium Assistentium
Dec. 4. & 10 c. 341. c. 347 mutatio, ac perseuerasse in tali voluntate licet illi propositum fuisset à P. Generali inter cæteras rationes nomine Con. 6. coactæ anno 1608. quod id aduersaretur Constitutionibus.

10. *Tono*. Vrbanum 8. anno 1624. die 7. Septembris derogasse Constit. p. 9. c. 3. §. 5. & 6. quę quidem Constitutio facta fuit a S. Ignatio, sed

ſed ab eo non repoſita fuit in libro Conſtitutionum, ſed ſolum illi inſerta fuit iuſta Congregat. 1. vt liquet ex dec. 77. Hæc ita ſe habet. Eſt item penes Præpoſitũ Generalem omnis facultas agendi quoſuis contractus emptionum, aut venditionũ quorumlibet bonorum temporalium mobilium tam Domorum, quam Collegiorum Societatis, & imponendi, ac redimendi quoslibet cenſus ſuper bonis ſtabilibus ipſorum Collegiorum, in eorumdem vtilitatem, ac bonum cum facultate ſe ſe onere liberandi, reſtituta pecunia, quæ data fuerit. Et infra. De ijs verò quæ ſocietati ita relinquuntur, vt ipſa pro ſuo arbitratu ea diſponat (ſiue bona ſtabilia illa ſint, vt domus aliqua, vel prædium non alicui certo Collegio ab eo qui relinquit determinatè applicatum, vel annexum; ſiue mobilia, cuiuſmodi ſunt pecunia, triticum, & quęuis alia mobilia) id Generalis diſponere poterit, aut vendendo, aut retinendo, aut huic vel illi loco id quod ei videbitur, applicãdo, prout ad maiorem Dei gloriam ſenſerit expedire, ſpeciali enim Vrbani 8. iuſſu decreuit Sacra Cõgregatio Concilij anno 1624. die 7. Septembris, ne Generalis etiam ſocietatis, abſque expreſſa licentia ipſius Congregationis poſſit facere omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra trienniũ, conceſſionem in feudum, vel Emphytheuſim, præterquam in caſibus à iure permiſſis ſub pœna priuationis omnium officiorum &c. Eadem etiam Congregatio eodem approbante Pontifice anno 1626. die 21. Martij declarauit comprehendi quoque illo Decreto, ne Regulares poſſent pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum ſolutione Lucri ceſſantis, & damni emergentis. Sed ſi ſocij titulo gratitudinis ſe obligarent ad ſoluendum pro pecunijs mutuo acceptis id quod cæteroqui ſoluerent ratione Lucri ceſſantis, & damni emergentis, an huic decreto fraudem facerent, viderint alij.

Caput Quartum.

In quo recenſentur nonnulla Priuilegia conceſſa Societati Ieſu à Pontificibus reuocata à Concilio Tridentino, & ab alijs Pontificibus.

P.° Pono. IN Concilio Tridentino, quod perfectum fuit ſub Pio Quarto, & ab eo confirmatum anno 1564. die 26. Ianuarij, & cuius Decreta obligare cæpiſſe à die 1. Maij eiuſdem anni decla-

declarauit ipſemet eodem anno die 18. Iulij hæc Priuilegia ſocietati reuocata fuiſſe, præter illa, quæ in Capite ſuperiori recenſita ſunt.

P.° Paulus Tertius anno 1549. die 18. Octobris concefferat ſocietati facultatem ædificandi & recipiendi Collegia, Domos, Eccleſias, & Oratoria in quibuſcumque mundi partibus: & ſimul quoq; inhibuerat, ac mandauerat quibuſcumq; locorum ordinarijs, ac quibuſuis alijs poteſtatibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ne ſocios aut eorum Domos, Eccleſias, aut Collegia ædificare volentes, quoquomodo in huiuſmodi conſtructionibus impedirent, perturbarent, aut moleſtarent. Idem quoque conceſſit Pius Quartus anno 1561. die 13. Aprilis, etiam intra centum quadraginta Cannas à conuentibus aliarum Religionum etiam Mendicantium, & nõ obſtantibus earum Priuilegijs &c. Sed Concil. Trident. ſeſſ. 25. in fine c. 3. vetuit, vt nulla Monaſteria, nulleq; Domus Regularium bona immobilia poſſidẽtium, vel non poſidentium de cętero erigerẽtur ſine Epiſcopi, in cuius Dięceſi erigenda ſunt, licentia priùs obtẽnta. Et hæc duo priuilegia reuocata eſſe à Trid. ſupponitur ab ipſis ſocijs in lib. Priuileg. societ. v. c. 15. Ædificia.

2. Idem Paulus eodem anno ſocietatem, & vniuerſos illius ſocios, ac perſonas, illorumque Bona quæcumque ab omni ſuperioritate, iuriſdictione, & correctione ordinariorum exemit, ac liberauit, ſuſcepitque ſub ſedis Apoſtolicę protectione. Attamen Tridentina Synodus multis in caſibus ſocios Epiſcopis ſubiecit, vt ipſi quoque in lib. priuileg. v. exemptio in fine §. 1. ſupponunt; afferuntque. 1°. *Seſſ. 5. c. 2. de Reform.* vbi non ſolum Metropolitanis conceditur, vt tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati compellant Abbates, & Regulares Prælatos ad prædicandum ea, quæ circa Verbum Dei populis annuntiãdum ibi præſcribuntur in Parochialibus Eccleſijs, exiſtẽtibus in quacumque Dięceſi ſubiectis Monaſterijs; verum etiam vetatur ne vllus Regularis non petita benedictione ab Epiſcopo, cui ſe præſentauit, prædicare poſſit in Eccleſijs ſui Ordinis, in alijs verò non ſui Ordinis teneatur habere licentiam Epiſcopi, qui poterit etiam interdicere cuique prædicanti in Eccleſijs quoque ſui Ordinis prædicationem, ſi diſſeminauerit errores, aut ſcandala; & contra eum ſecundum Iuris diſpoſitionem, aut Iuris conſuetudinem procedere, ſi hæreſes prædicauerit. 2. *Seſſ. 6. c. 3.* de Reform. vbi conceditur locorum Ordinarijs, vt tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati poſſint punire & corrigere quemcumque Regularem extra Monaſterium degentem, ſi deliquerit. 3. *Seſſ. 7. c. 7.* vbi iubentur Ordinarij viſitare Beneficia curata, que Monaſterijs, aut pijs locis quibuſcumque perpetuò vnita, & annexa reperiuntur: 4. *eiuſdem Seſſ. c.* 14. vbi conceditur, quod in ciuilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum Regulares extra Monaſterium degentes quomodolibet exempti conueniri poſſint

coram

coram locorum Ordinarijs, & cogi, compellique ad ſoluendum &c. 5. *Seſſ.23.c.16.* vbi dicitur; Nullus præterea Clericus peregrinus ſine commẽdaticijs ſui ordinarij litteris ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur. 6. *Seſſ.24 c.1.* de Refor. Matrim. vbi vetatur quilibet Parochus, vel Sacerdos etiam Regularis ſine ſponſorum Parochi licentia illos Matrimonio coniungere, aut benedicere &c. 7. *Eiuſdem Seß.c.2.de Refor.* vbi iubentur accedere ad Synodos Diœceſanas exempti omnes, qui aliàs ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis Generalibus ſubduntur, aut qui curam gerunt Parochialium Eccleſiarum, aut aliarum ſæcularium Eccleſiarum annexarum &c. 8. *eiuſdem Seſſ.c.5.* vbi dicitur, Nullus autem ſæcularis, ſiue Regularis, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum contradicente Epiſcopo prædicare præſumat. 9. *Seſſ.25.c.4.* vbi cum dixiſſet Cõcilium, nec liceat Regularibus à ſuis Conuentibus recedere etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint, ſubdit. Qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tanquam deſertor ſui inſtituti puniatur. Illi autem, qui ſtudiorum cauſa ad vniuerſitates mittuntur, in Conuentibus tantùm habitent, alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur. 10. *Eiuſdem Seſſ.c.11.* vbi Perſonæ Regulares exercentes curam animarum ſæcularium in Monaſterijs, ſiue Domibus quibuſcumq; Regularibus, in ijs quæ pertinent ad dictam curam, & adminiſtrationem Sacramentorum, iuriſdictioni, & correctioni Epiſcopi, in cuius diæceſi ſunt hæc Monaſteria, vel Domus, ſubijciuntur: iubeturque, ne vllus etiam ad nutum amouibilis ad huiuſmodi curam deputetur, niſi de Epiſcopi conſenſu, ac præuio examine per eum, aut eius Vicarium faciendo &c. 11. *Eiuſdem Seſſ. c.13.* vbi iubetur Epiſcopus componere controuerſias omnes de præcedentia inter Eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares, quam Regulares, cum in proceſſionibus publicis, tum in ijs quę fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & ſimilibus. 12. *Eiuſdem Seß.c.14.* vbi iubetur ſuperior Regularis certiorem facere Epiſcopum an punierit Regularem ita notoriè delinquentem, vt populo ſcandalo ſit, & intra tempus ab ipſo Epiſcopo inſtante præfixum; & Regularis non punitus ſubijcitur Epiſcopo quo ad punitionem. 13. *Eiuſdem Seſſ.c.16. in fine;* vbi conceditur Epiſcopis, vt etiã per cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellãt vt abeuntibus ante Profeſſionem omnia reſtituantur, quæ data erant loco Regulari ex bonis Nouitij &c. Subditur autem in ſoc. Priuil. libro eſſe alia in eo compendio, quę ſocietatis exemptioni derogent etiam ex Tridẽtino.

3. Idem Paulus eodem anno conceſſit ſocijs, quod non tenerentur ad denunciationes ſententiarum interdicti, vel excommunicationum procedere: ſed Concil. Trid. ſeſſ.25. c.12. hoc Priuilegium abſtulit

R iubens

iubens, vt censuræ, & interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur. Id notatur quoque in lib. Piuileg. soc. v. exemptio §. 10. sicuti quoque v. Inter-
c.121. dictum in fine notatur à socijs interdicta publicanda, & seruanda esse iuxta hoc Trid. Concilij Decretum, licet Paulus Tertius varia priuilegia concesserit societati pro eo tempore in eadem Bulla anno 1549. data.

2. *Tono*. In hoc eodem Priuileg. soc. libro hæc peculiariter notari posse spectantia ad Trident. Concilium.

1. v. Conseruator in fine §. 10. hæc leguntur. *Priuilegijs huius verbi vti* poterunt Prouinciales, & alij subordinati superiores de eorum licentia. Circa superiora autem aduertantur ea loca Concilij, quæ citantur infra verbo exemptio §. 1. nec non & c. 11. de Reform. sess. 24.

2. v. Dispensatio in fine. §. 6. hæc leguntur. *Facultatum* quæ proximè præcedentibus quatuor §. continentur, vsus esse non potest, in quibus ea Concilio Tridentino sess. 14. c. 7. repugnant, nisi in foro conscientiæ tantùm &c.

3. v. Familiares in fine §. 5. additur. *Aduertatur tamen* ad id quod habetur in Concilio Tridentino sess. 7. c. 14. de Reform. & sess. 14. c. 4. & 5. de Reform. & sess. 24. cap. 10. & 11. de Reform.

4. v. Vniones in fine additur. *Potest nihilominus* Episcopus examinare vniones an sint subreptitiæ iuxta dispositionem Concilij Tridentini sess. 7. c. 6. de Reform. & sess. 24. c. 13. Vers. in vnionibus.

5. v. Prælati in fine §. 1. in in quo recensetur Priuilegium Pauli Tertij, quod deputati ad ministeria Prælatorum sub Correctione societatis sint, legitur. *Seruetur* tamen, quod habetur in Concilio Tridentino sess. 25. c. 12. de Regul. Verum quam connexionem habeat hoc c. 12. cum eo Priuilegio non apparet.

6. In fine Præfationis annexæ huic Priuilegiorum libro hæc legi. *Postremò illud* etiam erit aduertendum, in ijs facultatibus, in quibus Concilium Tridentinū circa earum vsum, vel moderationem aliquid disponit, id suis locis fuisse adnotatum. In quibus autem nihil de Concilio dicitur, prouisum fuisse intelligatur, vt liber nobis sit earum vsus. Illud autem peculiariter animaduertendum est, cum in hoc libro dicitur, *Aduertantur loca Concilij*, *Aduertatur ad id quod habetur in Concilio Trident. &c.* non significari quod per Tridentinū derogatum sit Priuilegijs ibi contentis &c.

3. *Tono*. In eodem lib. 5. *Concilium Tridentinum* hæc haberi.

§. 1. Quotiescūque à societate, vel à præposito Generali dubia aliqua circa Concilium Tridentinum proponuntur; quæ Institutum, vel res societatis concernant, mens Pij 5. fuit, vt Cardinales ad declarationem eiusdem Concilij deputati, postquam ea declarauerint, & deter-

mina-

minauerint, reddant publicum testimonium declarationis, & determinationis factæ: habetur in viuæ vocis oraculo fol.44.

§. 2. Declarauit Pius 5. non obstare definitionem Concilij Tridentini sess. 25. c. 16. de Regul. quin licitum sit Societati, perinde atque ante dictam Synodum licebat, facere quæcumque ad eius Institutum pertinent, quoad renuntiationem, obligationem, professionemque faciendam finito tempore Nouitiatus. Ita declarauit Pius 5. vt in viuæ vocis orac. fol. 47. & seq. iuncto fol. 50. in fine. cum seq.

§. 3. Possumus vti in foro conscientię omnibus gratijs per antecessores Pij 5. Minoribus concessis, etiam quoad illas ex eis, quæ sunt restrictæ, seu derogatæ per Concilium Tridentinum, prout eisdem concessit idem Pius 5. viuæ vocis orac. die 13. Martij Anno 1566. & refertur in Manuscrip. fol. 79. pag. 2. Subditur autem ibi hæc intelligi *de occultis*, seu *non manifestis*: Nam pro huiusmodi tantùm fieri solent similes cōcessiones viuæ vocis oraculo Non minoris autem esse efficaciæ, & valoris viuæ vocis oracula, quam si per Bullam, aut Breue ad perpetuam rei memoriam essent concessa, in foro tamen conscientiæ tantùm, aduertitur in eodem Lib. V. *Oracula*. Cum autem Greg. 15. & Vrb. 8. reuocauerint omnes concessiones vi viuæ vocis oraculorum quorumcumque factas hæc Pij 5. cōcessio non amplius vim obtinebit, nisi supponant socij vi Bullæ Pauli 5. anno 1606. die 4. Septembris omnia viuæ vocis oracula antecedentia reddita fuisse tanquam concessa per Bullam, aut Breue. Quod an aliqua probabili ratione sustineri possit, *In Bu. c. 310* nostrum non est indagare; solumque aduertimus, eos qui scribunt litteras Apostolicas maximè ad societatem spectātes à Pontifice postea approbandas, accuratissimo studio debere perpendere, ac examinare, quas voces, particulasque adhibeant; Cum enim socij soleant esse acutioris ingenij, suarum amantes laudum, ac tenacissimi in conseruandis suis iuribus, etiam vi Priuilegiorum concessis, facilèque ex eorum etiam Principijs reddi possit aliqua opinio probabilis; sufficere potest aliquando vna vox, vel particula ad hoc, vt ipsi in foro saltem conscientiæ sibi persuadeant aliqua concessa præter mentem Pontificum, alia non reuocata præter, vel contra mentem etiam Pontificum, qui si interrogarentur, certò assererent se habuisse, vel non habuisse talem intentionem. Viderint alij, an tunc probabiliter id sentire socij possent. Hinc nonnulli tradunt, sollicitè cauendū, ne ipsimet socij sint illi qui litteras Apostolicas scribant ad ipsos spectantes, quas immediatè, vel mediatè offerant Pontifici approbandas; nam facilè possunt inferere quasdam voces, & particulas non passim obuias, vel quarum vis à peritissimis solùm Canonistis, ac Theologis intelligitur, vel quæ ambiguum sensum obtinent; tum quia harum vi possunt socij existimare aliquid sibi concessum saltem in foro interiori, quod nunquam reuera putauerint Pontifices concedere: tum quia quasi videntur obli-

R 2 gari

gari fucceffores pontifices ad non reuocandas tales conceſsiones, niſi cum quibuſdam formulis inſolitis &c.

4. *Pono*. Greg. 13. anno 1573. die 23. Martij reduxiſſe ad terminos Iuris Communis, & Concilij Tridentini tres Conſtitutiones à Pio 5. pro Ordinibus Mendicantibus, alijsque editas: Ea autem Bulla comprehenſam fuiſſe ſocietatem quoque apparet ex verbis Bullæ, adeoq; cum in Tridentino reuocata fuiſſe aliqua priuilegia, & derogatũ fuiſſe alicui Conſtitutioni ipſius ſocietatis fateantur ipſimet ſocij, qui quoque fatentur ſe eam Bullam Greg. 13. vidiſſe, dum erat coacta Romæ Cong. tertia; ſit vt omnibus facultatibus, ac priuilegijs à Pio 5. conceſsis repugnantibus Iuri Cõmuni, & Cõcilij Tridentini decretis derogatum fuerit; ipſe autem Pius 5. anno 1571. die 7. Iulij conceſsit ſocietati omnia priuilegia, omneſque gratias, & facultates, Immunitates, exemptiones facultates, conceſsiones, indulta &c. quæ omnibus Mendicantibus Ordinibus conceſſa iam erant à pontificibus, alijsque.

5. *Pono*. Paulum 3. anno 1549. die 18. Octobris conceſsiſſe ſocietatis præpoſito Generali, vt poſſet diſpenſare in irregularitate cum ijs ſocijs, qui defectum natalium ex adulterio, ſacrilegio, inceſtu, & quouis alio nefario, & illicito coitu prouenientem paterentur, ita vt hi ad quaſcumque adminiſtrationes, & officia dictę ſocietatis eligi, recipi, & aſſumi, illaque gerere, & exercere liberè, & licitè valerent: Sed Sixtum 5 anno 1587. die 27. Nouembris, & anno 1588. die 7. Nouembris vetuiſſe ne illegitimi procreati ex inceſtu, vel ſacrilegio reciperentur in Societatem etiam; alij verò illegitimi, ſi admitterentur iuxta formam, quam ibi tradit, eſſent inhabiles ad quoſcumque gradus, ac dignitates ſocietatis; & qui tunc hoſce gradus, ac dignitates obtinerent ad vitam, ab illis eſſent abſoluti &c. Eſt verum quidem, quod Gregorius 14 anno 1591. die 30. Auguſti iterum conceſsit præpoſito Generali ſocietatis de nouo, ne dum reſtituit facultatem admittendi inter Nouitios cuiuſuis generis illegitimos, & diſpenſandi cum illis ad quælibet officia, gradus, & dignitates in ſocietate obtinenda iuxta formam expreſſam in ſocietatis Apoſtolicis Diplomatis, & Priuilegijs quibuſuis &c.

6. *Pono*. Eumdem Paulum 3. anno 1545. die 3. Iunij conceſsiſſe omnibus Presbiteris ſocietatis facultatem non ſolùm audiendi confeſſiones vtriuſque ſexus Chriſti fidelium ad eos vndecumque accedentium, verum etiam confeſſionibus diligenter auditis, ſingulos eorum ab omnibus, & ſingulis eorum peccatis, criminibus exceſsibus, & delictis quantumcumque grauibus, & enormibus, etiam Sedi Apoſtolicę reſeruatis, & à quibuſuis ex ipſis caſibus reſultantibus ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in Die Cœnæ Domini ſolita eſt legi) abſoluendi &c. Et quamuis Gregor. 13. cenſue-

censuerit ex facultatibus per Mare Magnum, aliaue Priuilegia Regularibus concessa non esse factam eis potestatem absoluendi à Casibus sibi ab Episcopo reseruatis, vt habet in quadam Epistola Cardinalis S. Sixti; Eumdem tamen Gregorium anno 1583. die 19. Maij declarasse, non esse intentionis suæ, quod per talem Epistolam sit derogata dictæ societatis facultas, eamdemq; quatenus opus sit, de nouo confirmasse, vt claré habetur in lib. Priuileg. in fine §. 1. v. Absolutio. Ibi autem communicatur facultas concessa à Paulo 3. omnibus Confessarijs à superioribus deputatis, & ab Ordinario loci iuxta formam Concilij Tridentini sess. 23. c. 11. de Reform. approbatis, præterquam respectu Excommunicatorum generaliter ab homine, quos superiores tantùm, & si qui ab eis specialem licentiam obtinuerint, possunt absoluere &c. Sed Clemente 8. approbante sacram Cõgregationem Negocijs Regularium præpositam anno 1601. die 9. Ianuarij sustulisse saltem in Italia, & extra Vrbem Romam priuilegium non solùm absoluendi à Casibus dubiè in Bulla Cœnæ contentis, verum etiam ab omnibus alijs quomodolibet Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per sanctitatem suam, eiusue successores pro tempore in eadem Bulla, vel aliter reseruandis, ac etiam à casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruarant, vel in posterum reseruarent. In quo Decreto peculiaris mentio facta est societatis. Illud deinde declarauit, ac moderata est eadem sacra Congregatio iussu eiusdem Clementis, decernens, vt præterquam à casibus in Bulla Cœnę, & alijs sex, quæ ibi recensentur, & illis quæ sibi reseruauerant, vel reseruaturi forent Ordinarijs, illis Regularibus (inter quos certè erant Religiosi societatis) quibus antea ex concessione Sedis Apostolicæ competebat facultas absoluendi à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, in posterum etiam competeret. Cum autem postea eadem sacra Congregatio audiuisset quamplures Regulares tantum facultatis, seu Priuilegij ab Apostolica Sede sibi concessum profiteri, vt etiam à casibus locorum Ordinarijs reseruatis, absque eorum licentia absoluere possent; anno 1617. die 7. Ianuarij de mandato Pauli 5. confirmauit, & innouauit Decretum Clem. 8. eiusq; Declarationem, præcepitque obseruari ab omnibus Regularibus cuiusuis Instituti, etiam necessariò exprimendi, quouis nomine nuncuparetur; ac insuper sub pœnis ijsdem de quibus in Decreto Clem. 8. eiusque Declaratione, statuit, ne vlli sacerdotes quibusque Priuilegijs, indultis, ac facultatibus suffulti ab excommunicationibus, vel à casibus eisdem Ordinarijs, vel Sedi Apostolicæ reseruatis, tam ad forum contentiosum eorumdem Ordinariorum deductis, quam non deductis, præterquam in mortis articulo, absoluere auderent &c. sed vtrum adhuc Religiosi societatis existimauerint derogatum fuisse suo in hoc priuilegio, quod putare possum esse approbatum fuisse, & cum certis quibusdam clausulis, ab eodē Paulo 5. anno 1604 die 4.

die 4. Septembris, difficilè iudicari potest. Nam in lib. Priuil. ad hanc vsque diem edito non legitur in fine §. 1. V. absolutio, vbi fit mentio priuilegij Pauli 3. & declarationis Gregorij 13. vlla vox, quæ denotet illud Priuilegium, vel à Clemente 8. vel à Paulo 5. sublatum, imò nec fit mentio Decreti de hoc ipso sub Vrbano 8. anno 1628. die 17. Septembris.

7. *Pono.* Gregorium 13. anno 1575. die 3. Maij declarasse, non esse, nec forè vnquam mentis suæ, vt personæ societatis absque expressa superioris eiusdem societatis licentia vtantur facultatibus, quę in Iubilæis, Bullis Cruciatę, Confessionalibus, aut alijs quibusuis Apostolicis Indultis, quę Communitatibus, aut priuatis personis, aut pijs locis, quomodocunque aliter hucusque concessa sunt, aut in posterum concedentur, etiamsi in illis expresse indulgeatur, vt omnes Regulares, etiam Mendicantes, eiusmodi facultatibus vti possint: Si quando autem vsus aliquarum, ex prędictis facultatibus ab eisdem societatis superior bus concederetur, vt nulli etiam vti liceret, nisi intrà numerum eorum, qui ad Confessiones personarum eiusdem Collegij, aut Domus audiendas deputati sunt, Confessarium eligere &c. Secusque facta, irrita, & inania fore decreuisse. Attamē Paulum 5. anno 1605. die 29. Maij apertius quam vllos Pontifices prędecessores in Iubileo misso ad implorandam Diuinam opem initio Pontificatus derogasse huic Priuilegio; cōcessit enim, vt quilibet e socijs eligere sibi posset quemlibet sacerdotem, siue sęcularem, siue Regularem ex approbatis ab Ordinarijs locorum pro Confessario, qui eos absoluere posset à quibuscumque peccatis &c. Formula autem apposita in fine talis Bullę Iubilęi concessiuę, soliti sunt posteriores Pontifices in simili occasione vti: Vnde quoad Iubilæum illud Priuilegium iam amplius non est in vsu; meritoque illi derogatum est, ac derogatur à Pontificibus. Cur enim excipiuntur socij à talis gratiæ, quæ raro & non nisi ex vrgenti causa pertinente ad Ecclesiæ vniuersalis bono concedi solet, participatione? Nonne socij sunt homines sicuti cęteri, Regulares sicut alij, fragiles, &c?

8. *Pono.* Pium 5 (prout apparet in Bulla à Greg. 13. edita anno 1572. die 25. Maij qua hanc concessionem confirmauit) concessisse vt socij, ac singuli eorū familiares etiā Clerici in quibuscūq; causis tam ciuilibus quā criminalibus etiā Mixtis, etiā in eis, in quibus actores, vel conuenti rei forent contra quascumque Communitates, & Collegia, omnes, & singulos Archiepiscopos, & Episcopos, & Abbates, nec non alias personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, ac Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, ac eorumdem Archiepiscoporum & Episcoporum Vicarios in spiri tualibus, & officiales Generales vbilibet constitutos in suos possent assumere Cōseruatores & Iudices Ordinarios, qui possent etiam si essent extra lo-

ca, in

ea, in quibus Confessores, & Iudices deputati fuerunt, tueri societatem illiusque iura omnia cõtra quascumq; personas quacumq; auctoritate ac dignitate Ecclesiastica, etiam per censuras &c. Gregorium autem 15. anno 1621. die 20. Septembris reuocasse omnes Iudicum Cõseruatorum electiones, nominationes, seu deputationes, certamq; formam in electione Conseruatorum præscripsisse, simulq; eorum auctoritatem coarctasse.

9. *Pono*. Paulum Tertium anno 1549. die 18. Octobris, Pium Quartum anno 1581 die 13. Aprilis, & Greg. 13. anno 1576. die 20. Octobris concessisse, vt socij liberè possent Collegia, Domos, Ecclesias, & Oratoria vbiq; constituere, etiam intra centum quadraginta Cannas à Conuentibus aliarum Religionum etiam Mendicantiũ; ac prætérea mandasse Gregorium, ne à locorum Ordinarijs, aut alijs quibusuis circa præmissa in ea Bulla impedirentur. Attamen Greg. 15. anno 1621. die 17. Augusti iussisse, vt nullibi erigeretur Domus vlla societatis, nisi duodecim Religiosi ex redditibus, & ex consuetis eleemosinis sustentari valerent, præstito etiam consensu Priorum, seu Procuratorum aliarũ Domorũ Regularium etiam consistentium in circumuicinis locis per quatuor millia passuum; nisi Ordinarijs constiterit, quod in numero duodecim Religiosi societatis commodè, & congruè manuteneri, & ali posse in tali loco absq; detrimento Religiosorum antea ibi degẽtium. Hoc decretum Greg. 15. sicuti & Clem. 8. die 23. Iulij anno 1603. circa instituendas nouas Domos regulares confirmauit Vrb. 8. anno 1624. die 28. Augusti, reuocauitq; omnes licentias, & Priuilegia circa hoc, mandauitque expresśe, vt nouæ Domus Regulares nullibi erigerentur, nisi de expressa ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, & Constitutionum Clem. 8. & Greg. 15. forma &c.

10. *Pono*. Pium 5. concessisse Generali societatis, vt posśit concedere socijs facultatem legendi libros hæreticos, & alios prohibitos ad oppugnandum, dum tamen id considerate fieret, & cum delectu re consultata cum suis Assistentibus; & socijs, vt possent vti libris non hæreticis, prohibitis tamen, & vt emendare possent libros qui ad socios, vel in Scholis, vel extra illas recurrere solent, quando auctores pij sunt, sed habent praua scholia, vel annotationes, aut quando auctores aut impressores sunt impij, non tamen libri, aut cum auctores sunt ethnici, sed habent scholia, annotationes, vel quid huiusmodi, propter quod prohibiti sunt, donec purgentur; & vt emendare, & scholasticis ad scholas societatis confluentibus relinquere possent libros Ethnicorum auctorum propter scholia, annotationes, commentaria, aut Impressores in Indice prohibitos, deletis erroribus, & nominibus auctorum prohibitorum; & vt possent socij in libris suis mã-

dare

dare executioni quæ in Decreto & Catalogo Sanctæ & Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis præcipiuntur ad effectum vt illi retineri possint: easq; facultates viuæ vocis oraculo concessas confirmasse peculiari Bulla Greg. 13. anno 1575. die 8. Ianuarij cum omnibus alijs quæ super huiusmodi libris habendis, legendis, aut corrigendis ad illam vsque diem concessæ fuerant. Attamen Greg. 15. anno 1622. die 30. Decembris reuocasse quascumq; licentias legendi, & habendi libros prohibitos quomodolibet quibuscumq; personis concessas ex quacumque causa à quibuslibet Pontificibus: & magis expresse Vrb. 8. anno 1631. die 2. Aprilis reuocasse omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologiæ iudiciariæ, vel alias quomodolibet prohibitos; simulque mandasse, vt qui aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint eos denunciare teneantur.

11. *Pono*. Paulum Tertium anno 1549. die 18. Octobris exemisse societatis personas, eorumq; bona ab omni superioritate, iurisdictione quorumcumque ordinariorum; eamq; confirmasse Greg. 13. anno 1584. die 10. Septembris: attamen Vrb. 8. anno 1625. die 21. Iulij loca à socijs post illam diem recipienda, in quibus duodecim socij sustentari vel ex reditibus, vel ex eleemosinis sufficienter atq; inhabitare non potuissent, & actu non inhabitauissent, Ordinarij loci visitationi, Correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecisse.

12. In lib. Priuileg. societ. v. Priuilegia §. 8. sic haberi. Nullæ litteræ, seu Priuilegia Apostolica quibusuis personis, & quibusuis Collegijs, Capitulis, vniuersitatibus, seu Conuentibus concessa contra tenorem Priuilegiorum, quæ nobis concessa sunt, preiudicant societati, eiusue Domibus, locis, aut personis nisi in eis cum expressione Ordinum, etiam Mendicantium, & illorum Religiosorum de societate, & illius, ac eius Domibus, ac nobis cõcessis Priuilegijs, nec nõ quoad cõcedenda Priuilegia, & litteras, de Præposito Generali societatis, qui pro tempore erit, specialiter & expresse, ac de verbo ad verbum mentio facta fuerit. Concessit Eugenius 14. Dominicanis, vt in eorum Priuilegijs fol. 108. pag. 1. Per Priuilegia verò Benedictinis per Eugenium 4. ac Leonem concessa, de quibus in manuscriptis fol. 42. pag. 2. & seq. alia etiam debent concurrere, vt aliquod ex nostris Priuilegijs derogatum censendum sit. Præter autem hæc in Pij 5. litteris anno 1571. die 7. Iulij datis, quibus declarauit societatem Iesu esse ex Instituti ratione Mendicantem, habetur, illas litteras, quibus communicauit societati omnia priuilegia, omnesq; gratias concessas & concedendas omnibus Ordinibus Mendicantibus, nunquam comprehẽdi sub quibusuis derogationibus, sed semper ab illis excipi, & quoties derogari, alterari, limitari, vel derogari cõtingat, socios in pristinum

& sup.

& eum, in quo ante præmissa erant, statu restitutas, & de nouo, etiam sub posteriori data per pro tempore existentem Societatis præpositum Generalem eligenda, concessa esse, & fore &c. Et in Greg. 14. litteris anno 1591. die 28. Iunij habetur præter dicta, quod illis litteris concessa censeri debeant, quoties illis derogaretur alijs derogationibus similium gratiarum, &c. in pristinum & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituta, reposita, & plenariè redintegrata, ac de nouo etiam sub Data per Societatem, illiusque Præpositum Generalem, & alios superiores prædictos quandocumque eligenda, de nouo concessa, ac etiam confirmata, & approbata, validaque, & efficacia, & illibata, etiam absque eo quod desuper à Sede Apostolica vlterior restitutio, reualidatio, confirmatio, seu noua concessio impetranda sit &c. & in Pauli 5. litteris anno 1606. die 4. Septembris additur litteras illas quibuscumque derogationibus per quoscumq; Romanos Pontifices etiam futuros, imo & per ipsum factis, etiamsi de ijsdem, earumque toto tenore specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fieret, minimè comprehensas, sed tanquam in Diuini Cultus fauorem, & fidei augmentum, & propagationem concessas, semperque, & omninò ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratus, ac de nouo etiam sub quacumque posteriori noua data per pro tempore existentem præpositum Generalem, & alios superiores Societatis quandocumque eligenda, cōcessas, ac etiam confirmatas, & approbatas, validasque, & efficaces, ac illibatas absque eo quod desuper à Sede Apostolica illarū vlterior restitutio, reualidatio, confirmatio, seu noua cōcessio impetranda sit, fore & esse, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Attamen Vrb. 8. anno 1631. die 5. Nouembris non solum statuisse, vt quęuis generales constitutiones, dispositiones, & ordinationes Apostolicæ per ipsum, & quoscumque Romanos Pontifices prædecessores suos in concernentibus fidē Catholicam, illiusque propagationem, & Sācta Inquisitionis officium, præsertim quoad ea, quæ in Congregationibus Sancti Officij, & de propaganda fide coram Pontifice tractari solent, hactenus editæ, societatis Iesu professores omninò comprehendant, ac si ipsi nominatim in eis expressæ fuissent; verum etiam decreuisse; vt edendæ in posterum per ipsum, & Romanos Pontifices ipsius successores, tam in fauorem præfatæ Fidei Catholicæ, illiusq; propagationis, & Sancti Officij Inquisitionis præfati, quam super quacumque aliare, negotio, seu materia, constitutiones, dispositiones, & ordinationes huiusmodi comprehendant socios, nisi in edendis Constitutionibus huiusmodi specialiter, & expresse excipiātur, etiamsi ipsi forent magis speciali nota, & expressione digni, eisque priuilegia, gratiæ, & indulta à Sede Apostolica etiam sub quibuscumque tenoribus, & for-

mis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritãtibus, & alijs decretis etiam motu, scientia, ac de potestatis plenitudine similibus, & consistorialiter, etiam contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, tam per viam meræ concessionis, quam communicationis, & alias quomodolibet concessa respectiuè sint, quorum, seu quarum vigore, vel prætextu sint excepti, seu se minimè comprehendi prætendant in Constitutionibus Generalibus, vel alijs non facientibus plenam, & expressam eorum mentionem: Has autem litteras, quibus hoc statuit Vrb. 8. subdidit, quorumque prætextu impugnari non posse, illisque derogauit, quibuscumque omninò alijs concessionibus in cõtrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis, etiamsi ad earũ derogationem aliqua exquisita forma seruanda foret.

13. *Pono*. Paulum Tertium anno 1549. die 18. Octobris concessisse Societati, vt de Domibus, ac Collegijs, & eorum grædijs, hortis, alijsque locis, quæ iuxta suum Institutum habere potest, aut de ijs, quæ pro eisdem emendis Socijs pro tempore legari, aut donari contigerit, & denique de alijs bonis per Societatem eiusq; Collegia possessis, & obtentis, non teneatur Societas soluere aliquam Decimam etiam Papalem, seu Canonicam portionem exhibere, nec ad præstationem procurationum, aut exactionũ, collectarũ, vel prouisionum quarumcumque, nec ad id etiam per litteras Apostolicas compelli, nisi eiusmodi litteræ de hoc indulto de verbo ad verbum, ac de Societate fecerint mentionem. Quod si per Sedem Apostolicam ex pijs Legatis, dispositis, vel relictis aliqua pars alteri piæ, vel non piæ causæ sit concessa, aut concedetur, Socij, & illis legata, seu relicta, aut alias in eorum fauorem disposita, sub his concessionibus non comprehendantur, nisi de Socijs, & hoc indulto, & Pontificis voluntate specifica fiat mentio in eisdem, & non per clausulas generales idem importantes. Hæc quoque anno 1561. die 19. Augusti confirmasse Pium 4. cum specifica mentione Domuum Probationis, exemptionemque pro potiori cautela concedendo à quibusuis Decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & alijs fructuum partibus, subsidijs etiam caritatis, & alijs ordinarijs omnibus etiam pro expeditione contra Infideles, defensione patriæ, ac alias quomodolibet, etiam ad Imperatorum, & inferiorum Principum instantiam impositis, & quamuis in ipsa impositione caueatur, quod nulla prorsus exemptio cuiquam aduersus illa suffragetur: Idemque per omnia anno 1578. die 1. Ianuarij confirmasse Greg. 13. vbi quoad hoc etiam derogat dispositioni Cap. *Nuper* de Decimis. Attamen Paulum 5. iussisse, vt terræ Societatis, villæ & prædia in Regno Lusitaniæ pro quota decimarum soluerent vigesimam partem fructuum in Ecclesijs, &

Paro-

Parochijs, in quarum diſtrictu prædia, & terræ ſitæ ſunt, idque ſiue Religioſi ſocietatis terras ſuas proprijs expenſis, & manibus colerent, ſiue per colonos excepto in vnoquoque Collegio prædiolo quodam, quod quatuor tantum fanegas frumenti ſementis capere poſſit. Sic habet Stephanus Facundez eiuſdem societatis in Quintum Eccleſiæ præceptum lib 2. c. 4. n. 3. qui addit reuocaſſe huiuſmodi Pauli 5 decretum Gregorium 15. In litteris quoque, quibus Inſtitutum confirmauit idem Paulus 5. anno 1606 die 4. Septembris fit mentio litterarum Leonis 11. prædeceſſoris Pauli 5. ſuper Decimis emanatarum, à quibus nominatim excipit, dum confirmat Societati omnia priuilegia, omnes facultates, exemptiones, immunitates &c. à prædeceſſoribus ſuis illi conceſſa. Illæ autem litteræ Leonis videntur datæ in fauorem Hiſpaniæ Eccleſiarum &c.

Caput Quintum.

Recenſentur plura, in quibus pluribus Summorum Pontificum Conſtitutionibus comprehenſi ſunt Religioſi Societatis Ieſu.

P.° PIus 4. anno 1562. die 1. Aprilis dedit facultatē Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis tam Generalibus, quam in quibuſuis Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis pro tempore deputatis particularibus, inquirendi, ac procedendi contra omnes quorumcumque Ordinum etiam exemptorum, etiam Mendicantium profeſſores, & Religioſos, ac etiam alios quoſcumque quouis modo priuilegiatos, & exemptos de hæreſis crimine quomodolibet ſuſpectos, aut culpabiles, eoſque puniendi, dummodo ab eorumdem Profeſſorum, & Religioſorum Superioribus, vel Prælatos in cauſis huiuſmodi præuenti non fuiſſent &c.

2. Pius 5. anno 1567. die 17. Auguſti in Generali Cong. Sancti Officij conſulens libertati ipſius Sancti Officij, & indemnitati recurrentiū ad illud, vel in eo teſtimoniūperhibentiū decreuit, vt Regulares quorūuis etiā Mendicantiū ordinū perſonæ, quæ pro tempore ad officiū Sanctæ Inquiſitionis pro quocūq; negotio recurerint, ſeu cōfugerint, vel in eo teſtimoniū perhibuerint veritatis, aut alias quomodolibet depoſuerint, nequaquam à ſuis Superioribus per quinquennium continuum à die recurſus, ſeu depoſitionis huiuſmodi moleſtari, vel ex quacumq; cauſa, vel exceſſibus prætenſis perſonarum illarum, & de debitis propterea pœnis, ſeu pœnitentijs eiſdem impoſitis, niſi ipſi Cardinales

Inquisitionis Generalis certiores facti fuerint, vel eis aliter clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit.

3. Clemens 8. anno 1594. die 19. Iunij Bulla de largitione munerum interdicta Regularibus comprehendit etiam socios, apud quos in publica mensa semel in anno plurium spatio annorum legi illa consueuit. Hanc innouauit Vrb. 8. anno 1640. die 16. Octobris, qui iussit etiam Superiores societatis quoque efficere, vt in perpetuum singulis annis mense Ianuario in aliqua publica Congregatione, vel saltem in publica mensa legeretur vna cum Declarationibus nonnullis ibi præmissis, sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ & passiuæ *ipso facto* incurrendæ.

4. Idem Clem. 8. anno 1600. die 12. Decembris reuocauit decretum factum à Gregorio 13. ne vllus prorsus, præter Religiosos soc. Iesu, ad Iaponicas Insulas verbum Dei prædicaturus accederet; concessitque omnibus superioribus Ordinum Mendicantium facultatem mittendi quosuis e suis spectatæ bonitatis, & doctrinæ viros tam ad Iaponiã, quam ad proximas, & adiacentes etiam Chinæ, & finitimorũ Regnorum, aliasque Indiæ Orientalis Insulas, Regiones, ac *Prouincias*, vt infideles ad Christianam fidem traducerent, Sacramenta *ministrarent*, & Catholicam Religionem spiritualibus alimentis fouerent. Imò vlterius statuit, si forte aliquæ controuersiæ inter Religiosos dictarum Religionum orirentur, vt Episcopi locorum tanquam *Sedis* Apostolicæ Delegati illas deciderent, ac terminarent; si verò grauiora quædam negocia occurrerint, ab ijsdem Episcopis ad Romanum pontificem referretur &c. Hanc Constitutionem Paulus 5. anno 1608. die 11. Iunij confirmauit; solumque illi derogauit in hoc, quod ijsdem superioribus Ordinum Mendicantium concessit, vt etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam, ad Iaponicas, & alias Indiarum Orientalium Regiones prædicandi, aut Christianã fidem docẽdi causa suos transmittere possent Religiosos.

5. Paulus 5. anno 1606. die 23. Maij reuocat omnes Indulgentias Religiosis etiam Societatis Iesu concessas, illisque de nouo alias concedit.

6. Idem Paulus 5. anno 1606. die 1. Septembris reuocat quascumque concessiones, etiam Superioribus societatis factas, sociorum causas ad sanctæ Inquisitionis Officium quouis modo spectantes cognoscendi, & terminandi, seu in illis quoquomodo se intromittendi: Imò causas coram ipsis Prælatis Regularibus pendentes Inquisitionibus, ac Ordinarijs commisit, & ijsdem Prælatis Regularibus præcepit, vt omnia acta, ipsosq; Regulares de hæresi etiam suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinarijs Locorum vicinioribus traderent.

7. Idem Paulus 5. anno 1616. die 6. Iulij innouans Cõstitutiones Sixti 4. & Pij 5. de Conceptione B. V. subiecit peccantes etiam Regulares

contra

contra illas tam Epiſcopis, Prælatis ſuperioribus, alijſque Ordinarijs locorum, quam hęreticæ prauitatis vbique locorum deputatis Inquiſitoribus: Iterumque Regulares etiam Socios ſubiecit ijſdem, ſi peccarent contra decretum ab eodem Pontifice factum circa eamdem B.V. Conceptionem anno 1617. die 31. Auguſti. Quem irritatus eſt Greg. 15. dum anno 1622. die 24. Maij peccantes contra decretum ampliatiuum Decreti facti à Paulo 5. ſubiecit Ordinarijs, & Inquiſitoribus.

8. Idem Paulus 5. anno 1616. die 31. Iulij præcepit, vt in ſtudijs omnibus Regularium, Hebreæ, Græcæ, & Latinæ, atque in maioribus, ac celebrioribus etiam Arabicæ linguæ Doctores conſtituerentur ex ſuo Ordine, ſin minus ſæculares, aut alterius Ordinis Regulares.

9. Gregorius 15. anno 1621. die 5. Februarij concedit Epiſcopis, vt tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati poſſint coercere, ac punire etiam ſocios, qui in alienis Eccleſijs, aut quæ Societatis non eſſent ſine Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ipſius ſocietatis non petita Epiſcopi benedictione, aut ipſo contradicente prædicare præſumerent. Subiecit quoque ſocios delinquentes circa clauſuram Monialium, Regularibus etiam ſubiectarum, Epiſcopis, ita vt ab illis puniri, & corrigi valeant; etiamſi delictum non eſſet notorium, vel cum populi ſcandalo. Imo poteſt Epiſcopus ligare excõmunicatione ſibi reſeruata ſocium colloquentem cum aliqua Moniali, ita vt ſocietatis ſuperior ab ea excommunicatione abſoluere nequeat, vt anno 1627. die 26. Iunij reſpondit Sacra Congreg. Concil. Trid.

10. Idem Greg. 15. anno 1622. die 2. Iulij reuocauit omnia, & ſingula indulta, facultates, priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque ſpirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius; quam exterius ſpectantes, viuæ vocis oraculo hactenus, quandocumque, & qualitercumque, ex quauis etiam de neceſſitate exprimenda cauſa, ſi non fuerint huiuſmodi conceſſiones ſocietati factæ ſortitæ effectum, vel ad inſtantiam Regum factæ, vel S. R. E. Cardinalis manu firmatæ &c.

11. Idem Greg. 15. anno 1622. die 30. Auguſti ſubijcit Inquiſitoribus, & locorũ ordinarijs priuatiuè quoad alios omnes Socios etiam, qui ſollicitarent, vel prouocarent pœnitentes in Confeſſionibus ad turpia &c. ita vt ab illis puniri poſſint. Statuit quoque, vt ab ijſdem puniri poſſent ſocij etiam, qui non hortarentur, vt deberent, pœnitentes ſollicitatos ad denunciandum, vel qui docerent eos non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes. Hanc Bullam legendam eſſe, & intimandam Regularibus approbandis ad Confeſſiones in ipſo actu approbationis, & pręſertim §. 9 pręcepit Vrb. 8. vt apparet ex epiſtola die 3. Octobris anno 1626. data a Cardinale Millino omnibus Ordinarijs.

12. Vrbani 8. ſpeciali mandato Congregatio de Propaganda fide anno 1623.

no 1623. die 16. Octobris præcepit etiam Generali societatis, alijsq; eius Superioribus sub pœna priuationis officiorum &c. vt Hebraicæ, Græcæ litteralis, & Communis, Latinæque, ac Arabicę, Chaldaicę, & Illyricæ linguę studia instituerent, instituta que conseruarent, & vbi fieri potest, ampliora efficerent, & præcipuè id executioni mandarent in Vrbe Roma, & alijs Ciuitatibus, quibus celebriora Gymnasia, seu Vniuersitates constituta sunt, vt Bononię, Patauij, Parisijs, Tholosæ, Valentiæ, Viennę, Ingolstadij, Salmanticę, & Compluti, & deniq; in ijs, in quibus generalia, & insigniora Regularium studia erecta sunt: iussitque pręterea, ne vllus Regularis ad Magisteria, vel Gradus, vel Dignitates promoueretur, nisi Theologię per biennium, & vni saltem ex præfatis linguis operam dederit, eamque sufficienter callueirt, super qua à persona per Congregationē deputanda examinari debeat, priusquam ad ea, eos, easue assumeretur.

13. Vrbanus 8. anno 1625. die 13. Martij iussit amoueri ab omnibus Oratorijs, Ecclesijs, alijsque locis tum publicis, tùm priuatis Societatis imagines eorum, qui adhuc non Canonizati, vel Beatificati proponebantur cnm laureolis, aut radijs, seu splēdoribus; vetuit que ne in posterum illę apponerentur: aliaque statuit circa libros continentes huiusmodi Virorum Vitas, gesta, miracula, reuelationes &c. Quę decreta idem Vrbanus iterum confirmauit anno 1634. die 5. Iulij, alia quoque decernens circa processus formatos super Vita, & miraculis quoque hominum cum fama Sanctitatis defunctorum &c. Concessit autem etiam Ordinarijs locorum, & Inquisitoribus, vt horum Decretorum transgressores Regulares possint punire priuationis suorum officiorum, nec non vocis actiuæ, & passiuæ, nec non suspensionis à Diuinis &c.

14. Idem Vrb. 8. anno 1625. die 21. Iunij decreuit, vt in qualibet Domo Societatis etiam præfigatur certus numerus Religiosorū, qui redditibus, vel eleemosinis sufficienter ali possit, nec possit ille augeri in Italia, & Insulis illi adiacētibus, etiam prætextu augmēti redditu um absque Sacræ Congregationis Concilij licentia; & præterea statuit, ne vllibi in posterum Domus etiam Societatis vlla recipi posset, in qua duodecim Religiosi competenter sustentari non valeant iuxta Greg. 15. Constitutionem: alioquin voluit eos subiacere omnimodæ Iurisdictioni Ordinariorum. Præcepit quoque, vt illa Constitutio perlegeretur in publica mensa sexto quoque mense, ideſt, Feria secunda post Dom. 1. Aduentus, & Feria sexta post Octauā Corporis Christi. Quod præceptum moderata est de mente Sanctissimi anno 1638. die 1. Aprilis sacra Congregatio neg. Reg. Præposita, declarans, quod ad non incurrendas pœnas contra Superiores ibi statutas satis sit, quod illa perlegatur infra terminum vnius mensis à tempore isto præfixo.

15. Idem Vrbanus 8. anno 1626. die 1. Octobris statuit, vt Regu-

laris

laris etiam Socius, cui pro delictis ad S. Inquisitionis officium spectantibus pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit (salutaribus pœnis exceptis) eo ipso ad omnes Societatis gradus & officia inhabilis censeatur, & deinceps etiamsi pœnitentiæ tempus expleuerit, vel gratiam receperit, ad illa promoueri nequeat nisi prius obtenta à S. D. N. vel à sacra Congregatione Inquisitionis coram ipso habenda speciali, & expressa rehabilitationis gratia, alias promotionem fore nullam &c.

16. Idem Vrb. 8. anno 1628. die 28. Ianuarij subijcit etiam socios aureas, vel agenteas monetas tondentes, fabricantes, vel colorantes, vel etiam retinentes dictas monetas scienter, aut Ecclesiasticos quoscumque in hoc quomodolibet adiuuantes, Ordinarijs locorum, & in terris Papæ subiectis Legatis & Prolegatis priuatiuè quoad superiores societatis; & excommunicationem, aliasque pœnas decernit contra Superiores qui præfatos quoquo modo impedire præsumerent &c.

17. Idem Vrbanus 8. anno 1628. die 12. Septembris reuocauit omnia planè indulta facta etiam Societati audiendi Confessiones Sacramentales sæcularium absq; Ordinariorum examine & approbatione.

18. De mente eiusdem Pontificis Vrbani 8. sacra Congregatio Negocijs Regul. preposita anno 1628. die 17. Nouembris expresse declarauit, nec intra, nec extra Italiam in vim Priuilegiorum, aut confirmationem eorum, quæ vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forsan obtinebunt, posse Regulares quempiam absoluere à casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinarijs locorum reseruatis; si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fore; ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse.

19. Idem Vrbanus 8. anno 1631. die 12. Martij approbauit Decretum Sacræ Congregationis Rituum, ne quiuis Regularis etiam societatis, per se aut per alios capiat informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defunctine, que vllo modo exquirat, atq; obtineat ad hunc effectū extra iudiciales testificationes, aut subscriptiones &c.

20. Idem Vrbanus 8. anno 1631. die 1. Aprilis, vbi innouauit Constitutionem Sixti 5. contra Astrologos, subijcit cognitionem causarum Regularium etiam Sociorum, qui contra illam peccarent, vel qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsq; ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum iudicia, prognosticaque facerent, vel consulerent eos qui hæc facerent &c. Subijcit, inquam, in Vrbe Roma Vicario ipsius Pontificis in spiritualibus, Gubernatori Vrbis, & Cameræ Apostolicæ auditori, in Ditionibus subiectis

biectis Romano Pontifici S. R. E. Cardinalibus Legatis, Prolegatis ac Præsidibus in Dignitate Ecclesiastica constitutis; & extra eas Ordinarijs locorum, & Inquisitoribus priuatiuè quoad omnes superiores etiam societatis.

21. Idem Vrbanus 8. anno 1631. die 20. Decembris reuocauit etiam societati omnia, & singula priuilegia, facultates, licentias, & gratias per ipsum & prædecessores suos viuæ vocis oraculo factas, etiam si factæ sint S. R. E. Cardinalibus, & eorum manibus firmatæ, seu subscriptæ: mandauitque Generali sub pœna priuationis Officij, vt infra tres menses proximos à die publicationis illius Constitutionis computandos, singulos Prouinciales de illa Constitutione certiores faceret, eiusq; Exemplaria ad illos transmitteret; ac Prouincialibus mandauit subijsdem pœnis, vt præciperet superioribus, vt eas litteras subditis suis pro more publicarent.

22. Idem Vrbanus 8. anno 1633. die 22. Februarij sub excommunicationis, pœna latæ sententiæ ipso facto incurrendæ præcipit Religiosis societatis Iesu, ne quomodolibet impediant accedentes ad Iaponiam, & alias Indiarũ Orientalium Regiones, siue sæculares, siue Regulares: prohibetque omnibus Regularibus, etiam societatis, in illis regionibus degentibus, vel mittendis in posterum sub pœna excommunicationis &c. priuationis Officiorum &c. & insuper amissionis mercium, & lucrorum ex eis factorum, omnem & quãcumcumque mercaturam, seu negotiationem quocumque modo fieri contingat, siue per se, siue per alios, siue proprio, siue Communitatis nomine, directè, seu indecrectè, aut quouis alio prætextu, causa, aut colore.

23. Idem Vrbanus anno 1633. die 14. Aprilis præcipit superioribus etiam societatis, omnibus sub pœna priuationis Officij &c. vt Feria Sexta post Octauam Assumptionis B. V. (extendit autem Sacra Congregatio Inquisitionis anno 1638. die 11. Februarij ad totũ residuum mensis Augusti) in publica mensa, vel in Capitulo ad hoc specialiter conuocato, & insuper in quocumq; Generali, ac Prouinciali Congregatione, suos subditos, ac Religiosos commonerent de iniuncta omnibus obseruantia, & executione Constitutionum Apostolicarum, & Decretorum, maximè ad Sãctum Officium Inquisitionis aduersus hæreticam prauitatem pertinentium, sed præsertim

Iulij 2. Constit. 2. incip. *Licet à diuersis*, contra impedientes Inquisitores hæreticæ prauitatis in eorum Officio, aut in Causis Inquisitionis se ingerentes, eorumque complices & fautores &c.

Pij 5. Constit. 82. incip. *Si de protegendis*, contra occidentes, verberantes, deijcientes, aut perterrefaciẽtes quemuis ex Ministris Sanctissimi Officij Inquisitionis, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, vel Prouincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocunque productum, vel euocatum.

Pij 4.

Pij 4. Conſtit. 31. incip. *Cum ſicuti nuper*, contra Sacerdotes, qui pœnitentes mulieres in actu Sacramentalis Confeſſionis ad inhoneſtos actus prouocare, & allicere tentant, & ſollicitant: & *Gregorij* 15. Conſt. 34. incip. *Vniuerſi Dominici Gregis*. Eiuſdem ampliatiuæ.

Gregorij XIII. Conſtit. 21. incip. *Officij noſtri partes*, de Iuriſdictione Inquiſitorum in eos, qui ad Ordinem Presbiteratus non promoti Miſſas celebrant, & Sacramentales Confeſſiones audiunt.

Clementis 8. Conſtit. 81. incip. *Etſi aliàs*, declaratoriæ pœnæ contra eos infligendæ per Iudicem laicum præuia eorum degradatione; & *Vrbani* 8. Conſtit. 79. incip. *Apoſtolatus Officium* extenſiuæ ad minores 25. annis, dummodo vigeſimum ætatis annum compleuerint.

Sixti 5. Conſtit. 17. incip. *Cæli, & terræ Creator* contra exercentes Artem Aſtrologiæ Iudiciariæ &c. & *Vrbani* 8. Conſtit. 113. extenſiuæ ad alia, & cum grauioribus pœnis &c.

Clementis 8. Conſtit. 42. incip. *Cum ſicut*, contra Italos ne extra Italiam proficiſcantur ad loca, in quibus liber, & publicus cultus, ſiue vſus Catholicæ Religionis non exiſtat, minuſque eis in locis habitet: & Gregorij 15. Conſtit. 28. incip. *Romani Pontificis* contra hæreticos, ne in locis Italiæ & Inſularum adiacẽtium quouis prætextu commorentur, & contra eorum fautores, & receptatores.

Pauli 5. Conſtit. 26. incip. *Romanus Pontifex*, reuocatoriæ facultatum ſuperioribus quorumcumque Ordinum, & Religioſorum quoquomodo conceſſarum cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum ad Officium Sanctæ Inquiſitionis quomodolibet pertinentium.

Eiuſdem Pauli 5. Conſtit. 97. incip. *Regis Pacifici* innouatoriæ Conſtitutionum à Sixto 4. & Pio 5. de Conceptione B. V. editarum. & *Gregorij* 15. Conſtit. 29. incip. *Sanctiſſimus Dominus noſter* ampliatiuę Conſtitut. Pauli 5. quoad priuatos etiam Congreſſus &c.

Gregorij 15. Conſtitut. 27. incip. *Romanus Pontifex in ſpecula*, reuocatoriæ quarumcumque conceſſionum viuæ vocis Oraculo factarum, ſi non ſint firmatæ manu Cardinalium: & *Vrbani* 8. die 20. Decembris anno 1631. incip. *Alias felicis recordationis* extenſiuæ etiam ad illas.

Gregorij 15. Conſt. 40. incip. *Apoſtolatus Officium*; & Vrbani 8. Conſtit. 114. incip. eodem modo, reuocatoriæ licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Vrbani 8. Conſtit. 37. incip. *Sanctiſſimus Dominus noſter*, de Imaginibus nondum à Sede Apoſtolica Canonizatorum, aut Beatificatorum publicè, aut priuatim proponendis cum radijs, laureolis &c.

Eiuſdem *Vrbani* 8. Conſtit. 50. incip. *Sanctiſſimus Dominus noſter*, de libris vbicumque compoſitis de quacumque materia tractantibus ab his qui degunt in ſtatu Eccleſiaſtico non trãſmittendis aliò, vt imprimantur, ſine Vicarij, & Magiſtri Sacri Palatij in vrbe, vel extra eam

sine Ordinarij, & Inquisitoris, aut ab eis deputatorum licentia: Eiusdem *Vrbani* 8. Constit. die 5. Nouembris anno 1631. incip. *Cum sicut accepimus*. Quod Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & Sanctæ Inquisitionis Officium hactenus editæ, & in posterum etiam super quacumque alia re edendæ omnes Regulares quomodolibet priuilegiatos comprehendant, nisi in edendis illis specialiter excipiantur.

Mandauit postea Vrbanus superioribus etiam societatis, vt curarent, & efficerent, vt illius Decreti exempla aliquo in loco apud socios publico affigerentur, & affixa conseruarentur, ita vt ab omnibus videri ac legi commodè possint &c.

24. Ab eodem Vrbano 8. instituta Romæ Sacra Congregatio Apostolicæ Visitationis anno 1637. die 29. Augusti decreuit, ne quis e Religiosis etiam societatis Iesu in vrbe, eiusque districtu . . . . seu Religionis nomine, seu particulari per se, vel per alios in suis Domibus vel alibi in quocumq; loco exerceat vllam venalem artem, siue Aromatariam, Pistoriam, lanificinam, textrinum, aut aliam quamlibet præterquam pro suis Religiosorum, aut Alumnorum vsibus, nec vllo modo sæcularibus, aut alijs Religiosis, & Ecclesiasticis pharmaca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomodocumq; elaborata, & ornata vendere etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis absq; speciali licentia in scriptis obtinenda possit, sub pœna suspensionis à Diuinis &c.

25. Memoro

Caput Sextum.

In quo recensentur Priuilegia nonnulla viuæ vocis oraculo Societati maximè facta à Pontificibus recensita explicitè in lib. Priuil. eiusdem Soc. præter plura habita per Communicationem cum alijs.

P.° V. Absolutio §. 1. Possunt Confessarij societatis absoluere eos, qui bona naufragantium rapuerint, iniuncta eis restitutione, vbi, & quomodo ea fieri poterit Gregorius 13. die 18. Maij 1584. in viuæ vocis Oraculis pag. 133.

2. Eodem v. §. 5. Qui mittuntur ad triremes possunt absolui per nostros à quibuscumque casibus, sicut in articulo mortis. Pius 4. in viuæ vocis Oraculis pag. 30.

3. Priuilegium concessum à Iulio Tertio anno 1552. die 22. Octobris absoluendi quoscumque ab hęresi in foro conscientię confirmas- se di-

se dicitur, & de nouo concessisse Greg. 13. die 18. Martij 1584. pro reliquis orbis partibus, Hispania excepta, in viuæ vocis Oraculis habetur eodem v. in fine §.3. Idem autem Greg. die 6. Nouembris anno 1583. dicitur eodem v. §.4. concessisse facultatem absoluendi quoscumque à lectione librorum prohibitorum, in ijs locis vbi possunt socij absoluere ab hæresi, prout in viuæ vocis Oraculis pag. 132.

4. Idem Greg. die 18. Martij 1584. concessit facultatem absoluendi ab hæresi, & à relapsu etiam in hæresim eos omnes, qui sub societatis obedientia viuunt, si quis in eam incideret, etiam in Hispania, vt in viuæ vocis Oraculis pag. 133. v. eodem §.7.

5. V. Benedicere §. 3. recensetur Priuilegium viuæ vocis ab Innocentio 8. concessum, per quod possunt Præpositi Domorum, ac Rectores benedicere corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiæ, & ad cultum Diuinum pertinentia, & tam suæ Ecclesiæ, quam etiam vndecumque delata, & tam à nostris, quam ab alijs deferantur.

6. V. Bulla Cœnæ. §. 1. Etsi à Pio 5. iniunctum fuerit, vt omnes Confessarij transumptum Bullæ Cœnæ per eum decretæ apud se haberent, nostri tamen eiusdem Pontificis concessione ab hoc fuerunt exempti declarauitque satis fore, si in singulis Collegijs, vel Domibus vnicum haberetur, quod in eo loco affigeretur, in quo omnes Confessarij legere illud possent. Habetur in viuæ vocis Oraculis fol. 42. in fin & seq.

7. Eodem v. §. 2. Quod nullę societatis facultates censeantur reuocatę per bullam Cœnæ Domini, concessit Greg. 13. die 18. Martij 1584. prout in viuæ vocis Oracul. pag. 133.

8. V. Commutatio §. 2. Hi, ad quos pertinet Officium admittendi eos, qui ingredi volunt societatem, possunt commutare votum simplex ingrediendi aliam Religionem, etiam determinatam, in vota consueta societatis quando is, cui facienda est commutatio, deuotionem ad id sentiret, vel societas, aut qui ipsum admittit, vocationem eius esse potiùs ad societatẽ nostrã, quam ad aliam Religionem existimaret. Concessum est hoc à summo Pœnitentiario habente ad id facultatem, vt est in viuæ vocis Oraculis pag. 13.

9. V. Concilium Tridentinum §. 1. quotiescumque à societate, vel à Præposito Generali dubia aliqua circa Concilium Tridentinum proponuntur, quæ Institutum, vel res societatis concernunt, mens Pij 5. fuit, vt Cardinales ad declarationem eiusdem Concilij deputati, postquam ea declarauerint, & determinauerint, reddant publicum testimonium declarationis, & determinationis factæ. Habetur in viuæ vocis Oraculis fol. 44.

10. Eodem v. §. 3. Possumus vti in foro conscientiæ omnibus gratijs per antecessores Pij 5. Minoribus concessis, etiam quoad illas ex eis, quæ sunt restrictæ, seu derogatæ per Concilium Tridentinum, prout

eiſdem cõceſſit idem Pius 5. viuæ vocis Orac. die 13. Martij an. 1566. & refertur in manuſcript. fol. 79. pag. 2.

11. V. Eccleſia §. 4. Adueniẽte caſu neceſſitatis, poſſunt Eccleſiæ noſtrę transferri, & mutari de vno loco ad alium; & locus prioris Eccleſiæ reduci ad vſus humanos ſecundum commoditatem dictorum locorum, & Collegiorum, ſeu Domorum, modò tamen materia ædificiorum ponatur in Eccleſia alia. Conceſſit Leo 10. viuæ vocis Orac. Minor. vt habetur in eorum ſupplem. fol. 92. pag. 2. Conceſſ. 77.

12. V. Familiares §. 3. famuli & ſeruitores noſtri poſſunt eligere Confeſſorem de Societate, qui audita eorum Confeſſione, pœnitentiam ſalutarem eis iniungendo, abſoluat eoſdem ab omnibus criminibus exceſſibus, & cenſuris Eccleſiaſticis: & diſpenſet cum eis in omnibus Irregularibus, ſi quas fortè contraxerint (homicidio voluntario, & mutilatione membri ſemper exceptis) & eis remisſionem generalem, & plenariam omnium peccatorum impertiri valeat: & hoc idem poſſit in articulo mortis. Sixtus Minorib. viuæ vocis Orac. vt in monum. Eorum fol. 68. Conceſſ. 131.

13. V. Gratiarum vſus §. 2. Gregorius 13. die 29. Octobris 1584. viuæ vocis oculo declarauit mentis ſuæ non eſſe, vt per Bullas cruciatæ, aut Iubilæorum, vel alias ſimiles conceſſiones ſub quacumque derogatione, aut tenore, etiamſi in eis dicatur, Quacumque prohibitione ſublata, vel etiam viuæ vocis Orac. Pœnitentiarijs S. Petri, aut quibuſuis alijs hactenus factas, vel in poſterum faciendas, cenſeatur derogatum Priuilegijs, Regulis, aut Ordinationibus ſocietatis, præcipuè verò indulto illi per eumdem Greg. 13. die 3. Maij anno 1575. conceſſo &c.

14. V. Reliquiæ. Poſſunt noſtri mittere Reliquias extra Vrbem pro conſecratione altarium. Conceſſum eſt minoribus, vt in Monum. fol. 70. conceſs. 174. Cæterum viuæ vocis Oraculo cõceſſit Pius 5. vt quas reliquias ab amicis habere poſſemus, abſolute extra vrbem fas eſſet mittere. Habetur in viuæ vocis Orac. pag. 46.

15. V. Sacra §. 1. Noſtri qui inſeruiunt Eccleſijs ſocietatis in Sacriſtę Officio, & ſi ſacros ordines non habeant, ſi modò primam habeant tonſuram, poſſunt tangere Calices, & Corporalia. Conceſſit Summus Pœnitentiarius habens tunc ad id poteſtatem, vt in viuæ vocis Oraculis pag. 12. & ſeq. Per priuilegia tamen Minorum omnes laici poſſunt tangere Eccleſiaſtica paramenta, Calices, & corporalia, eaq; lauare &c.

16. V. Viſitatores. Poſſunt Viſitatores noſtræ ſocietatis in ſingulis Collegijs, & ſocietatis locis abſoluta viſitatione concedere Noſtris benedictionem, & Indulgentiam Plenariam, & hoc in perpetuum. viuæ vocis Orac. conceſſit Greg. 13. vt in viuæ voce Orac. pag. 126. in fine.

Pars 4.

Pars Quarta.

In qua exponuntur illa, in quibus Societatis Ieſu Religioſi à Primæuo Maiorum Suorum Spiritu, à Conſtitutionum, Regularumque obſeruantia, & à Religioſa Perfectione defecerunt, deprompta ex eorum Libris &c.

Ut maior habeatur notitia, & Clarior, An & quando P. Ieſuitæ defecerint in Spiritu, hanc Partem in Sex tribuimus Capita.

Partis Quartæ
CAPVT PRIMVM.

Recenſentur multa, quæ videntur clarè oſtendere defeciſſe P. Ieſuitas à Primæuo maiorum ſuorum ſpiritu &c. collecta ex Libris Epiſtolarum Prapoſitorum Generalium, Decretorum Congregationum Generalium, Ordinationum, ac Inſtructionum ad Superiores &c.

P.° BEatus Franciſcus Borgia Tertius soc. Ieſu Præpoſitus Generalis in litteris datis ad vniuerſam societatem, de medijs conſeruandi spiritum societatis. *anno 1569. in lib. Epiſt.*

P.° Indicat experientiam iam docuiſſe, cum non obſeruatæ fuerint Conſtitutiones in admittendis hominibus ad societatem, in societate quoque repertos homines ſolidarum virtutum, ac ſpiritualium donorum copijs egenos & vacuos. *c. 54.*

2. Dolet, quod eſſet celeritas, & feſtinatio educendi e Nouitiatu nondùm maturos, hoc eſt, non bene munitos, ac inſtructos caritatis, obedientiæ, humilitatis, ac patientiæ præſidijs, quibus comes ſit voluntas efficax ſe deſpiciendi, & vſque ad mortem conſequendi Chri- *c. 54. & 55.*

ſtum

ſtum Crucifixum; additque hanc celeritatem eſſe damnum certiſſimum, quod quò latius ſerpit, eò clariùs cernitur.

n.64. 3. Significat multa Collegia, dum ſtudio nimio procurandæ dotationis varios modos exquiſierunt, alijs potius negocium faceſſiſſe, quam exemplo ædificationiq; fuiſſe.

4. Ait ſe audiuiſſe initio naſcẽtis ſocietatis eximiam quamdam ſinceritatem, ſimplicitatemq; floruiſſe inter ſocios, cum admonitiones, n.65. ac correctiones afferrent amorem cum gratis animi memoria, & ſignificatione coniunctum. Innuit autem eo tempore mærorem potiùs, dolorem aut perturbationem, aut etiam ab alienationem pro gratia ſucceſſiſſe.

Anno 1581 2. P. Claudius Aquauiua Quintus Generalis in litteris de felici progreſſu ſocietatis, hæc inter cœtera habet.

P.° Curandum in primis eſt, vt omnes de medio tollatur occaſiones, c.103. et 104 quæ noſtrum curſum impedire, & retardare poſſent, cuiuſmodi ſunt ſæcularia præcipuè negocia, quæ hominem verè, quaſi in alienam ſpeciem, ac perſonam transformant. Cum enim (vt in noſtra formula habemus, & quoad ſemper ante oculos habere debemus) Deo militemus, vtiq; cadit in nos illud Apoſtoli dictum *Militamus Deo, & Nemo Militans Deo ſe negocijs ſæcularibus implicat, vt ei placeat, cui ſe probauit*. Inde & Conſtitutionibus, & operibus expreſſit ſemper Beata memoria Pater noſter, quantùm huiuſmodi occupationes à noſtro Inſtituto alienas duxerit. Sed accidit interdum, vt auctoritas quędam Principum, & Magnorum hominum (quæ certè, vt nos opprimat, pati non debemus, ſed acriter ei cum omni modeſtia, & humilitate, atq; Religioſa ſuauitate reſiſtendum eſt) efficiat, vt *in huiuſmodi ſcopulos impingamus frequenter*.

c.104. et 105 2. In hac Regularum atq; Diſciplinæ obſeruatione duo ſuperioribus extrema vitanda ſunt. Alterum, ne dum ſubditis diſplicere, eoſque contriſtare timent, paulatim diſciplinam labefactari ſinant, & in his conniueant, quę correctione, & remedio indigebant, non modo culpam aliquam impunitam relinquentes (ea enim indulgentia in multis, nec magnum vitium eſt, & fieri poteſt, vt interdum expediat) ſed etiam huiuſmodi errata, ne fraterna correctione caſtigantes; & *quod perniciosius* eſt, *cum culpæ ſubinde iterentur*, non *applicantes in futurum efficax*, ac *ſalutare remedium: Quod ſanè credi non poteſt, quantum detrimenti Societati affert*. Paulatim quippe defectibus, atque relaxationibus ſuccreſcentibus, ſuperiores ij, qui in gubernatione ſufficiuntur, omnia inueniunt emendatu difficillima, & vt noui ſunt, ne ſeueriori diſciplina à ſe ſubditorum animos abalienare incipiant, atq; in ipſo gubernationis aditu, ea ſtatim mouere, quæ moleſta ſunt, & odioſa, quaſi redimentes tempus, tempus expectant, quo ſuauiùs, & molliùs omnia fiant; dumq; dies ex die protrahitur, incommoda

moda crescunt; & quod vix credi potest, sed tamen certissimum est, fit ex consuetudine sensim adeo familiare huiusmodi laxitatis, & licentiæ velut idioma, vt etiam Zelo præditis minùs iam, ac minùs incipiant incommoda, ac indecora videri, quæ antea turpissima videbantur. Itaq; *dum terra alluuione consumitur, & Lingua, quam nascens Societas non nouerat, auditur; quasi altera repente rerum facies, & alienorum Ciuium Regio existit.*

3. Idem P. Claud. in litt. de medijs ad conseruandam Societatem inter cętera habet.

P.° Rectores societatis ita *rerum temporalium sollicitudine grauatos atq; oppressos, vt vix respirent;* cum tamen primum, maximum q; Superiorum studium, ac præcipua eorum diligentia tum etiam vigilantia in eo esse debeat, vt qui ijs subsunt, in veris, solidisq; virtutibus progressum certum, stabilemq; faciant. Anno 1586. c.196.

2. Vix posse credi damna, atq; incommoda, quæ ab huiusmodi hominibus (hoc est scholaribus illis qui permissi sunt in litterarum studijs progredi, licet superbi, inquieti, & malè mortificati animaduersi fuerint) societas patitur, non tantùm ob molestias illas, quas in dies afferunt (quamquam & hæ permagnæ sunt) sed & multo magis, quod progressu tandem temporis, nisi ad Sacerdotium promoueantur, murmurant facilè, ac tumultuantur: Si verò promoueantur, maiores longè difficultates exhibent, nec societas potest de eis esse secura; dilabuntur postea ad prætensiones graduum, obloquuntur palam, alienant animos simpliciorum ab Instituto, scandalizant alios, & denique grauissimè, periculosissimeq; nocet; quod tunc etiam maximè faciunt, cùm operarij iam, aut Cōcionatores constituti alliciunt sibi Animos Prelatorum, Populorumq;. Quo fit, vt sæpe eos aliquamdiù tolerare cum incommodis iam enumeratis cogamur (subijcit idem Generalis) & tandem dimittere maiori cum ipsorum acritudine, minoriq; proximorum beneuolentia, ac ædificatione. c.201. c.202

3. Esse profectò rem commiseratione dignissimam, nec sine scrupulo, quod operarij ad res maximas prò animarum salute idonei *sedeant totos annos vni alicui sedi affixi, paucarum fœminarum Confessionibus occupati,* quę illùc ex sua tantum particulari deuotione ter quaterue in hebdomada ventitant; cum interea per oppida, vicos, & Castella tam multæ Animæ reperiantur & auxilio indigentes, & ad auxilium accipiendum bene dispositæ. c.205.

4. Nonnullos sine scrupulo in fratrum suorum negocijs nimia loquēdi licentia vti. c.213.

5. Cum duo sint ab Instituto societatis præscripta, Auxilium nimirum proximorum; Modusq; iuuādi; sæpenumero fieri, vt nonnulli rem ipsam ab Instituto accipientes contemnant eius agendi modum &c. c.215.

4. Idem P. Claud. in litt. de oratione, & Pœnitentia sic inquit.

Acri-

Anno 1590. Acriter intueri par est, in *qua reparandarum Spiritus virium necessitate*
versemur, & languorem & *inertiam nostram potiùs causari necesse est,*
quam feruorem nimium criminari: *Non est enim hoc tempore alteri ora-*
tioni locus. Quod si inter primos illos feruores B. P. N. Ego in socie-
tate, antequam vlla Regularum mentio facta fuisset, solemnes age-
remus; contrahendæ fortassis habenę videri possent, & impotentio-
c.345. res impetus, vt in Epistola de obedientiæ virtute, & alibi non semel
loquitur, moderationis frœno coercendi, sed quæ duæ eum ad ita
sentiendum, loquendumq; causæ tum impellebant, nunc ambę subla-
tę sunt; altera, quod in illis mediocritatem omnem transilire clarè ar-
guerentur; altera quod inconsulto superiore eas vsurpare conuince-
rentur. *Nunc autem nihil valde de alterutra videtur esse metuendum.*
Et vt in aliquo deprehendatur immoderatus ille feruor, monendus
tantùm est & in contentiori studio moderandus, non verò etiam in
indiscretionem, quæ notatur in tam paucis, sic animosè inuehendum.
5. Idem P. Claud. in litt. de feruore missionum scribit.
Anno 1594. Vix sine magno dolore cogitari posse, quod in tāta operarum multitu-
c.374. dine, siue propter multa Collegiorum *onera, siue propter modicum fer-*
uorem Sociorum, & acerba tolerandi desiderium elanguidum, fructum
illum, de missionibus quem debent, quem & Ecclesiæ necesitas, &
eorum vocatio postulat, non reportent.
6. Idem P. Claud. in litt. de modo Missionum ait,
Anno 1600. Quia non ignoramus quam difficile esse soleat, vt moueantur e Col-
c.386. legijs operarij, qui in ijs habitant, vnde retardari, & impediri ex par-
te Missionum vsus solet, *minus certè frequentes sunt*, quàm & Insti-
tuti nostri, & fructus ipsius causa optandum esset &c.
Anno 1600. 7. Idem P. Claud. in lit. de Renouatione spiritus, vbi dixit Diuinam
protectionem polliceri sibi posse Societatis Filios &c. hæc subdit.
Sed illud mihi exploratum est, hanc Diuinam protectionem, eiusque
præsidia vix, plus audeo, ne vix quidem eos sibi polliceri posse, qui e-
gressi limites, & cancellos Instituti, nec sibi pro continuis distractio-
nibus, nec proximis per spiritualia adiumenta intendunt; sed eorum
communicatio cum Externis extra gratiam Vocationis est, & sæcu-
laris potiùs, magisque finibus & adinuentionibus illorum accommo-
data, quibuscum agunt, quam Dei lucris & finis Religionis no-
c.316.&317 stræ, qui sola animarum salus & gloria Dei est: fitque inde, vt pluri-
mas non profuturas alijs, sed sibi nociturus horas vtilioribus Studijs
suffurentur. Proinde qui se ad huiusmodi occupationes, & distractio-
nes inclinari sentit, obsecro per Misericordiam Dei, vt diligenter id e-
xaminet, certèque in lumine Spiritus Sancti attendere in se, seque in-
uenire, neque sinat se Torrente humanæ gratiæ, aut plausibus poten-
tium abripi: sed id sibi potiùs persuadeat, *huiusmodi humanis, ac sæcu-*
laribus tractationibus se, & se ipsum, imò & *Societatem non sine insigni*
iactu-

iacturâ proprij spiritus, & *fructus proximorum, varijs, ijsque non leuibus periculis exponere*.

8. Idem P. Claud. in lit. de sollicitudine, & vigilantia Superiorum præ cœteris inquit.

P.° Cum oculis pateant incommoda, quæ quorumdam immediatorum *Superiorum vitio in dies suboriuntur*, impellit Me officij necessitas, vt omnes iterum &c. Anno 1604. c.343.

2. Pudendum re vera, quod cum illustres sint fructus, quos per Societatis Ministeria tùm in Missionibus, tùm plurimis alijs modis Diuina Bonitas elicit, quãdo Superiores inuigilant, *ipsi tamen sæpenumero dormitare, & torpere videantur*. c.345.

3. Magnam in Superioribus culpæ partem residere satis demonstrat, aut morbi ipsius in nonnullis subditis vetustas, quod vel nulla illis, vel minùs apta remedia admouerint, aut ipsa eiusmodi defectuum in Collegio, vel Domo quapiam frequentatio communis. *Neque enim existimandum est, tunc communes tantummodo dici posse defectus cum in eos prolapsi omnes fuerint, sed tum etiam cum multos occuparint* &c. c.345.

4. Incumbant Dei amore in munus suum omni cura, & contentione, *procul habitis omnibus alijs occupationibus*, quæ *animos auocare, & distrahere possint*: In *quo scrupulum haud leuem duci*, & *haberi par esset*, adeò, vt non semel animum subierit cogitatio, an expediret, Mulierum Confessiones Superioribus interdicere; quod *his audiendis multum temporis exiguo fructu conteri soleat*, via sterni ad visitationes, turbari interdum etiam per æmulationes, aliasquè occasiones pacis domesticæ, non sine magno debitæ erga Superiorem reuerētiæ, amorisque detrimento. c.346.

5. Nec leuiter se peccare credant, si incuria, vel negligentia sua permittant, vt peccata quamuis leuia propagētur, quando his disciplina eneruatur, & Religionis facies, ac nitor obducitur, dum nescio qua ignauia, peruersaque consuetudine, quæ parui fiunt, magno sanè cum incommodo, & noxa contemnuntur, qualia sunt *neglecta silentij obseruatio, crebræ confabulationes, sermonesq; rerum nouarum, murmurationes, & susurrationes, litteras dandi, atque accipiendi impunitas, prolixa cum fœminis colloquia, inutiles Visitationes*, & *alia id genus, quæ quoniam quibusdam in locis Usitatiora sunt, Superiorum oculos, licet magno alioqui zelo videantur, non perinde offendunt*: & tamē ab hisce defectibus grauissima interim damna consequuntur; præfocatur spiritus, ac deuotio; minuitur affectus, & obseruantia aduersus superiores; læditur ædificatio proximi, bonumque nomen ac fama Societatis; vnio denique, & Caritas fraterna labefactatur: & tamen dissimulat, conniuetque Superior: non ignorat amaritudines, & auersiones Domi versari; & has tolerat, cum officij ratio eas quam primùm excidi, fratrumque gratiam reconciliari iubeat: cumque omnes eiusmodi cul- c.347. & 348

V pas

pas ex graui damno, quòd inferunt, non metiantur, vt deberent, earũ
quoque occasiones, quę ex varijs cupiditatibus, æmulationibusque
humanis nasci solent, non anteuertunt.
9. Pater Mutius Vitellescus in lit. de Orat. &c. ad vniuersam societa-
Anno 1617 tem hæc habet.
c.390. P.° Dolet, ac queritur vulgò Societas de nostra sanè quam multum
imminutum esse modestia.
2. Lex Missæ, ne dimidiata minùs hora teneat, iam pene dilapsa, eo-
c.392. rum qui præsunt, desidiam acriter reprehendit.
3. Harum (contemplationis scilicet & Orationis) ope, & vi exerci-
tationum recalescent in nobis perfectionis nostrę studia, per quę *Pri-
migenius Societatis ille spiritus reuirescet,* quo eius olim instincta sobo-
c.393. les sæculo, rebusque omnibus, quas in ipso, cumque ipso reliquerat, o-
bliuione perpetua obrutis, vitam agebat, nulla Consaguineorum pla-
nè recordatione, nisi cum aut commendandi per preces Deo, aut pijs
tempestiuè monitis, ad æternam ijs vitam iter commostrandum fo-
ret, caducorum abiecta negociorum procuratione, Cognatorum au-
gendæ rei, dignitatisque omni cura deposita.
4. Hic Ego optarim, vt qui pro singulari Domini bonitate præcipuus
in Societatis filijs erga cęlestem hanc (castimoniæ scilicet) viget Ani-
mi sensus, excuteret de eorum manibus, seu manus potiùs colligaret,
c.400. ne genus nescio quod Librorum, vel attingerent quidem, e quibus
nunquam Doctrinæ tantum accedet, quantum vt Castimoniæ dece-
dat, in procliui est, cum eam ob causam ne Domi quidem habendos
Constitutiones nostræ doceant.
5. Isto ipso Orationis in lumine spirabit, flagrabitque perpetuò Ca-
ritas; omnesque proinde peræquè homines, Nationesque collata cir-
cumplectetur. Equidem facere minimè possum, Patres Fratresq; op-
c.401.&402 tatissimi, quin profitear Me, cum appellationem istam *Externorum* in
Societate audio, planè exhorrescere: Sed fortissimam mihi cupidita-
tem inijcit Deus, spemque *firmissimam affectus huiusmodi*, vocesque
stirpitus conuellendi.
6. Hic Ego ætate Prouectos, grauesque auctoritate Patres omnes,
Consultores, pręceptoresque per Domini caritatem, Studiumque quo
in secundum Societatis nostræ cursum feruntur, omni contentione,
atque opera obtestor, intendant seriò oculos, perpendantque, quàm
c.407. illi & impensè obesse, & prodesse insigniter possint: Non *se certis pro-
pensionibus ferri sinant*, neque *ad beneuolentiam priuatim designent*, qui
*cubicula frequentiùs terunt, laudibus liberaliùs onerant, ampliorem fi-
duciam ostentant* (nollem vti hac voce, quæ mihi Religioso statu, quã-
tum videtur indigna, atque execranda) qui *se aptos, & obnoxios ex ijs
pendere omnium maximè præseferunt*. Adijciant potiùs sincerè oculos
ad Virtutem, deinde Dotes, quas dispertijt singulis Deus &c.

7. AE-

7. AEquum, verumque est, Religiosa submissione Adolescentes, atque simplicitate colere qua decet obseruantia Patres, qui suos in Ordinis obsequium Annos contriuerũt; quo in genere nonnihil *aliquanto ab hinc tempore* Iuniores peccare inficiari non possumus. c.408.

8. Ne quæso Nobis, Patres, Fratresque, blandiamur; Non pauci hoc in genere valido fræno egent; nemini parcunt; nimia agunt libertate, & licentia, non sine graui Caritatis, Iustitiæque interdum iniuria; dum aliena seu dicta, seu facta nunc amplificata augent, modò vltro citroque renuntiant, nunc in deteriorem partem accipiunt; ad motus animi, atq; Consilia Deo reseruata dijudicanda progrediuntur; haud scio an dicendum sit, res neque gestas vnquam, neque per somnium quidem oblatas comminiscuntur, & iactant. Equidem mihi persuadeo, consultò & dedita opera non delinqui; quod sciam quantus Dei timor, ipso adiutore, in societate vigeat; verùm affirmo inconsiderantiam, indiligentiam, lubricitatem hac in re malum esse longè grauissimum; atque vtinam interdum Diuina Maiestas nihilo magis, quam leuiter lædatur, eoque periculosiùs, quo minus inde onerari conscientia alicui fortasse videbitur. Ego verò quoniam exonerare meam statui, mihique persuasum est, innumera hinc nobis bona intercludi, atque ex *hoc Fonte in primis & vniuersè deriuari mala, quæ æquissimo Domini Iudicio toleramus*; ex intimis cordis mei visceribus obtestor, Examen, quod vocamus Particulare, quam accuratum, per hosce Dies in hoc Vitium instituant; quandoquidem *latiùs, quam opus esset, illud serpere per Societatem deploramus omnes*, fatemurque c.415.416. & 417. venenosæ huius atque execrabilis plantæ fibris euulsis, terrestrem quamdam Paradisum futuram. Remedio porro vtãtur, quod in Domini nomine cunctis porrigo, omniaque, quæ ex remissa linguæ custodia Nobis impendent mala stirpitus eradicabit, neque verò aliud est, quam vt omni ope, atque opera pios inter Nos, cumque Externis sermones instituere consuescamus. Quanta hinc, Patres, Fratresque, Nobis bona prouenient! Ita res domesticas, non optimi interdum exempli, sęcularibus nequaquam indicabimus, magno ipsorum detrimento, nostreque existimationis maiore iactura: Ita rerum dictarum, gestarumque Nuntijs aliorum aures non opplebimus; neq; pro nugarum, rumorumque, qui falsi, inepti, vanique deprehenduntur, Auctoribus vnquam habebimur; Ita nemini occasionem afferemus, vt prędicet, cum de rebus pijs colloqui animus tulerit, ad aliorum se Religiosorum fores, non ad nostras accedere. Ita denique nemo sęcularium obseruabit vsurpabitque, *haud amplius in nobis vigere priscum illum primorum Patrum spiritum*, qui cum Principibus Viris, planeque omnibus, nonnisi de Deo, atque ęterna salute sermones serere nouerant, eaque ratione pro arbitratu cuncta conficiebant. *O si renouatam hoc in genere Societatem daretur intueri!* omni tunc sanè animi ardore in-

re inclamarem; *Nunc dimittis* &c. Incumbamus per Dei Caritatem, curemusque, vt longè alij hac ex parte euadamus &c.

Eodem anno 1617. 10. *Idem Pater Mutius in lit. ad Superiores* Societatis hæc præ cæteris scribit.

P.° Ita præterea, qua par est, diligentia Consultationes suas tempori habebunt. Et sane non possum non demirari, qui fiat, vt cum hoc præsidium tam enixè commendatum, adeo facile tantæque ad faciendum omnibus satis, recteque progrediendum efficacitatis, *omnium ni-*

c.416. c.417 *hilominus Prouinciarum concors fere conquestio sit*, infrequenter Moderatores cum Consultoribus agere, Consultationes esse multò rarissi-

c.419. mas, eas in primis, quæ ad res sancti Instituti nostri pertinent &c.

2. Quam acrem mihi cupiditatem inijcit Deus, vt *Morem illum pristinum repetant Vniuersi*, cum quod ego sciam, nemo certum cubiculum, vestem aliam, munus illud, quidquam deniq; sibi poscebat, quòd ita se præuentos, ita sibi prospectum omnes sentirent, vt vel nihil admodum opus haberent, vel caritate Moderatorum, & sollicitudine attonitos animo quidquam agitare, ne dum petere, puderet.

3. Post ægrotos reuoco in mētem Hospites, & Peregrinos; erga quos

c.430. c.431 nollem aurum illud purissimæ caritatis, *Quæ in Societate claruit*, sensim insufcaretur; mosq; ille in Caritatis Apostolicæ sinus exortus exolesceret, ijs qui peregrè adueniunt, pedes lauandi, omni amoris voluntatisq; adiecta significatione, vt suo in Collegio Domoue se gerere sentiant; *Quo in genere quæ peccari dicuntur, nimio sane rubore perfunduntur.*

c.431. 4. Subiectos à nimio erga Consanguineos affectu diuellant, planeq; statuant grauiorem quam aspectu primo videatur, hunc morbum esse.

5. Intelligant importunitate aliquorum in corrogandis eleemosinis,

c.432. atq; nimietate Dei obsequium maximopere interpellari, nostrasq; functiones quam despicatissimas reddi; vt si societatis munera vna quod aiunt, manu sæculares alliciunt, centenis hæc immoderatio manibus eosdem amandet, atq; propellat.

6. Nonnullorum ex societate sententiæ in rebus præsertim ad mores

c.431. c.433 spectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum est, *ne ipsam euertant, sed ne Ecclesiæ etiam vniuersæ insignia afferant detrimenta* &c. Quoniam autem Constitutiones, Decreta, Regulas probè callent de Sancto Thoma sequendo, de non promouendis, qui eiusmodi Doctrinam parui facere, aut cordi non habere præseferunt, *præsertim si nouitatum Amantes deprehendantur*, qui nulla tunc ratione ferendi, reliquum mihi præterea est, nisi vt hæc ipsa seruentur, vti maximi rem momenti, quam ardentissimè possum vrgere.

7. Sedulò subiectorum linguis inuigilent, vt qua decet reuerentia,

c.435. atq; obseruantia, de Præsulibus, optimatibus, Religiosis, omnibus deni-

denique loquantur; ne quidquid Domi geritur, ſæcularibus in aures inſuſurrent, nec magno illorum profectu, nec maxima ſocietatis exiſtimatione; ne tam multæ nullius neceſſitatis, aut vtilitatis Epiſtolæ, neque ſiue res ipſas, ſiue rationem eloquendi ſpectes, pro more ſatis religioſe ſcribantur.

11. Idem P. Mutius in lit. ad Prouin. & P. Congreg. Prouincialium Soc. hæc habet.

P.° Iam nollem, Patres mei dilectiſſimi, ex veritate poſſe dicere, *Ad defectum nos conditio ducit Originis*. At excreſcimus, & longè lateq; diffundimur: *Agit fere quiſq; perpetuò cùm ſuis indigenis: plurimi neſcio quo* affectu, *& quaſi Zelotypia ad ſuā reſtringi videntur* Prouinciam. Verendum maximè, ne excidentes ab illa felici regeneratione, ad primam noſtram originem breui reuoluamur. *Principio* videlicet *Noſtræ Societatis nullum apparebat diſcrimen Collegiorum, aut Prouinciarum, ſed ne quidem nationum, Regnorum, aut Regionum; NVNC tamen negari non poteſt*, quin ſe prodat in nonnullis neſcio quis affectus & Zelus illius particularis boni, quod ad ſuas ipſi putent ſpectare prouincias; indeq; ſenſim ſine ſenſu minuatur in ijs, atq; intepeſcat Amor communis Boni omnium Prouinciarum, & ſubintret pedetentim *Meum, & tuum* frigidum illud verbum, vt ait S. Chriſoſtomus, & quiquid malorum eſt inuehens. *Et poſt nonnulla*. Enimuero Patres mei in Chriſti viſceribus dilectiſſimi, tametſi non ſum Ego Propheta, ſed omnium minimus, ſentio me tamen à Domino impelli ad id officij præſtandum, quo vel meo profuſo ſanguine *reducam Societatem noſtram ad humum ſuam*, vt illic ait Propheta, hoc eſt ad *Priſtinam ſuam veræ, ac pluſquam fraternæ caritatis vnionem &c.* Anno 1619. c. 439. c. 441.

2. Secundum caput quod multa nobis ac grauia damna minatur eſt defectus Sanctæ obedientiæ, *quem in pleriſq; non rarò experimur*, dum agitur de miniſterio, de loco, aliaue re, quæ minus arrideat, aut coüenire putetur miſeræ illi exiſtimationi, quam in humilitatis domo, (quod pudendum eſt) tanti facimus. Quoniam autem B. P. N. Ignatius in illa ſua Diuina verè, nec vnquam ſatis commendata epiſtola de obedientia, virtutem hanc ſubſtituit, & quaſi ſubrogat ijs pœnitentijs, & corporis afflictationibus, quibus in Eccleſia Dei pleriq; alij ordines Regulares iuxta proprium ciuſque Inſtitutum magna cum ædificatione prælucent; Hæc profectò vna ſi nos deficiet obedientia, iure nobis ab aliqua imminente ruina timendum erit. Nec iam inficiari poſſumus (quod pariter lugendum eſt) *quin incipiamus id in nobis præſentire*, &, quod eſt conſequens, nonnihil damni in noſtris miniſterijs. Dum etenim *aliqui (faxit Deus, ſint pauci)* veluti huius corporis membra, certis in locis, occupationibus, ac muneribus, ſtudent magis honori ac nomini, proprijſq; commodis, quàm totius corporis; neceſſe omnino eſt grauia inde proueniant incommoda, multiq; ca. 441. 442. & 443.

tisq; in rebus noſtrum deſideretur officium; non quia deſunt operarij, ſed animi inductio, & abſoluta reſignatio in manibus superiorum, ipſa deniq; vt vno verbo dicam, obedientia. Imò, quod eſt dolendum magis, *Non deeſt*, qui vt eò quò intendit, perueniat, patronos, & interceſſores *tam intra, quam extra Societatem perquirat*, maiori cum iactura boni nominis, grauioriq; offenſione; tum domi tum foris, quam facilè credat, qui hæc molitur; Et quidem contra quàm Decretis admodum ſeueris cautum eſt à sexta, & ſeptima Congregatione Generali. Vnde credibile ſit fore, vt compellatur aliquando societas extremum illud adhibere remedium, quod ſcimus attigiſſe nonnullos eorum Patrum, qui interfuerunt poſtremæ Congregationi Generali videlicet, inhabilitatis ad omnia miniſteria &c. Ex hoc nam que vitio, vt liquet, paulatim inducitur altera longè maior deformitas, nimirum vt aliqua huius corporis membra non modò ſibi munia vſurpent alijs aſſignata membris eiuſdem corporis (quod etſi inconueniens, minus tamen eſt graue) ſed etiam in ſe recipiant eorum officiorum ac negociorum tractationem, quæ *ſunt à Societatis corpore penitus abhorrentia, & ab eiuſdem Inſtituto aliena. Id vero vt illi aſſequantur, inſinuant ſe in amicitias Principum, eorum adhibent fauorem, ijs ſe tuentur*; adeo vt cogatur societas, vel eorum à ſe voluntates alienare, ſi deneget poſtulata; vel ſe ipſam deſtruere, ſi concedat.

3. Re vera non ſe produnt in nobis ea grati animi, teneriq; amoris ſi-
c.445. gna, quæ huic virtuti (Paupertati ſcilicet) quam matrem agnoſcimus, iure debentur. Sed aliud item eſt, quod me pungit acerbiùs, & ob id RR. VV. Conſilium, & opem imploro, & expoſco. Reperitur nempe, laxiores in hac materia euocet opiniones, ac diuulget &c.

4. Zelus inſuper animarum ſanè quàm *refrigeſcit in multis, nimiſq; verum eſt, paucis nos eſſe contentos*, & à *nobis occupationes aſſumi*, ac *miniſteria ex voluntate potius traducendi tempus*, quàm ex *ſincero*, ardentiq; deſiderio, & fame ſalutis animarum. Eſt etiam, qui ſi velit duorum inſtar eſſe queat; ſed ne ſibi incommodet, ne vnius quidem
c.445. partes expleat. *Hinc porrò fit, vt cui muneri olim ſatis forent quatuor, ne viginti quidem, vt ſunt hæc tempora*, fortaſſe ſufficiant. Certè cum ipſe mecum reputo, quid illi *Primi decem Patres effecerit*, quid aliàs item *Hæc ſola profeſſa Domus Romana*, cum operarum numero ſanè perexiguo; digna res mihi prorſus videtur, *in qua omnes erubeſcamus, vt verè operit faciem meam confuſio*.

5. Inter Priuatos creſcunt vitæ commoditates, atq; *in dies curantur*
c.446. *impenſiùs*. Faxit Deus, ne pręcipua eius rei cauſa tribuatur noſtro Superiorum exemplo; *nos tum enim plerunque in eo delinquimus*; fruſtraque à ſubditis emendationem requirimus, & nos eam primi non exhibemus.

c.448. 6. In recreationibus, in vineis, atq; oblectamentis, *negari non poteſt*

testi quin appareat excessus, multaq; superfluitas.

12. *Idem* P. Mutius in lit. anno soc. centesimo ad societatem vniuersam scriptis hos quatuor inter ceteros defectus in superioribus recenset, quos Italice descriptos damus. Anno 1639.

P.° E vn troppo vniuersale desiderio fondato si bene in carità: mà poco ordinata, di aiutar, e migliorar tutti, senza auuertire, se siano aiutabili, ò nò, e se il voler giouare ad'vno, nuoca alli altri. c. 22. & 23.

2. E hauer vna massima di non voler rompere, ò dispiacere à niuno &c. c. 25.

3. Può esser affetto particolare, che forse il superiore porti ad alcuni &c. ma molto più il priuato verso se medesimo con la cura souerchia della commodità, e reputation propria &c. c. 26. & 27.

4. Può esser la troppa sollecitudine, e cura delle cose esterne, ò temporali, che tengono l'animo, e molte volte il corpo distratto, e lontano da casa; siche non possino insistere nella disciplina di essa &c. *Ac postea inter cætera hæc etiam habet de Superioribus.* Gridano che le cose non vanno bene, esclamano, e si lamentano con chi bisogna, come è conueneuole, e necessario; ma spesso con chi non bisogna, e forsi anche più di che bisogna &c. c. 29.

13. *Ex Interrogatorio pro electione Quarti Generalis Societatis* in tertia Cōgregatione Generali confecto à Deputatis ad cognoscenda detrimenta, quæ passa fuisset societas, vel passura esse timeretur, vt ex hoc intelligi posset, quinam post B. Francisci Borgię obitum esset ad Generalis Præpositi Officium aptissimus, *Habetur.* Anno 1573. In lib. Dec. Cong. Gener.

P.° Non extitisse tunc in societate pristinam, ac laudabilem Vnionem, & quam Constitutiones tantopere commendant, quamq; homines semper in societate fuerant admirati. c. 165.

2. Societatem fuisse amplexam multa, quæ non conuenirent illius Instituto, eamq; ita grauabant, vt cogeretur relinquere, quę erant Instituti propria: eiusmodi dicuntur ibi esse Seminaria, Domus Conuictorum, Collegium Pœnitentiariorum, interesse Inquisitionis Congregationibus ad iudicandum, & signaturæ Pœnitentiariæ, & Ministerio examinandi, contra formam Decreti 72. Congreg. 2. c. 165. & 166.

3. Societatem ita grauatam & oppressam multitudine Collegiorum, vt satisfacere oneribus susceptis non posset. c. 166.

4. Societatem grauiter laborasse in obseruatione Instituti, & alijs rebus ob inopiam bonorum superiorum, & operariorum; & sæpè contigisse, quod minime idonei, & sufficientes pro huiusmodi muneribus missi fuerint. c. 166.

5. Propter exactionem pecuniarum, ijsque ex alijs Prouincijs in alias transferendi vbiq; Societatem apud Principes vtriusq; status notatam fuisse, & periculum schismatis, ideo in societate extitisse. c. 167. & 168.

14. *Ab* eiusdem Congregationis Decreto 37. Moderatio in equitando præ- c. 9. c. 180.

do præscribitur, habita solum ratione necessitatis, siue Personæ, siue negociorum iudicio superioris mittentis.

15. *Pater* Claudius in Instruc. pro super. ad augendum, conseruan-
In 2. par. lib. Instr. c. 7. dumq; spiritum in societate, vbi initio scripsit, *Quandoquidem* post varias ordinationes, post crebras superiorum ad Officij sui curam excitationes, post Visitationes denique, tum solemnes Prouinciarum, tum extra ordinem institutas Visitatorum, nondum tamen is fructus, nec spiritus incrementum, aut feruor elucet, quem omnes optamus, & quem Ego, vt omnibus modis procurem, priuato, ac pręcipuo muneris mei vinculo admoneor &c. Inter alia scribit.

c. 27. P.° Aduigilent superiores, vt vigeat prorsus silentij Regula, quæ *Multis in locis plus æquo, nec sine graui iactura negligitur.*

2. Aduigilent, vt in Recreatione nõ solùm exterminentur obmurmu-
c. 28. rationes, sed explodantur etiã rerum nouarum narrationes, libertasq; & sæcularitas indecora.

3. Cum ea sit obedientię dignitas, ac momentum, vt in eius absoluta perfectione præstantissimos B. P. N. esse voluerit homines socie-
c. 39. tatis, inficiari non possumus, haud exiguum esse, quod in *Multis desideretur.*

4. Doceantur Confessarij, ne ex pia quadam opinione, quam ha-
c. 41. & 42. bent de Nostris, venialia omnia (agit ibi P. Claud. de Castitate) aut leuia, atq; extra periculum esse ducant, sed considerantes, quonam tandem res istæ, quæ paruæ videntur, quoq; exitu terminari possint, nimis liberas conscientias extimulent &c. dent operam, vt pestiferas quasdam, & nimis laxas opiniones penitus auellant, hoc illud ve non esse mortale &c.

16. *Ex libro* Decretorum Congregationum Generalium habetur.

P.° Non raro à nonnullis errari, præsertim verò à superioribus, qui
Anno 1594 Cong. 5. dec. 48. c. 307. permittunt socios occupari negocijs sæcularibus, licet rerum particularium ad consanguineos, Amicos, vel quosuis alios pertinentibus; huiuscemodi enim negocia tanquam aliena ab Instituto nullo modo permittunt Const. p. 6. c. 3. §. 7.

Anno 1608 Cong. 6. dec. 6. & 38. ca 343. 344. & 895. Ex lib. Instr. Instr. 23. ca. 9. ca. 76. 2. Parum religiosè transactum fuisse Recreationis tempus, ideoq; serio actum fuisse in sexta Congregatione de moderanda, contrahendaq; Recreatione ob plurima, quæ numerabantur incommoda, quæ Religiosam viuendi rationem dedecent: Visum tamen esse maiori Congregationis parti, nihil de consueta illa Recreationis hora detrahẽdum esse, de qua loquitur Reg. Pręp. 56. & Rect. 55. Verum enitendum esse, vt alijs rationibus, quæ a diuersis præpositis fuerunt, occurreretur incommodis, quæ certum erat alicubi in Recreationibus inueniri, aut ex ijsdem promanare. Quas rationes, ac remedia cum Patres deputati pro Renouationæ spiritus diligẽter discussissent, Congregatio totam rem iudicio Patris, Generalis reiecit.

3. Cœptum

3. Cœptum iam esse Anno saltem 1596. vt per negociationes, & intercessiones Externorum aliquid à Superioribus obtinere procurarent Socij: Quod malum latiores, ac firmiores radices postea fixit; nam in septimæ Congregationis Dec. 20. sic legitur. Cum propositum esset Congregationi vt de efficaci Remedio prospicere dignaretur ad compescendum illos qui externorum pro se, aut alijs intercessiones in quacumque causa, vel munere procurant; censuit Congregatio, procuratas à nostris Externorum in quacumq; causa, vel munere intercessiones, tanquam omnis benè constitutæ Religionis pestem, omni conatu eliminandas. Neq; potuit non patrocinia hæc paulatim proserpentia sine magno animorum sensu intelligere, vt à quibus pedetentim ad grauissima incommoda, damnaq; prolapsuram Societatem non vanis indicijs, rationibusque, nisi obuiam primo quoque tempore malis iretur, præsentiebat. Quare vt in re perniciosissima omnibus sibi viribus occurendum putauit &c. Cum verò Remedia à sexta, & septima Congregatione allata non satis forent ad eliminandam hanc pestem e Societatis corpore Obedientiæ præceptum impositum est à P. Mutio anno 1642. *Ne quis tales intercessiones procuret;* Vt *quicumque reuelet procurantes* &c.

Anno 1608 Cong. 5. dec. 14. & 49. c. 283. et 308. Anno 1615. Cong. 7. dec. 20. c. 421. & 422.

4. Fuisse excessum in Delationibus: Vnde P. Generalis à septima Congregatione rogatur, vt dignetur Delationibus modum statuere, diligenterque in Auctores, resque Delatas inquirere, vt si nocentem eum qui defertur deprehenderit, pro delicti conditione puniat; sin innocentem, non patiatur Delatorem impunitum abire: supra autem monuit eadem Congregatio, ne ipsi Superiores faciles Delatoribus aures, fidemque preberent &c.

Anno 1615 Con. 7. Dec. 12. c. 413. & 414.

5. Socios circa Mulierum curam certis locis, certisque inter se Legibus vna in Domo Conuiuentium occupari, & distineri cæpisse, cum tamen cura qualiscumque talium [Const. p. 6. c. 3. §. 5. Regulisq; 47. Præpositi, & 64. Rectoris ex professo videretur Aduersari.

Anno 1615 Cong. 7. Dec. 56. c. 450.

17. *In Libro Ordinationum* Præpositorum] Generalium à P. Claudio hæc scribuntur. Semper insistat (loquitur de Confessario Principis) vt Principem beneuolum, ac propensum habeat erga Societatem, & non erga priuatam suam personam, quia hæc certa ipsius, ac Religionis pernicies esset. Quare animū pœnitentis sui sic affectum retineat, vt quandocumque Religio ad Dei obsequium expedire iudicabit, vt ipse mutetur, aut eius opera alio in loco vtatur, maiorem in ea re facultatem nanciscatur, quàm *interdum experta sit quorumdam Confessariorum culpa*, qui volentes, aut fortasse etiam imprudentes negocia sic tractant, vt se ipsos & sæculares, quibus cum versantur, à Religione potiùs auertant, quàm Eos Christo Lucrifaciant.

Anno 1602 c. 11. nu. 12. car. 71.

18. Ex Libro instructionum ad Superiores inter cœtera habetur.

Instr. c. n. 5. n. 3.

1. Irrepisse abusum habendi duplices vestes in Cubiculis.

2: Irrepsisse etiam abusum non leuem (etiamsi Reg. 90. Prouincialis caueatur, ne quidquam Socij à Cognatis, vel Amicis accipiant) vt Socij, præsertim Scholastici, non rarò ob describendas ab externis. Scriptoribus Lectiones, cum eas ipsi ob infirmam valetudinem scribere non possunt, pecuniam conquirant; qua occasione in alios etiam vsus non necessarios sæpe conniuentibus Superioribus illā expendunt &c. [n.6.c.8.]

3. Fuisse notabilem remissionem in promouendis pœnitentibus ad veram contritionem, ad vitia emendanda, ac in dirigendis, & promouendis illis in via spirituali ex defectu spiritus, ac zeli in Confessarijs. [Instr.3.n.11 c.11.]

4. Non delectatos fuisse Sacerdotes studijs vt par erat. [Instr.4.n.2. c.15.]

5. Patres seniores patrocinatos fuisse Scholasticis, alijsque. [Instr.7.n.3. c.34.]

6. Fuisse defectum in Societate Præfectorum rerum spiritualium, & multa & magni momenti desiderata fuisse in formandis huiusmodi Præfectis, ac Magistris. [Instr.10 n.1 & 2.c.48.]

7. Corrigendum fuisse omnino vsum accipiendi, mittendique etiam cum facultate. [Instr.13.ca. 5.n.3.ca 73.]

8. Familiaritates cum Principibus grauiter minitatas fuisse Societati nisi fortiter obsisteretur, præcipue dum Superiores conniuerent. [Instr.28.c.7. n.3.ca.74.]

9. Humanam, & Politicam rationem agendi irrepsisse in subditos; & fortasse etiam in Superiores. [Instr.13.c.8 ca.75.]

10. Litteras Humaniores non florere, vt antea in Societate, sed alicubi etiam languere apud Socios. [Instr.20.initio c.102.]

19. *Ex Libro Industriarum* confecto à P. Claud. ad curandos animæ morbos pro Superioribus Societatis, hæc inter cœtera colliguntur. [Anno 1600]

1. Sæcularitatem, & Aulicismum insinuantem in familiaritates, & gratiam Externorum paulatim subintrasse specie quidem lucrifaciēdi Principes, Prælatos, Magnates &c. sed re vera socios interdum quæsijsse se ipsos, & paulatim ad sæcularia deflexisse. [c.15.c.97.]

2. Detractionis vitium irrepsisse in Societatem. [cap.17.c.113]

3. Plurimos ad salutem riduci posse ex Socijs, si paterna quadam, & plena amoris, ac fiduciæ patientia res agatur, quos ex neglecta, aut perfunctoria medicina, vel incorrigibiles excluduntur, vel tolerantur incorrecti. [In Proe.c.10.]

Caput Secundum.

Recensentur aliqua, ex quibus ferme euidenter concluditur defecisse Primigenium Societatis spiritum in Religiosis Societatis Iesu.

P.° VBi est inopia hominum idoneorum, qui præfecturam Rei spiritualis sustineant, & eorum qui aptè Socios in via spiritus, &

tus, & vocationis propriæ Societatis inſtruant, non poteſt eſſe multitudo ingens Sociorum, qui ad Societatis perfectionem à Sancto Ignatio in Conſtitutionibus declaratam effici, efformatique ſint; ſicuti eſt defectus Magiſtrorum, qui aptè inſtruant in Facultatibus, ſiue Inferioribus, ſiue Superioribus, neceſſe eſt ibi eſſe quoque defectum diſcipulorum, qui, vt par eſſet, in illis proficiant Diſciplinis. Atqui in Societate à complurimis ab hinc annis talium hominum inopia extitit, vt faſſi ſunt ipſimet Soc. Prouinciales, & Generales; Sic enim in Inſtruct. 10. habet P. Claudius. *Quamquam multis iam annis in eam curam incumbimus, Prouincialesque Præpoſitos vrgemus*, vt *rei ſpiritualis conſtituant Præfectos, ac Magiſtros, Ipſique, qui rei magnitudinem intelligunt, maximo opere rem perficere conantur; excuſant tamen Idoneorum hominum*, qui *totam rem ſuſtineant, inopiam. Nos quoque perſæpe multas in eo* genere querelas *audiuimus*, idque *multò etiam magis perſpeximus, cum non multò pridem, qui Spiritualium rerum ſtatum inſpicerent, Inſpectores per Prouincias dimiſiſſemus. Ex quo apparet multa, & magni momenti in hac ratione deſiderari.* Data autem illa Inſtructione Anno 1599. & ad Prouincias miſſa adhuc huiuſmodi inopiam non ceſſaſſe apparet ex lit. eiuſdem P. Claudij datis anno 1613. die 28. Septembris. *Inſtr. 10. n. 1 & 2. c. 48.*

2. Spiritus Societatis ibi conſeruari non poteſt, vbi eſt defectus orationis: Vnde inter tria, quibus B. Borgia dictitabat ſeruatum, auctumq; iri ſocietatem, primo loco recenſebat orandi ſtudium, vt aduertit inter cœteros P. Mutius in lit. de Oratione; & P. Claudius in lit. de felici progreſſu ſocietatis, vbi commendauit ſuperioribus, vt ſingulari diligentia atq; induſtria circa ea quæ ad Orationis, & Meditationis ſtudium pertinent, vigilarent ſubdit. *Neq; enim erga Deum, neq; erga ſuos Superiores, neq; erga ſe ipſum, neq; demq; erga proſſimos rectè vmquam poterit abſq; huiuſmodi exercitatione Societ. Operarius ordinari.* Imò poſt multa addit. *Quod ſi qua Religio eſt, cui meditationis familiare ſtudium perneceſſarium ſit & prompta quædam facultas* in *Deum ſubinde euolandi, ea certè noſtra eſt* &c. & P. Mutius in lit. de Orat. inquit. Pro *harum exercitationum ſanctarum modo procedent cætera, iiſque languentibus flacceſſant reliqua neceſſe erit.* Id quidem P. Borgia in lit. de med. confer. sp. soc. ex initio P. 10. deduxerat, quibus ſubdit. Si *paulò attentius conſideremus, verè agnoſcemus cum ea non adhibentur* quæ *Inſtrumenta cum Deo magis coniungunt, omnes Sacrorum Ordinum*, ac *Religionum diſſenſiones, ærumnaſq; ſubſequi*, ac *ſubcreſcere. Vt enim ex ſiccitate Terræ Arborum flores, & fructus areſcunt: ita ſi mens Religioſa in meditationibus, & pijs exercitationibus arida perſeueret, omnis flos, fructuſq; Spiritualis exuretur.* Atqui non irrationabiliter ſuſpicari poſſumus hunc orationis ſpiritum in ſocietate Ieſu Religioſis non vigere; nam P. Mutius in Lit. ad P. *In lib. Epiſt. Præp. Gener. c. 392.* *c. 87.* *c. 91.* *c. 393.* *c. 61.*

X 2 Cong.

Cong. Prouinc. sic habet. In *Oratione, & examine quotidiano, cæterisq; Spiritualibus exercitationibus valdè vereor, ne quippiam desideretur à non paucis. Quod si ægrè etiam cum eorum adiumentorum vsu, Religiosa vita sustentatur; quid tandem futurum est, si eiusmodi exercitationes, aut omittantur, aut adeò negligenter, oscitanterq; obeantur, vt perinde sit, atq; si pretermitterentur?* Quid dixisset hic P. Generalis deprompta illa facultate, in Deum subinde euolandi, *quam esse Societati maximè necessariam* existimauit vbi supra P. Claudius, & *quam maximè in hominibus Societatis vigere*, desiderabat B. P. Ignatius vt in Lit. de Orat. & pœnit. affirmat idem P. Claudius; qui iterum addit, *hanc Dei præsentis intuendi exercitationem* non tantùm esse pietatis plenissimam, verum etiam societatis operis, quæ tam piè profecimi bonis insudant admodum necessariam. Si autem dixit P. Claudius de hoc ipso loquens, *Nihil vereor, dum nostri in hoc studium incubuerint, quin asperitatem vitæ, corporisq; afflictationis,* quas *ex obligatione non habemus, ita compensent, vt nullam propterea, vel fructus noster, vel bonum Societatis imminutionem patiatur:* Si videret, amplius hoc studium in societate haud vigeret, assereret multam imminutionem pati fructum bonumq; societatis: adderetq; forsam eius loco subrogandam esse in societate asperitatem vitæ cum afflictationibus corporis.

c.446.

c.91.

c.232.

c.234.

c.92.

5. S. P. Ignat. initio P. 8. affirmat, nec cõseruari, nec regi, atq; adeo nec finem ad quem tendit societas ad maiorẽ Dei gloriam, cõsequi posse, si inter se, & cum capite suo membra eius vnita nõ fuerint; vnde P. Claud. in Lit. de Fel. prog. soc. subintulit, *Ex hac mutua vnione, & caritate* maximè societatis bonum, & conseruationem pendere; & in Lit. de Perfec. & Caritate Fraterna, *Verè contineri hac vna re Societatis incolumnitatem omnem, ac prosperas res,* dixit; addens quoque Constitutiones societatis nullam in rem grauiùs, aut crebriùs amplificandam excurere, perinde atq; hoc societatis esset columen ac firmamentũ: Eam etiam P. Mutius in Lit. de Orat. *Pupillam oculorum Societatis* appellat. Atqui hic spiritus Caritatis non ampliùs viget in societate teste eodem P. Mutio in Lit. ad P. Congreg. Prouinc. vbi sic habet. *Iam vero nollem, Patres mei dilectissimi, ex veritate posse dicere, Ad defectum nos condicio ducit originis. At excrescimus, & longè, latèque diffundimur: agit fere quisq; perpetuò cum suis indigenis: plurimi nescio quo affectu, & quasi Zelotypia ad suam restringi videntur Prouinciam &c. Principio videlicet nostræ Societatis nullum apparebat discrimen Collegiorum,* aut *Prouinciarũ,* sed ne *quidem nationum, Regnorum, aut Regionum; nunc tamen negari non potest, quin se prodat in nonnullis, nescio quis affectus, et zelus illius particularis boni,* quod *ad sui ipsi putent spectare Prouincias, indeq; sensim sine sensu minuatur in ijs, atq; intepescat amor communis boni omnium Prouinciarum &c.* Neq; solum

c.114.

c.171.

c.402.

c.439.

hunc

hunc caritatis defectum intercedere inter eos, qui sunt diuersarũ prouinciarũ ac Nationũ, verum etiam inter eos, qui sunt eiusdem Prouinciæ, imò & eiusdem Collegij, ac Domus (& hoc propter linguæ morbos, quibus laborant soicetatis Religiosi) apertè deducitur, ex his quæ habet P. Mutius in Lit. de Oratione. Ne *quæso nobis, Patres, Fratresq; blandiamur:* Non *pauci* hoc *in genere valido fræno egent; nemini parcunt; nimia agunt libertate, & licentia,* non *sine graui caritatis, Iustitiæq; interdum iniuria; dum aliena, seu dicta,* seu *facta nunc amplificata* augent, *modò vltro, citroq; renuntiant, nunc in deteriorem partem accipiunt;* ad *motus animi atq; cõsilia Deo reseruata dijudicanda progrediuntur; haud scio,* an *dicendum sit, res neq; gestas vnquam, nec per somnium quidem oblatas comminiscuntur,* & iactant &c. Deinde habet; *latius, quam opus esset, illud vitium linguæ serpere* per *Societatem deplorare omnes* &c. c.413. et 414 c.414.

4. Idem S. Ignatius in Lit. de Obedientiæ virtute percupit, tam diligenter hanc virtutem exerceri, ac vigere in socijs, quasi in ea societatis bonũ, ac salus vniuersa consistat: Et socij, qui elimatam ac subtilem quandam obedientiam nonamplectantur, *Spuriam se sobolem Societat s probant,* vt colligitur ex ijs, quæ habet idem S. Ignat. initio Epistolę, & in Lit. de Orat. P. Mutius; nam obedientia est insigne, ac nota societatis, quæ quos reponit in suis, exquisitæ obedientiæ cibo educat, ad iustamq; perducit maturitatem. Atqui hæc *Virtus in multis tempore* P. Claudij *deficiebat* vt ipse initio c.4. instruc. de spir. ad sup. habet & multo magis tempore P. Mutij in illa defectus apparebat; nam in Lit. ad P. Cong. Prouinc. sic ait. *Secundum caput, quod multa nobis ac grauia damna minatur,* est *defectus Sãctæ obedientiæ, que in plærisq; non rarò experimur,* dum *agitur de ministerio, de loco, aliaue re, quæ minus arrideat, aut conuenire putetur misere illi existimationi,* quam in humilitatis Domo (quod pudendum est) tanti facimus. Quoniam autem B. P. N. Ignatius in illa sua Diuina verè, nec vnquam satis commendata Epistola de obedientia virtutem hanc substituit, & quasi subrogat ijs penitentijs, & corporis afflictationibus, quibus in Ecclesia Dei plerique alij ordines Regulares iuxta proprium cuiusq; Institutum magna cum ædificatione prælucent; hæc *profectò Vna si nos deficiet obedientia,* iure nobis ab *aliqua imminẽte ruina timendum erit. Nec iam inficiari possumus (quod pariter lugendum est) quin incipiamus id in nobis præsentire,* & *quod est consequens,* nonnihil *damni nostris in ministerijs:* Dum *enim aliqui (faxit Deus sint pauci)* veluti huius corporis membra certis in locis, occupationibus, ac muneribus illudent magis honori, ac nomini proprijsq; commodis &c. Postea indicat, nonnullos quærere etiam extra societatem patronos, & insinuare se in amicitias Principum, vt eo quo intendunt, perueniant &c. In lib. Epist. c 27. c.12 n.3. ca. 397. In lib Instr. p.2 c.29. c.441. et 443

5. *Propriæ voluntatis abnegatio,* & interior mortificatio sic in socie-

tate

tate proponuntur, vt qui aliter faciat, eum *pro legitimo filio Societas*
c.67. *non agnoſcat*, vt in Lit. de med. conſ. ſpir. ſoc. B. Borgia habet. Atqui multi in ſocietate non ſolùm voluntati propriæ obſequuntur, & adblandiuntur in obedientiæ virtute, & ſupra diximus, deficientes; Verum etiam multi Animum ad commoda ſua vehementius adiungunt: Etenim *inter priuatos* (vt in Lit. ad P. Cong. prouinc. ſcribit P.
c.446. Mutius) *creſcunt Vitæ cōmoditates, atq; in dies curantur impenſius &c. In recreationibus, in vineis aliiſque oblectamentis negari non poteſt*, quin *appareat exceſſus, multaq; ſuperfluitas*.

6. Miſſiones ſunt ex præcipuis ſocietatis functionibus, & propriæ
c.274.c.285 Profeſſorum, vt habet P. Claud. in Lit. De feruore Miſſionnm, & de modo inſtituendarum Miſſionum atque Cong. 5. initio Dec. 46. Atqui ſtudium Miſſionum in ſocijs defecit; vnde P. Claud. in Lit. de Iubilæo & Miſſionibus, ac de Seru. Miſs. illud curauit excitandum; Et cum in Congr. 5. quæſitum fuiſſet, vt Miſſiones per aliquod Congregationis Decretum P. præpoſito commendaretur, quò diligentiùs ac frequentiùs in poſterum exercerentur; placuit Congregationi pre-
In lib. Decr. c.305.c.306 ter ſtudium, quod P. prepoſitus ea in re varijs litteris ſcriptis, & Miſſionum ordinationem declarauit, idipſum obnixè ipſi P. Præpoſito commendare, vt ſcilicet curaret executionem, & praxim ſaluberimi huius miniſterij ad ædificationem, & fructum animarum *maiori cum diligentia poſthac in Societate exerceri*. Hinc illæ P. Claudij in Lit. de Iub. & Miſs. querelæ. *Illud autem* per *amorem Dei aduertamus, quam ſeueram à nobis Dominus rationem repetet, ſi vota noſtra, litterarum*
c.263. *ſtudia*, tot *labores in formandis operis, & neceſſario commeatu tolerati, poſtmodum anguſtis parietum noſtrorum finibus coerceantur, tribus, aut quatuor mulieribus omnem operam impendendo* &c. Ac P. Mutius in Lit. de Orat. hæc addit. Eadem inter precationem pijs exercitationibus cœteris conſociatam animorum ſalutis Zelus exardeſcet, qui otij nos, & lentitudinis in ſuſcipiendis eorum cauſa laboribus horrore perfundet; *ad miſſiones proprium adeò Societatis munus, omnium adeo votis axoptatum, probatumq; ſententijs*, ad opem non pecunioſis, modò & illuſtribus, ſed Pauperibus etiam atq; Humilibus ferendam, ſuaui
c.404. quadā nos vi rapi ſentiemus; neq; ſi pluribus pares ſint vires, vnica ijs functione prodeſſe ſatis habebimus. Et ſanè dedecoris plena res eſſet, ſi ex ſocietate aliquis (*Soboles tandem Patrum, quibus Deo mundos ipſos totos lucrari perparum videbatur*) ſatis ſibi faceret multumq; ſanè præſtare ſe duceret, dum Collegio Domoue in aliqua non incommode degit, *Tiſq; triginta plùs minùs mulierculis bis, terue per hebdomadam confitentibus aures præbet &c.*

7. Non poteſt non eſſe importata magna clades ſocietati, ſi in Cognatorum, Conſanguineorumque cura laborauerit: Vnde P. Mutius in Lit. de Orat. ſic ſcribit. *Quoniam autem vereor, ne* caritatis ſpecie, affectus

affectus hic animi sensim irrepat, per aspersionem Sanguinis Iesu Christi vniuersos obtestor, omnino apud se statuant, *magnam hinc Societati cladem afferri posse.* Quare pro mei ratione muneris, quam possum grauiter moderatoribus, seuereq; denuntio, robustos hic sese maxime fortesque præbeant; Non Consanguineorum postulatis, non virorum commendationibus, Principum, non vllo deniq; impulsu dimoueri, adducique se sinant, vt suæ fidei concreditos aut forenses moderandas controuersias, aut corrogandas præfecturas, aut conciliandas coniugia patiantur in se recipere, &c. *Denique sibi persuadeant statum hinc Societatis, atq; existimationem magnam ex parte pendere.* Atqui nō paucos hoc vitioso affectu laborasse patet, non tantùm ex Dec. 48. Cong. 5. & Dec. 13. Congreg. 7. verum etiam ex P. Mutio, tum ibidem, tum in lit. ad Superiores hortans illos, vt subiectos à nimio Consanguineorum affectu diuellant, planeque statuant, grauiorem, quam aspectu primo videatur, hnnc morbum esse. A quo alienissimi fuere primi Societatis Patres, vt idem P. Mutius in lit. de Orat. scribit.

c. 193. In lib. Decr. c. 107. & 415 c. 431. c. 393.

8. Personas, ex quibus coagmenta est Societas adeo arctissimo caritatis vinculo copulauit Deus, eisque vnum quasi vitalem spiritum infudit, vt i pso Constitutionum initio dicere non dubitarit B. P. Ignatius, vix sibi videri necessarium Regulas in Societate conscribere; quandoquidem vnica Regula Caritatis, quæ est plenitudo Legis, Regula esset, atque instar omnium Regularum: Quod P. Mutius in Lit. ad P. Congreg. Prouinc. animaduertit. Atqui iam in societate sunt innumeræ quasi Leges; nam Regulæ, Ordinationes, atq; Decreta tria volumina conficiunt, præter volumen Constitutionum; præterea in quolibet Collegio, & in qualibet Domo sunt duo Libri continentes ordinationes perpetuas, ac temporaneas, alterq; Liber continens approbatas consuetudines; Et in Prouinciæ cuiusque Archiuio sunt alij duo Libri alias ordinationes continentes. Denique est Liber Instructionum, ad quas obseruandas sæpe socij compelluntur, liceat per se illæ habeant vim tantum directiuam; sicuti etiam eamdam videntur habere Responsa Generalium, quibus tamen conformare se non rarò coguntur socij. Quot etiam obedientiæ præcepta, imò & excommunicationes multiplicatæ sunt in societate? præter quidem censuras illas, ac præcepta, quæ habentur in Constitutionum Libro, haud vsus horum erat initio nascentis societatis.

c. 419. Ex lib. Ord. ca. 8. ca. 56. & 57. Ex Tractat. lib. Ordin. & Instruct.

9. Idem S. Ignat. p. 3. T. 1. p. §. 18 l. o. in fine ait; *In opinionibus etiam, in quibus Catholici Doctores variant inter se, vel contrarij sunt, vt conformitas etiam in Societate sit, curandum;* hanc verò vnitatem, & conformitatem in Doctrina valde vnionem fraternamque caritatem iuuare habetur eo §. & præterea p. 8. c. 1. §. 8. *Atqui* nulla est Religio, quæ in studia quoque incumbat, quæ tantam habeat in Doctrina difformitatem, vt omnibus exploratum est.

10. Pri-

10. Primorum societatis Patrum ſpiritus hic erat, vt cum Principibus viris planeq; omnibus nonniſi de Deo atq; æterna ſalute ſermones ſe-
c.475. rere nouiſſent, teſte P. Mutio in Lit. de Orat. At hic spiritus in societate defecit teſte eodem ibidem.

11. Primorum Societatis Patrum ſpiritus hic erat, vt ſibi videretur perparum Deo mundos ipſos totos lucrari teſte eodem P. Mutio in
c.404. Lit. de Oration. Atqui hunc defeciſſe ſpiritum experientia indicare poteſt, præterquam ibidem id ſignificat Pater Mutius. Certè qui ſecum reputauerit quid olim præſtiterint pauci homines e ſocietate, & quid modo præſtent tot millia, non eſſe tamdem ſocietatis ſobo-
c.445. lem nunc cum primæua, certò affirmabit. Legatur idem P. Mutius in Lit. ad P. Congreg. Prouinc.

12. Spiritus ſocietatis fuit, vt ſocij Conuictorum curam non habe-
Ex Interrog. in 3. Cong. n. 4. c. 165. Et Dec. 13. Con. 4. c. 145 rent, & ſi aliquando ad maius Dei obſequium & commune ſocietatis bonum illam amplecterentur, res nummaria Oeconomo traderetur, nec ſollicitarentur Adoleſcentes ad Inſtitutum ſocietatis, nec admitterentur inuitis Parentibus. An hæc modò executioni mandentur, patere poteſt.

13. Iuxta ſpiritum ſocietatis videtur fuiſſe (quod colligi poteſt ex In-
In lib. Inſtr. n 3. & 5. c. 60. & 61. ſtruc. 12.) vt ſuperiores ſuppeditent ijs, qui ad miſſiones proficiſcuntur, neceſſaria ad victum, aliaq; imò & munuſcula quædam piarum rerum. An hæc exequantur ſuperiores, viderint Ordinarij: Et an huius rei defectus ſit magna ſaltē ex parte cauſa propter quam Miſſiones omittantur, ipſimet ſocij ſedulò examinent.

14. Non videtur dici poſſe vegetum, ac firmum vt prius, corpus illud, quod in varios incidit morbos, & non paucis obnoxium eſt. Atqui ſocietatis corpus varios expertum eſt morbos, quos ad ſexdecim reuocat P. Claud. in Lib. Induſtriarum pro ſuperioribus ſocietatis ad curandos animi morbos confecto ab ipſomet ex ſedula obſeruatione
In Proem. c. 10. tot annorum, quibus ipſe ſocietati iam præfuerat, hoc eſt Annorum viginti & amplius; nam Liber ille editus eſt anno 1600. in quibus ſe vel alios peccaſſe animaduerterat, vt ipſemet dicit dixerat autem ſuperius: *Et mihi quidem frequentior quadam, & attentior meditatio, & experientia diuturnior certiſſimè perſuaſit, plurimos ad ſalutem reduci poſſe, ſi paterna quadam, & plena amoris, ac fiduciæ patientia res agatur; quos ex neglecta, aut perfunctoria medicina, vel incorrigibiles excludimus, vel toleramus incorrectos.* Inter cætera autem ex eo Libello in C. 10. de Iracundia Impatientia, vel auerſione à fratribus no-
n. 5. c. 65 tanda ſunt. *Non admittat Superior,* quod frigidè dici ſolet, ſe per Dei gratiam nihil mali illi velle, non ſentire in animo rancorem: Tantum non poſſe illum libenter videre, non cum illo ex animo agere, diuerſitatem complexionis, morum diſſonantiam non permittere, vt placidè conuiuere poſſint. Hæc omnia refellenda ſunt tanquam à nobis

aliena

aliena, & excusationes in peccatis, atque amaritudinis germina à pessima radice profecta: nec ferendum vt diutius venenum in pectore seruantes grauius afficiamur: & in c. 17. de perturbationes pacis, & seminatione discordiarum, & Iurgiorum animaduertitur, *detractorem facilè in peccatum mortale incidere*, & periculosius esse tentari hoc morbo, quam contra castitatè, & seruanda esse à superiore, quę ipse P. Claudius in responsione ad quamdam Congregationem prouincialem Anno 1590. decreuerat. Addit autem ibi, se misisse Kal. Augusti 1590. ordinationem ad prouincias, si Detractio fuerit mortalis, *casum reseruatum censeri Superiori*. In c. autem 14. de Tentatione contra Superiorem cum auersione, & diffidentia præmittit, *Ante omnia tollenda quædam tentatio est ab ipso Superiore*, ne putet huius infirmitatis culpam totam esse in infirmo: debet enim credere, posse etiam in se ipso non exiguam esse partem, & si non committendo aliquid, quod etiam interdum euenit, saltem emmittendo; vel si in re non peccauit, potuit forte in modo peccare. Existimet ergo etiam se debitorem esse examinet causas, & corrigat, quod in se est &c. & versus, finè hæc subdit sapienter. *Postremò nihil prætermittat per se, & per alios idoneos, quod ad eximendas suspiciones, & gignendam amoris sui opinionem facere possit: certus, nisi hoc fecerit, nulla medicamentorum genera profutura: meminerisq; sententia D. Gregorij.* Appellat verò idem P. Claudius c. 13. Tentationum contra Institutum, & aliquot Regulas, quæ non placent, morbum planè periculosum, & valdè curatus difficilem præsertim in antiquioribus, & c. 15. sæcularitatem, & audicissimum insinuantem se in familiaritates, & gratiam externorum, ait, *Esse morbum in Societate*, & intrat & extra periculosum, & istis, qui eum patiuntur, & socijs ferè nescientibus paulatim subintrare. Sed prius c. 8. de Inclinatione, ad sensualitates, & amicitias notauerat tentationibus contra Castitatem non esse dubium, quin tales infirmi frequenter pulsentur, licet interdum attendere vel dissimulent, vel negligant. &c.

m. 3. 12. & 13. & 15. ca. 108. 112. & 113. — *n. 13. c. 96.* — *c. 80.* — *c. 97.* — *c. 59.*

15. Peculiare fuit societati tueri Apostolicam Sedem, Romanique Pontificis auctoritatem, hoc enim est ex eius Instituto, vt habetur in Bulla Canonizationis S. Ignatij; & P. Mutius in litteris postremis ad societatem anno 1639. 15. Nouembris datis dixit, *Societatis* esse Apostolicam Sedem obseruare, tueri, illique exactè obedire. Quæ in hanc rem præstiterint primi societatis Patres, recésetur peculiariter in duobus societatis Historiarum tomis: multaque consequentibus etiā annis præstita sociorum in Apostolicam Sedem obseruantiam declarant satis. *Atqui* videntur satis declarare societatem à multis ab hinc annis non tueri Apostolicam Sedem, Romaniq; Pontificis auctoritatem, præstita ab ipsa, tum in Gallia, tum etiam in Italia &c. Iure ne, an iniuria; iustè ne probabiliter, haud decernitur; solùm animaduertitur;

In Bu. c. 328 & 329. — *c. 43.*

 titur;

titur; videri posse socios degenerasse in hoc a primigenio spiritu. An verò socij exactè obediāt Apostolicis Constitutionibus, Summorumque Pontificum Decretis iuxta eorum mentem, & magis quàm, vt par esset, Generalis, vel alterius superioris ordinationibus, exploratum habere possunt ipsi Pontifices.

16. Obloqui de Summo Pontifice, etiamsi aliquid contra societatis Institutum, & Constitutionem aliquam præcipuam, ex qua etiam societatis disciplina magna ex parte euerteretur, decreuisset; fuit alienum à primorum societatis patrum spiritu teste sacchino t.2. Hist. soc. Lib. 1. n. 63. Iam vero si aliquid iubeat Pontifex etiam valde æquum, ac rationabile, vel aliquod tollat priuilegium liberaliter à Sede Apostolica concessum, quot obmurmurationes, quot querelæ, quot animorum motus minus in Summum Pontificem, Romanamq; Sedem propensi! Testes possunt esse ipsimet Romani Pontifices, Testis Romana Curia &c.

17. Spiritus primorum societatis Patrum fuit pati indigentiam, ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum ex c.4. §. 26. Exam. & pati incommoditatem peculiariter in comedendo & dormiendo, vt colligitur ex eodem c. §. 12. An qui modo in societate sunt, proben-
p.446. tur tali indigentia, ac penuria talibusq; incommoditatibus; An verò vitæ commoda vltro etiam amplectantur, quærantque, complurimis patere potest, legantur etiam Lit. P. Mutij ad Patres Congreg. prouinc.

18. Spiritus primorum societatis Patrum fuit omni spe abiecta, quā in pecunijs, & in rebus alijs creatis possent constituere, integre, vera cum fide, & ardenti amore eā in suo Creatore & domino constituere ex §. 12. c. 4. Exam. An talis spes in Deum modò vigeat in socijs, an verò potiùs spes in pecunijs, tot redditus vbiq; gentium habiti, & qui quotidie augentur, varijsq; artibus, vt amplificentur, sedulò curatur, cuique indicare possunt.

19. Spiritus, qui in nascentis societatis Patribus vigebat, Eos ad Modestiam maximè vrgebat, ita vt licet sermone tacerent, habitu loquerentur. At de societatis modestia multum imminutum esse, non solùm Externi asserunt, verum etiam societas ipsa vulgò docet, ac
p.190. queritur teste P. Mutio in Lit. de Orat.

20. Spiritus primorum societatis Patrum fuit vitam ducere ab omni Auaritiæ contagione remotissimam, & Caritatis opera exercere gratis omnino, & nullo pro suo in prædictis omnibus labore stipendio accepto, vel etiam eleemosina accepta, itaut nec ab ijs, qui frequentant societatis, scholas, vel ab ijs, in quorum Ecclesijs, vel quorum postulatis Conciones haberent socij, Eleemosina accipi potuerit si in-
In Bull. 13. tuitu horum Ministeriorum, ac similiū daretur ex formula à S. Igna-
& 63. tio Paulo 3. & Iulio 3. proposita; Exam. c. 1. §. 3. p. 6. c. 3. §. 7. & L.G.

p.7.c.4

p.7.c.4.§.4.p.10.§.5.& c.1.Ord.Gen.n.14.An hoc preſtetur à ſocijs, patere poteſt experientia. c.14.

21. Spiritus Primorum ſocietatis Patrum fuit nullam curam peculiarem Mulierum certis locis, certiſq; legibus in vna Domo conuiuentium ſuſcipere, ſed circa eas omnes eodem modo ſe habere, quo circa alias Templa ſocietatis promiſcuè frequentantes; quod videtur ſtatuiſſe S. Ignatius p.6.c.3.§.5. ex quo loco deſumpta eſt Regula 47. Pręp. & 64. Rect. An modo hoc executioni, mandetur à ſocijs, & an ſocij ſint potius ex illis, qui huiuſmodi Mulierum Collegia, vel Domos excitandas curent, multis in locis experientia docere poteſt.

22. Spiritus fuit ſocietatis ab omnibus, quæ habent ſpeciem negociationis, penitus abſtinere; omnis enim auaritiæ ſpecies fugiendam eſſe à Socijs traditur p.6.c.2.§.8. & p.10.§.5. & de hoc nominatim extat Dec.61. Cong.2. Quid in hoc genere efficiant ſocij, multis etiam externis patet. c.141.

23. Spiritus fuit Primorum ſocietatis Patrum moderatè vti Priuilegijs à Sede Apoſtolica conceſſis, ſolumq; in eorum vſu proponere ſibi finem auxilij Animarum ſinceriſſimè, nec ijs vti cõtra Ordinariorum voluntatem ex lib.11. to. Hiſt. ſocietatis n.62. & Turſell.lib.2. Vitæ Sancti Xauerij c.2. & lib.6 c.8. & 12. An verò modo id à ſocijs præſtetur, an vero contendant cum ordinarijs, velintque vti Priuilegijs præter Eorum placitum, Ipſimet ordinarij ſignificare poterunt.

24. Spiritus Primorum ſocietatis Patrum fuit in actionibus publicis vltimum locum inter Regulares quærere ſibi, ex tom.1. Hiſt. ſoc.l.9. n.21. & Tomo 2.l.5.n.277. conformantes ſe in hoc p.3.c.1.§.4. vbi dicitur quod ſocij in omnibus procurēt atque optent potiores partes alijs deferre. An modo hoc fiat à ſocijs, cæteri Regulares id viderint.

25. Spiritus ſocietatis Primorum Patrum fuit non offerre munuſcula Magnatibus ad res maiores ab ipſis obtinendas p.6.c.2.§.9. An id modo præſtetur, ipſi Magnates iudicent.

26. Spiritus Primorum ſocietatis Patrum fuit à negocijs ſæcularibus abſtinere, nec vllis precibus adduci ad ea obeunda p.6.c.3.§.7. At in multis modo defeciſſe hunc ſpiritum colligitur præter experientiam ex Dec.48.Cong.5. & Dec.13.Cong.7. c.307.c 423

27. Spiritus Primorum ſocietatis Patrum fuit cauere ab illo affectu, quo aliæ de alijs nationibus malè ſentiunt, aut loquuntur, quin potius & bene ſentire, ac peculiari affectu diuerſas à ſua Natione proſequi in Domino, ac proinde bella contentioneſque inter Chriſtianos Principes haud in colloquium inducere, nec ſentire animorum propenſionem ad partem alterutram factionis, quæ eſſet fortaſſis inter Principes vel Dominos Chriſtianos ex p.10.§.11. An hoc præſtetur modo à ſocijs, ipſi Principes iudicare maximè queunt.

28. Spiritus Primorum ſoc.P.fuit multos allicere ad ſpiritualia Exer-

citia, quæ ſunt vnum ex medijs societatis ad salutem Animarum p.4.c.8.§.5. & p.7.c.4.§.8.& nominatim proponitur in Formula Inſtituti in Bulla 1. Pauli, Iulijq; 3.& de quare extat Epiſt. P. Claudij. In Bull.14.9. & 61. c.290. Quid in hoc præſtetur à socijs, Externi iudicare poſſunt.

29. Spiritus primorum societatis Patrum fuit pedites iter conficere, ſecumq; sarcinulas ſuas deferre ex T.1.Hiſt. soc.lib.2.n.4.& ſi quando neceſſe erat, vt præcipui Patres equo veherentur,in Itineris Inſtrumentis, cœterisq; omnibus ad ipſos Iter agentes ſpectantibus miram paupertatis ſpeciem præſetuliſſe vt de B. Borgia inter cœteros legitur in eius vita Romæ anno 1624. impreſſa. Patere autem poteſt omnibus, quæ commoda amplectantur in Itineribus, non ſolùm prouinciales alijq; primores Patres, verùm etiam quicumq; ferme Sacerdotes, scholaſticiq; imò & Coadiutores; & inter cœteros maximè Concionatores; pro quibus iudicauit neceſſarium Congregatio 7. Dec. 80.n.8. ex §.10.Inſtruc. pro Concionatoribus, addere Regulis Concion. hanc. *Qui in loca etiam remotiora concionaturi mittuntur, præter*
In lib. Regu. c.101. n.24. *equum ſuum, & Socij. Tertium pro Sarcinis ne addant; Cumq; extra Collegia concionantur, victum potiùs, quam pecuniam, pro victu accipiant, idque apud Eccleſiaſticum, vel alium honeſtum Ciuem,* vel *conuenienti aliquo Religioſis loco. Sit verò victus tenuis, & parcus, vt Religioſos decet. Viaticum porrò non niſi neceſſarium pro ſolo Itinere admittant.*

30. Antiquus, Germanuſq; societatis in concionando modus (vt
a.118. habet quoq; P. Claud. in Lit. de fel Prog. soc.) fuit loqui ad cor, incumbere in reformationem morũ, Peccatorum, vitiorumq; in populo Chriſtiano extirpationem, illaq; annunciare, quæ aut ad pœnitentiam prouocare aut Chriſtum in cordibus audientium formare poſſent. Patere poteſt *An* modo communiter multis in Prouincijs ſaltem societatis Concionatores imperitæ plebis aures mulceant, ad Academicorum nonnullorum ſeſe accomodent genium, & facti ſint quaſi Tuba, & Cythara ſuaue ſonans, quod D. Hieronymus amarè defleт in Concionatoribus.

31. Spiritus soc. eſt amare, & ardentes exoptare contraria honoribus famæ, magni nominis exiſtimationi in terra, & ſi ſine offenſione vlla Diuinæ Maieſtatis, & abſq; proximi peccato foret, velle contumelias, falſa teſtimonia, & iniurias pati, ac ſtultos haberi, & exiſtimari & c. Ex§.44 c.4.Ex. *An* hunc habeant affectum, ac dicta quærant, *An* verò potius honores, famam, magni nominis exiſtimationem in terra; haberique tanquam ſapientes imo & alijs ſapientiores, Cenſoresq; ferme omnium, patere poteſt experientia.

32. Mos fuit societatis, vt Nouitiatus, Collegia, aut seminaria, in quibus socij ad litteras incumbunt pluribus de societate nationibus permiſcerentur, ne nationum diſcrimina paulatim magnæ societatis

totius

totius damno introduceretur, vt Cong. 7. Dec. 21. habet. *AN* modo Nouitiatus, Collegia, ac ſtudentium ſeminaria ex ſola natione aliqua ſocietatis conſtituantur ſicuti quoque *an* prouinciæ difficiles ſe exhibeant in recipiendis illis etiamſi ſuperiores mittantur, qui ſunt è diuerſis prouincijs, patere poteſt multis externis. c.424.

33. Iuxta ſocietatis leges, ac ſpiritum fuit, vt nullus è socijs cuiquam ſcriberet, non niſi obtenta facultate, & litteris oſtenſis ſuperiori, vel ei, quem ſuperior deſtinaſſet litteraſq; miſſas eiſdem primo reddere. *An* id modo præſtent ex socijs complures, externi complures ſcire querunt, per quorum manus ſociorum litteræ tranſmittuntur: Et tamen talis Regula collecta ex p. 3. c. 1. L. B. & ex §. 6. c. 4. Ex. multi æſtimata fuit ſemper à ſocietatis ſuperioribus.

34. Spiritus primorum ſocietatis patrum fuit in omnibus rebus procurare, atq; optare potiores partes alijs deferre omnes in animo ſuo tanquam ſibi ſuperiores ducendo, & exterius honorem, ac Reuerentiam, quam exigit cuiuſq; status, cum ſimplicitate, & moderatione Religioſa exhibendo. *An* id modo præſtetur à socijs, plurimi externi, & maximè alij Regulares cognoſcere poſſunt, necnon Aulici ac Magnates.

35. Mos naſcentis maximè ſocietatis fuit peregrinationes ad loca pia ſine pecunia ſuſcipere, incommoditateſq; comedendi & dormiendi in ijs vltro amplecti conformantis ſe in hoc §. 12. c. 4. Exam. exemplisq; S. Ignatij, eiuſq; Sociorum. *An* hoc præſtent ſocij, *An* verò cum peregrinari volunt pecuniam etiam quandoq; copioſam corrogent à cognatis, amicis ac pœnitentibus; certa loca deſignent extra Collegia, inquibus lauta excipiantur menſa, lectiſq; valde commodis; in Collegijs per plures morentur dies lautiori præ cœteris socijs excepti menſa; poſt certum iter pedibus confectum equos vel rhedam, vel ſimilia quommoda vltro quærant, externis etiam patere poteſt.

36. Mos naſcentis maximè ſocietatis fuit non cantare Veſpertinas Preces, niſi cum Veſperis prædicandum, vel legendum eſſet ad populum detinendum ante huiuſmodi lectiones vel Conciones conformantis ſe in hoc p. 6. c. 7. §. 4. L. B. nec in Eccleſijs habere vlla Inſtrumenta ad rem muſicam, vel etiam Organa iuxta id quod videtur ſtatutum p. 3. c. 1. §. 14. L. M. & facultatem à Generali petere, vt vel in ipſimet ſextis Quadrageſimis Ferijs cum exponeretur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, habereturq; ſermo de Paſſione Domini, liceret aliquo cantu figurato vel firmo vti, & maximè, ſi præter (voces muſica Inſtrumenta adhibenda forent. Quomodo hæc in præſentia ſeruentur, omnibus patet.

37. Spiritus ſocietatis eſt, vt nemo cuiuſquam negocij etiam pij ſine facultate ſuperioris curam ſuſcipiat, nec ad id operam ſuam promittat,

mittat, aut se propensum ostendat; ac vt nemo, quæ Domi acta, vel agenda sunt externis referat, nisi superiori id probari intelligat iuxta Reg. 38. & 41. ex com. An eas feruent communiter socij, Externi iudicare poterunt quoque.

38. Iuxta spiritum societatis ædificia Domorum, & Collegiorum debent quidem ad habitandum, & Officia societatis exercenda esse vtilia, sana, & fortia non tamen sumptuosa, Curiosa &c. vt habet
u.31.& 32. Dec. 113. Cong. 1. Quæ addit, in *his Socios debere esse memores paupertatis*; Sic enim quoque S. Ignatius docuit in fine c. 2. p. 6. in ijs quæ ad rationem victus, somni ac Vsus reliquarum rerum vitæ necessariarum, vel conuenientium spectant, habendã semper rationem à socijs *Humilitatis, Paupertatis*, ac *Spiritualis Aedificationis*; *An* id obseruetur à socijs, videant etiam externi.

39. Spiritus societatis est, vt colligitur ex Dec. 55. Cong. 2. lites forenses pro rebus præsertim temporalibus fugere, nec omnino litem aliquam absq; consensu Generalis, aut eius, cui expresse suas vices ad hanc rem ille commiserit intentare: Si autem his intendatur, curare vt priùs consuli possit Generali; nam fieri poterit, vt *ipse iubeat Socios cedere liti, & potius detrimentum temporale pati, quam litibus dare operam, etiam pro re alioqui debita*. Qua ratione lites fugiant socij, causidici iudicare possunt.

40. Spiritus societatis fuit admittere tantùm ad Professionem quatuor votorum viros spiritus & doctrinæ selectæ p. 10. §. 7. siue vitæ
In Bull. n. 15 & 63. Christianæ puritate, ac litteris conspicuos, vt habet formula Instituti Paulo Tertio, & Iulio Tertio proposita. *An* id modò seruetur, complures norunt etiam externi, quibus sociorum mores noti sunt, doctrinaq; perspecta.

Caput Tertium.

Recensentur multa, quæ iudicare videntur, licet non ita clarè, vt recensita Capite Primo;

Patres Jesuitas defecisse à Primigenio Spiritu, à Const. obseruantia, ac Religiosa Perfectione &c.

P.° BEat. Borg. in lit. de med. conf. sp. soc. hæc habet. *Licet autem hæc Soc. nostra Vinea*, quæ, sicut principio scripsi, extendit Palmites suos vsque ad Mare, iam protulerit, & frondes & Flores,
n.6g. nec Racemi desint; hoc tamen expectatur, vt vinum copiosum fundat,

dat, cuius causa vinea omnis conseritur: idq; vt fiat, vuas necesse est in torcular inijci, & calcari. Hoc forsam nobis, fratres carissimi, deest; quod non gustemus, neq; cum voluptatis sensu optemus calcari, premi, contemni, vt optatæ consultationis, atq; exultationis vinum proferatur.

2. P. Claud. in lit. de Fel prog. soc. vbi monuit n. 14. vt quanto studio societatis conseruatio curanda esset, eo superiores curarent, vt socij, & inter se, & cum proximis essent rectè dispositi, hæc habet. *Proinde nulla ratione Superioribus* dissensiones inter Domesticos ferendæ sunt; nec tolerandum, vt ea quæ ad nationes pertinent, & caritatem maximè discindunt, vel leuiter attingantur, dicente Apostolo, non apud Religiosos modò, sed etiam Christianos quosuis, *Nec seruum esse, nec Liberum, nec Barbarum, aut scytham, sed omnia*, inquit, *Et in omnibus Christus*. Hæc est gloria *Societatis nostræ iam tunc ab initio*, Et certè *melius est nobis magis mori, quam vt gloriam huiusmodi quis euacuet*. Non igitur ferendum est, vt quæ singulorum sint vitia, integris tribuantur Nationibus: Cum nihil laude, vel vituperatione dignum sit, quod voluntarium non est: & diligentissimè Regula illa seruanda, quæ prohibet, ne aliæ nationes de alijs sinistrè sentiant, aut loquantur &c. cuperem equidem in hoc loco tam necessario, tamq; Christo grato diutius immorari (adeo mihi cordi hæret) nisi magna satis commendationis exageratione vsum putarem, cum ita dixi credere me ac pro certo habere, ex eo vno maximè societatis bonum, & conseruationem pendere. *Murmurationes igitur Zizaniorum semina, & quidquid Caritatem violare*, vel *quidquid impedire potest, ex agro hoc* Domini penitus exterminetur &c. c.113.

3. Idem P. Claud in lit. ijsdem n. 17. 18. hæc inter cœtera scribit. *Moneo toto cordis affectu vt* in *concionando antiquus ille, germanusq; Societatis modus & seruetur, diligenter; & sicubi degenerauerit, sedulò instauretur*: Ne peregrini quidam modi atq; à nostro fine Institutoq; alieni introducantur; Dum incipiunt Iuniores imperitæ plebis aures mulcere &c. Qua de re non subijciam plura, quandoquidem non ignorant RR. VV. quid in hoc genere, vel Prouincialis Regulæ statuant, vel ad diuersas Prouincias B. P. N. piæ memoriæ perscripserit &c. Et quoniam non possum verè ea de re sine magno animi dolore cogitare, nec ignoro quid à me Ecclesia Christi suo iure exigat; si quæ sunt in societate vires ad eam iuuandam, cupio vehementer RR. VV. id vt intelligant, & opere exequantur. c.118. & 119

4. Idem P. Claud. in lit. de Perfect. & Charit. Frat. vbi dixit se velle adhortari socios ad duas speciatim res, subdit. *Quarum prior est*, vt ita nobis mutua inter nos charitas curæ sit expurgatis penitus, abiectisq; ex animo, velut pestibus, parùm beneuolis nationum inter se studijs, alijsq; id genus; perinde atq; hac vna re contineretur (nam c.171. c.172

verè

verè continetur) societatis incolumitas omnis, ac prosperę res! Studeamusq; optimam parentem nostram in Antiquum (vt qua ex parte ijs veterasceret) nitorem ac iucundissimam beneuolentiam, *Quæ nascentis societatis membra vinciebat*. Nam si Sociorum multitudine aucti sumus, caritatis tamen amplitudo, nec hominum numero, nec locorum distinguitur interuallis. Et post nonnulla hæc adijcit. *Valde namque formidandum est*, ne sicut olim paucorum culpa, vt loquitur D. Hieronymus, quamquam in re dissimili, *Ingemiscens Orbis terrarum Arrianum se esse miratus est*; ita vitio eorum, qui in sedandis a-
c.173.c.174 nimi motibus non multum operæ posuerunt, quiq; , vt ait P. Ignatius, nec ordinem, nec vnionem ferre possunt, cum lacrymis aliquando miretur Societas, non eam se esse quæ fuerat, sed tanquam effœto iam corpore defloruisse. Cum enim ab Ortus sui primordio, nulla habita dissimilium nationum ratione, ex mutua animorum coniunctione, & coagmenta sit, & adoleuerit; si aliò paululum deflecteret, Aegyptum non egressa sanè, sed ingressa *Linguam quam, non nouerat, audiret*. Huic iam pernicioso, tamq; pestilenti morbo opportunè medetur, si castè, integrèque conseruetur memorata Constitutio; vt quanti sit ea momenti, facilè appareat, cùm possit, si eius vsus exolescat, tam grauis nobis labes, & calamitas impendere. Et post multa, relato sensu S. Ignatij p. 10. Constit. & reposito in Reg. 30. ex Com. hæc subdit.
c.183.c.184 *Vsque adeo planè abhorrebat ab hoc malo, vt ne eos quidem Sermones suis licere vellet, quibus aut de Principum agatur simul tatibus, aut alijs aliæ Nationes obloquantur*. Ne quid igitur resideat inter Nos inimicū concordiæ, siue id ex Studio Nationum siue ex alijs redundet Fontibus sanè amarissimis, cum ad lætiores progressus omne nobis Iter atque aditum intercludant; vnusquisque velim, in se ipse acriter inquirat, & attente dispiciat, quam sedulò fraternam colat consensionem: Neq; leuiter eam rem decurrat, sed cuiusmodi sit sua caritas, exploret ad Lydium lapidem, & exigat ad eam normam, quam Apostolus, &c.

5. Idem P. Claud. in lit. de Med. ad conseru. Soc. ita habet. *Quod Concionatores adhibeatur diligentia*, vt obseruentur ordinationes, ac regulæ alias à nobis datæ à conseruationem spiritus, & ad fructus in Audi-
c.194.nu.7. toribus vberiores faciendos: Serio se applicent ad Studium, ac meditationem Diuinarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum, prætermissis cōceptibus, ac inuentionibus quibusdam proprijs minoris momenti, vt maiori cum dignitate, ac vtilitate non solùm societatis, ac proximorum, verum etiam ipsorummet rectè tractent Verbum Dei. Amputetur efficaciter ambitio locorum, ac Pulpitorū honorabilium, humiliumque contemptus; & assuefiant omnes ad eam modestiæ, & humilitatis normam, quæ societatis nostræ esse solet, & conuenit. Et post nonnulla ita scribit. *Maximi momenti res est* cognitio Instituti, tum in Superioribus qui gubernant, tùm etiam in Consultoribus, qui

affi-

assistunt: Ideoque Prouinciales præcipuam quamdam de eo curam habeant, vt frequenter ab eis legantur, rectèque intelligantur Constitutiones, ac Regulæ: de quibus etiã expedit, vt in visitationibus suis, se præsentibus, fiant collationes, ad veram intelligentiam, veramque praxis rationem percipiendam: credantque maiorem inde futuram vtilitatem, quam existimatur; quemadmodum è contrario non mediocre damnum affert societati earum ignoratio, aut sicubi illarum exercitium in vsu non fuerit. Iterumque post alia hæc subdit: Non permittatur iuuenibus, ac nouis obliuisci illius modestiæ, ac reuerentiæ, quam huiusmodi antiquis Patribus exhibere debent, considerantis eorum laboribus pro Christo toleratis, officijsque plurimis rectè, ac vtiliter in Societate præstitis. Ad quam rem non parùm conducet, vt ipsi Rectores exemplo suo præeant procurantes vt huiusmodi benemeriti Patres sic in omnibus tractentur, vt eorum conditis, ac virtus postulat.

c.207. n.22.

c.210. n.13.

6. Idem P. Claud. in lit. de Tribulationibus ista habet. *Ad hæc, Superiores* priuatim hortor, vt diligenter emendare studeant, si quid in eo desideretur, quod B. P. Noster in 10. p. Constit. §. 11. Nos admonet de amore, & caritate externorum, ac præcipuè Magnatum erga societatem conseruanda. Sed meminerit hoc ipsum religiosa potiùs modestia, simplicitate, atque humilitate, ac solidæ virtutis existimatione, perfici, quam aulica vrbanitate gratisque humanæ beneuolentiæ obsequijs: quæ licet interdũ nonnullis Principibus Viris placere soleant, vel ad oblectationem, vel ad certum ipsorum finem, ac propositum; sæpiùs tamen in illorum animis opinionem relinquunt aulicorum, & festiuæ conuersationis hominum aut fortasse etiam superborum, ambitiosorum, gloriæque cupidorum, quam bonorum, ac simplicium Religiosorum.

c.305. c.306

7. Idem P. Claudius in litteris de Renouatione spiritus hęc habet. *Etsi aliquando nec semel scripsi, hortatus vos,* pro muneris mei obligatione, vt magnis itineribus ad eam perfectionem tenderetis, quàm nostrum Institutum exigit; fateor tamen quoties attentis oculis statum Societatis nostræ contẽplor, quid boni ad Dei gloriam in ea fiat, quid que fieri melius possit; toties Me vehementer accendi, vt ad maiora tendamus; eoq; magis quo quisque nostrum, si se diligenter excutiat, non solum inueniet in rebus, & actionibus particularibus, quod emẽdet (in multis enim offendimus omnes) sed etiam deprehendet clarè luce, se, nisi peruigil sit, & indefessus, atque ad anteriora, & superiora se rapiat, semper plurima etiam non aduertentem, perdidisse. Atque vtinam circa huiusmodi cogitationes semper intenti, atq; perpetuò nos occupati essemus: *appareret profectò longè pulcrior, longèque splendidior totius huius corporis facies*, atque interiori auditu longè maiori cum suauitate, & delectatione perciperetur suauis illa harmo-

c.311.

nia,quæ ex tanta Nationum, naturarum, ingeniorum,& gratiarum
varietate in auribus non militantis tantum,verum etiam triumphan-
tis Ecclesiæ personaret.

8. P. Mutius Vitellescus in lit. de Orat. hæc scribit.

P.° Hæc (oratio scilicet) Nos vitæ commoditatũ plus æquo nimiam
sollicitudinem dedocebit,quæ,ne sensim influat,illabaturque,subue-
reor,aditum pedetentim, petq; rerum incrementa fallentia panden-
c.398. te necessitate, æquitatis etiam cuiusdam probabili nomine, gratique
post diuturnos in societate labores animi significatione De iusta mi-
hi necessitate sermo neutiquam est: quæ cũ premit, ne calicibus qui-
dem parcendum quo egentibus, si aliter nequeat, consulatur &c.

2. Et sanè vberibus dignissima lachrymis eorum esset cæcitas,atque
calamitas, qui omnem in hoc genere attactum, morsiunculamq; de-
c.396. fugerent;quodque nonnullo temporis spatio certo in loco,munereuè
versati sint, ius sibi quæsitum aliquod esse opinarentur;ex quo fieret,
vt iussi à Præfecto decedere,rationem facti repeterent; absque suæ id
ignominiæ nota peragi non posse iactarent; denique in huiusmodi
locorum, & munerum vicibus legitimum quasi iudicium, constitui
deposcerent.

3. Eamdem inter precationem pijs exercitationibus cæteris conso-
c.404. ciatam animarum salutis zelus exardescet, qui otij nos, & lentitudi-
nis in suscipiendis eorum causa laboribus horrore perfundet.

4. Et verò An non probrum esset intolerabile, si qui ex Dei caritate
c.405. c.406 sæculo, sibique Nuntium ipsi remisit, vnius ex inde Cathedræ,Sugge-
sti vnius loci huius,illius muneris ambitione duceretur? Auertat Di-
uina Clementia, vt ne in Societatis filios acerrima illa, iustissimaque
aptè cadat obiurgatio, Filij hominum.

9. Idem P. Mut. in lit. ad Superiores loquens ad Eos, sic inter cæte-
ra habet.

c.419. P°. Hoc spectare,ita apud se decernere quisque deberet, Talem Ego,
Deo fauente, me præstandum suscipio, quales eos esse, qui mihi pa-
rent, optarim; statuens munera in Societate neque ad captandam
quietem demandari, neque ad perfectionis, quoad satis sit, adeptæ
contestationem verum ad maiores, quam vnquam antea, exorben-
dos labores,tolerandasque perpessiones &c. Et post nonnulla; *Et sanè*
quo *demum pacto* ad commoditatum vitæ contemptum cohortabi-
c.421. tur is,qui omni obsequio,& indulgentia Corpori obsecundat; ad pa-
tientiam,qui minimis quibusque rebus cõmouetur; ad humilitatem,
qui delicatulum se, suæque peramantem existimationis ostendit? &
post multa. Qui *communis vitæ normam ferre* non possunt, ij vt cæte-
c.424. ris præsint, idonei fere non sunt.

2. Nostri Sancti Instituti peritos crebra Constitutionum, Ordinatio-
numque, quas vocamus lectione se reddant; eæ vt seruentur potius,

quam

quam vt nouæ condantur, strenuè vnà, & suauiter curent, non eas ad suam gubernandi rationem, sensumque detorqueant, administrationem potiùs suam ad illas dirigant; ne suique deque omnia miscendi, eximendique identidem, seu nulla, seu perleui certè causa, Regulis, atque Ordinationibus liberam adeò sibi licentiam arrogent; me- c.425. c.426
mores graue nimis fore piaculum, si quis ex disciplinæ, Regularumq; iactura compendium sibi beneuolêtiæ venarentur &c. Hunc in finem & verbis, & re ipsa significent pergratum sibi perque iucundum esse, si à suis moderatoribus dirigantur, lucem, opem que afferant subiecti, præcipue Consultores. Hinc fiet, vt omnes intelligant, nequaquam illos grauatè ferre, si ad Moderatores de eorum administratione referatur, perscribaturue. Et verò contraria agendi, ratio de eorum virtutis, sinceræque mentis opinione detraheret sanè quam multum; locumque suspicioni faceret, non vnicam Dei gloriam, bonumque Societatis, sed proprium nescio quem gustum, atque existimationem eo illos in munere habere propositam.

4. In spiritualem subiectorum profectum toto pectore incumbant; illos, vti Filios Dei carissimos ab eodem Præsidum Custodiæ vnicè commendatos, intueantur; eorum siue animi, siue corporis necessitates anteuertant ingenti caritate, quæ ad omnes indiscriminatim pertineat absque personarum acceptione, sine pondere, & pondere, itaut neque genij naturæque consensione, neque cognationis necessitudine, neq; Patriæ communione, non vllo denique humano respectu rapi se sinant, vt Filiorum Dei in eiusdem Domo conditionem dispa- rem faciant &c.

5. Ægrotos in primis facere non possum, quin ex omnibus cordis mei visceribus moderatorum sedulitati commendent: Sollicitum enim me habet caritatis, atq; solicitudinis B. P. Ignatij recordatio; qui inter tot, tantasq; occupationes eam ægrotorum curam gerebat, vt haud sciam, an maiorem impendere bene sedulus valetudinarij admin ister, aut amantissima mater queat. Ne quæso per Domini cari- c.429. c.430
tatem, præclaram adeò, atq; amplam hæreditatem per incuriam, atq; oscitantiam nobis effluere patiamur. Constituantur igitur, omnibus, si quæ obstant perruptis, commoda valetudinaria. Curatores eorumdem intelligentes parentur: quæ Medici præscripserint, seruentur quam accurate: Denique, vt meum vno verbo sensum, & votum exponam, curetur; vt non moderator tantùm, magnæq; quispiam auctoritatis Pater cum æger decumbit, sed Frater, & Tiro, quiuis demum è societate ægrotus, neq; ad Domesticos delitias, neque ad maternam industriam, & prouidentiam memoria referatur &c.

6. In nostrorum seminarijs Viri verè spirituales, atq; incoruptis moribus ad docendum seligantur; qui ad magnos non minùs in doctrina, litterisq; quam in virtutibus processus habendos, rectis & exem-

plis, & monitis iuuent auditores suos. *Omnino quibus Praeceptoribus*
c.431. *vtemur*, ea *Collegia habebimus*. Hæc igitur in re stabiles, immotiq; persistant moderatores: non suis propensionibus, non aliorum commedationibus locum tribuant: Sed optimos corã Domino deligãt &c.

7. Omni ope, atq; opera contendant, vt cunctos pro singulorum viribus, dotibusq; satis fructuoseq; habeant occupatos; neminem ad ocium, vel quietem aspirare permittant. In primis verò, si quem, quo se Religionis subducat oneribus, maiori licentia, minusq; moderatoribus obnoxius viuat, in Aulas, & optimatum clientelas inserere,
c.433. c.434. se, & inferre animaduerterent, maturè occurrant, neq; dum incommoda, & coruptelæ increscant, viresq; sumant, præstolentur; sed sub ipsa initia celeritate, omni, fortitudine, industria vtantur; neq; hac in re modicum aliquid esse aut leue interpretentur.

8. Vbi res exigit, sint Arcani quam maximè tenaces; eorum in primis omnium, quæ in reddenda ratione conscientia inter ipsos, subiec-
c.434. ctosq; intercedunt, quæq; ipsi veluti Patribus deteguntur; atq; intelligant hanc esse gubernationis totius in societate veluti clauim. Quod si quis &c.

10. Idem P. Mutius in lit. ad P. Congreg. Prouinc. hæc inter cætera scribit.

1. Necessitas occupationum, quæ periculo sunt obnoxiæ, occasiones variæ, ac multiplices, defectus orationis, internæ recollectionis, studijq; ambulandi sollicitè coram Deo, nonnullorum ociositas, aliorum
c.444. deniq; nimiæ commoditates, non leuem nobis metum incutiunt, ne, optimo societatis auro (castitatis scilicet) aliquantis per obscurato amarissimi luctus causa præbeatur ei, qui aliquo tangatur zelo nominis societatis, & Diuini honoris; neue liceat cum significatione doloris, & conquestiones exclamare: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus!*

2. In oratione, & examine quotidiano cæterisque spiritualibus exercitationibus valde vereor, ne quippiam desideretur à non paucis.
c.446. Quod si ægrè etiam cum eorum adiumentorum vsu Religiosa vita sustentatur; quid tandem futurum est, si eiusmodi exercitationes, aut omittantur, aut adeo negligenter, oscitanterq; obeantur, vt perinde sit atq; si prætermitterentur?

11. Idem P. Mutius in lit. Anno societatis centesimo datis inducit vnum è societate sic loquentem. *Come sarà mai possibile*, che per causa, e colpa mia vera, si habbiamo da vdire quelle dolorose parole: La Compagnia di Giesù è scaduta dalla sua antica modestia per la
c.10. quale sola si distingueua trà gl'altri: è, dal zelo della salute dell'animo dal tratto vereccondo, spirituale, e Santo: Che so io? basta, *Non è più quella*.

12. In Instruc. Lib. P. Claud. Instruc. 13. c. 8. monet exercitandos illos, quã

los, qui humnis rationibus, quaſi adminiculis ad ſuos fines conſe-
quendos vtuntur ſpiritu propriæ perfectionis, ſerioq; monendos, ne c.75.
huic peſti Religionis adhæreſcant, quod magnopere dedeceat vi-
rum Religioſum, dici, nedum Politicum eſſe. Et in fine illius c. ſub-
dit. *Quod ſi ſubditis ipſis, vt ſuos fines, propriaque commoda me-*
dijs non Religioſis aſſequantur, tam indecorum ſit; quid ſuperioribus
fiet, ſi in hoc ipſo *Quò grauiùs, eò tu pius peccauerint?* Hunc certè Po- c.14.]
liticum ſpiritum reprehendit etiam id P. Claud. in Inſtruc. de ſpir.
ad Sup. in ijſdem ſuperioribus. Exterminari verò illum ex vniuerſa
Societate cupit P. Mutius in lit. de Orat. etenim vbi monuit ætate pro-
uectos graueſq; auctoritate Patres omnes, Conſultores, Præceptoreſq;
vt ſolum ſincere oculos adijcerent ad Sociorum virtutum &c. Hæc
addit. *Ita feram illam immanemque belluam, Quam POLITICAM*
APPELAMVS, Domo exterminabimus; quæ vocibus quidem omnium c.408.
proripere ſe iubentium clamoribuſq; confligitur, noſtras tamen in inſidijs
obſidet perpetuo fores; Atq; VTINAM NE AD NOSTRAM IN-
TERNVM PERNICIEM ETIAM IRRVMPAT.

Caput Quartum.

Recenſentur aliqua, ex quibus Socij ipſimet colligere poſſunt, an idem modò ſit Societatis Spiritus qui Primigenius.

P.° Redditio conſcientiæ ſuperiori vna res eſt ex ſubſtantialibus
inſtituti iuſta dec. 18. Cong. 5. taliſque ponderis, vt hac ani- c.323.
morum auocatione ab aperienda ſuperioribus conſcientia dicat P.
Claudius Inſtruc. 11. neſcire, *an pernicioſius quidquam ad bonam ad-*
miniſtrationem Societatis eſſe poſſit: quæ intima animi cultura Spiri- In lib. Inſtr. c.57.
tualiq; inſtitutione magis, quam legibus vllis, pœni ſuæ æternis irro-
gandis ſuos optat alumnos ad perfectionem virtutis ducere: Vnde P.
Mutius in lit. ad ſuperiores verſus finem ſic habet. *Ad extremum ſint,*
vbi res exigit, Arcani quam maximè tenaces, eorum in primis omniũ,
quæ in redenda ratione conſcientiæ inter ipſos, ſubiectoſq; interce-
dunt, quæque ipſis veluti Patribus deteguntur; atq; *intelligant hanc* c.434.
eſſe gubernationis totius in Societate veluti clauem. An exoleuerit vſus
hic aperiendæ conſcientiæ Superioribus an in pleriſq; intepuerit, & ſo-
lùm ſuperficialiter exerceatur, & an ipſi Superiores non multum labo-
rent de hoc viderint ipſi ſocij.
2. Subditi cum ſuperioribus ea fiducia, qua *filij cum Parentibus, age-* c.429.
re debent: Hæc fiducia ſi deſit, ratio Gubernationis in Societate alia iam

eſt, vt

eſt, vt habet P. Mutius in lit. ad superiores: docuerat autem antecedenter, *Germanam piè, paternèq; regendi rationem Inſtitutum Societatis depoſcere:* Sic B. P. Ignatius in conſtitutionibus p.8.c.1.§.6. L. G. exigit, vt Superiores potius amare, quam timeri ſtudeat: *ſic* in formula Inſtituti præcipitur, vt in *gubernatione Generalis memor ſit benignitatis, & manſuetudinis Chriſti & formulæ* Petri, & Pauli Apoſtolorum: & in Interrogatorio pro electione Generalis confecto ab ijs, quos deputauerat Cong.3. ad cognoſcenda detrimenta societatis n. . hæc habentur *An credatur. N. gubernaturus Societatem ſpiritu paterno, & non deſpotico, vt verbis P. N. Laynez ſanctæ memoriæ vtamur; vt ſubditi facilem aditum habeant, eique leti in Domino, ac confidenter cor ſuum aperire audeant.* Quanâ autem arte hanc ſibi fiduciam comparare queant Superiores, docet P. Claudius de Fel.prog. Societatis, & P.Mutius in lit.ad Superiores, qui addit, omnia *contineri Regul. 25. Rectoris. An autem ſit talis fiducia in ſubditis erga Superiores ſuos*, viderint ipſi.

c.420.

In Bulla. 1. Pauli Tertij ca. 12. & in Bulla 1. Iulij Tertij c. 64.

c.164. & 165

c.85. & 86. ca. 417. 428. & 429.

3. Cum in campum Societatis zizania, multis, ac varijs modis per fraudem induci queant; *eo tamen ex Capite*, inquit B.Borgia in lit. de Med. Conſeru. ſpirit. Societatis, *maximè formidarim*, ſi minimè nobis curæ eſſet ſpiritum noſtrarum Conſtitutionum retinere in admittendis ad Societatem noſtram hominibus: nam ſi alia intentione procedatur, quam quæ à noſtris Conſtitutionibus requiritur, certiſſimæ ruinæ porta aperietur. Sanè ſi nulla habita ratione vocationis, & ſpiritus quo quiſque impulſus accedit, litteras modò ſpectemus, & alia exteriora talenta ac dona, veniet tempus, quo ſe societas multis quidem hominibus abundantem, ſed ſpiritu, & virtute deſtitutam mœrens intuebitur, vnde exiſtet ambitio, & ſeſe effert ſolutis habenis ſuperbia, nec à quo contineatur, & ſupprimatur habebit. Quippe ſi animum conuerterint ad opes, & cognationes, quas habent; intelligent illi ſe quidem propinquibus, & opibus affluentes, ſed ſolidarum virtutum, ac ſpiritualium donorum Copijs egenos, & vacuos. *An verò Superiores* in admittendis Iuuenibus ad Societatem animos magis conuertant ad Ingenium, Diuitias ac Nobilitatem, quam ad rationem vocationis, & ſpiritus quo impelluntur ad poſtulandum admitti in Societatem, & an ipſi varias adhibeant artes ad alliciendos Iuuenes, ingenerandumque illis aliquem ſpiritum vocationis, ipſimet socij viderint.

c.53.

4. Si Superiores, vt plurimum tenuiſſent, tenerentque eam rationem in regendis ſubditis, vt ſatis habuiſſent, haberentque ſi in externis eorum actionibus nihil inordinatum, aut indecens conſpiceretur, idque vnum ab eis exigerent, vt officio quiſque ſibi iniuncto, vt cumque ſatisfacerent; neque ſibi, aut alijs negocium faceſſerent, perſuadentes id illis, tum rationibus, tum argumentis, tum indulgentia quadam, nulla

c.109. 110 & 111.

nulla interim in re eorum virtutem exercẽtes, nihil imperantes, quod illorum imbecillitati, & infirmati grauius, & acerbius accidere poſſit; Si, inquam hæc ratio gubernandi in Societatem induđa fuiſſet (ſiue accidiſſet id cauſa ſuperiorum, vel ſubditorum, vel vtrorumque) certiſſimè futurum eſſet, vt non modò illa nullum faceret fructum, ſed ne conſiſtere, ac cõſeruari quidem poſſet: Sic enim brèui fieret (inquit P. Claudius in lit. de Fel. Prog. Soc.) vt exiſteret in Societate *magna hominum copia, qui litteris quidem egregiè inſtructi, prudentia præterea, & rerum gerendarum dexteritate pollerent*, ſed *noſtro ſini minus certè vtiles* eſſent, quod parum in exercitatione virtutum, ſolidique ſpiritus fundamentis profeciſſent: *A N*, inquam, *hic gubernandi modus in Societatem*, vt plurimum ſaltem, induđus fuerit, viderint ipſimet Socij; qui certò ſcire poſſunt, an reieđa vt plurimùm illa gubernandi metodos fuerit, quæ prudentiam quidem ſecundum Deum non reſpuit, ſed toto ſpiritu nititur mortificationis exercitatione, abnegationis vſu honoris proprij, totiuſque veteris hominis abdicatione; quam viam in ſubditis moderandis (ſubdit P. Claudius) non modò exemplis docuit B. P. Ignatius, qui miris mortificationibus ſuos exercebat, eòque magis quo probiores, & inſigniores, & ſibi etiam maiore familiaritatis vſu coniunđi eſſent, ſed eamdem in Conſtitutionibus expreſſam tradidit. *Hoc eſt, quod in Formula Inſtituti proponitur*, ad illud neminem aptum eſſe, niſi verè humilem, & prudentem in Chriſto, & in Chriſtianæ vitæ puritate, ac litteris conſpicuum: Hinc in Examine præcipitur, vt maius ac impenſius ſtudium ponatur, vt maior abnegatio, & continua in rebus omnibus, quod fieri poterit, mortificatio quæratur. Quod *genus præceptorum ita eſt in Conſtitutionibus vſitatum, ac frequens*, vt *nihil aliud pene continere videatur*. Certè ſi hæc gubernandi ratio in Societate hađenus retenta eſt, omnem in Societate perfeđionem viguiſſe, ac floruiſſe, & hađenus vigere, ac florere dicendum eſſet iuxta P. Claudij ſenſum: Si autem non eſt retenta *vt plurimùm* (quod additur, quia licet aliquis ſuperior, & reſpeđu aliquorum ſubditorum illam exercuiſſet aliquot ab hinc annis, vel modò etiam exerceret, non ex hoc argueretur vigere in ſocietate omnem perfeđionem) in perfeđione Inſtituti neceſſariò ſocietatem defeciſſe dicendum eſt. c.III.

5. Cum Societatis Inſtitutum, Modus gubernandi, Occupationes, ac Miniſteria conſtituta ſint atque fundata in perfeđione quadam ſpirituali minime vulgari, aut ſuperficiali, ſed exigant potius abnegationem veram, expoliationemque affeđus proprij, ſtudium etiam ardens ſolidarum virtutum, vt §. 2. p. 10. B. P. Ignatius S. M. declarat; Si *in Societatis hominibus fundamentum hoc* (vt illud P. Claud. in lit. de Med. ad conſeru. Soc. appellat) *benè poſitum non fuerit; Societatis reliquum Aedificium non ſtabile, ſed Infirmum, & cuique corruat, neceſſe eſt*. c.194. et 195

Cum

Cum autem ex eodem P. Claudio, si in diuersis hominum gradibus; quos societas complectitur, suboriuntur aliquando tentationes aliquæ, aut amaritudines, si in distributione Officiorum, Ministeriorumque, vt sunt concionandi, prælegendi, excipiendi confessiones, docendi litteras inferiores, alijsque rebus eiusmodi; In correptionibus item, pœnitentijsque ferendis, in vilissimis quibusque humilitatis, ac paupertatis amore libenter accipiendis reperiantur difficultates; Ex omnes sine dubio ab vnius huius fundamenti defectu proficiscantur: *Viderint ipsi Socij, AN* hæc, aliaque huiusmodi defectus talis fun-
c.435. damenti: argumenta in plurimis saltem appareant. Circa difficulta-
c.42. tem quidem in gradibus oblatis suscipiendis extat Dec. 32. Congr. 7. & multo ante cap. 6. Instruct. de sp. ad superiores missa à P. Claudio anno 1604.

6. Multitudo magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, vt ordinem non fert, ita nec vnionem, quæ in Christo Domino tam necessaria est, vt bonus status, ac procedendi modus huius societatis conseruetur, inquit p. 8. c. 1. §. 2. s. Ignatius; qui ideo antecedēter tradidit; *Magnam Turbam ad Professioner non admittendam*, nec quoscumque sed selectos homines etiam inter Coadiutores formatos, aut scholasticos retinēdos. Hoc idem tradit s. Fundator p. 10. §. 7. ad hoc, vt perpetuò totius societatis corporis bonus status conseruetur. *Viderint autem ipsi Socij, AN sit in Societate* multitudo magna eorum qui vitia sua non benè domuerunt; Et peculiariter, an Professi communiter sint tales, quales eos requirunt Constitutiones p. 5. c. 2. §. 1. & 2 & p. 10. §. 7. hoc est, qui satis profecerint in rebus spiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate, & abnegatione vniuersi Amoris sensualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei conferunt; & propterea satis profecerint in litteris; Non enim alij, quam spiritus, & doctrinæ celestæ Viri, & multùm, diuque exercitati, & in varijs Probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorum, cum omnium ędificatione, & satisfactione perspecti ad professionem admitti debent. Formula quoque Instituti appro-
In B. A. c. 15 bata à Paulo 3. in 1. Bulla vult, *Eos esse Viros, qui diù, ac diligentissimè probati, & qui prudentes in Christo, & vel doctrina*, seu *vitæ Christianæ puritate apparuerint conspicui*; quod magis adhuc declarat eadem Formula proposita Iulio 3. in 1. Bulla volens, Eos *esse Viros, quorum vita, & doctrina diuturnis, & diligentissimis probationibus explorata*
In B. A. c. 67 & 61. *fuerit*, qui *omnino humiles, & prudentes in Christo, & Christianæ vitæ puritate*, ac *litteris conspicui*. Hæc eadem repetuntur, tum à Greg. 13. in Bulla 18. dicente; Qui ad *Professionem quatuor Votorum admittendi*
In Bu. c. 117 *sunt*, eos *iuxta Constitutiones, & Apostolica Decreta, & Indulta, Viros omnino humiles, ac prudentes in Christo, & in vita puritate, ac litteris conspicuos, diuturnisque, ac diligentissimis experimentis probatos*, & in

Mini-

Ministerijs huiusmodi (istorum peculiarem mentionem fecit antecedenter Pontifex) *prius diu, multumque versatos vocatio hac requirit, vtpote quos ardua maneant Ministeria*; Tum à Gregorio 14. in 1. Bulla dicente, *Tempus autem promotionis ad huiusmodi gradus nullo modo volumus certum, seu determinatum esse; sed (constitutiones, ac Diplomata prædicta* (aliorum scilicet Pontificum) *hac etiam in parte omnino obseruari volumus, & mandamus*: quæ statuunt scelectos *tantum spiritus, & Doctrinæ Viros, & multùm, diuque exercitatos, ac in varijs probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorum cum omnium ædificatione, & satisfactione satis cognitos ad Professionem esse admittendos. A N verò tales habeant dotes communiter Professi*, qui sunt præcipui in Societate, & quorum nomine ex p. 5. c. 1. L. A. maximè propria acceptio nominis societatis continetur; viderint ipsimet socij Alij decernere possunt, an talis perfectio in Professis requisita consistere possit cum tanta Professorum multitudine, quæ modo extat in societate. Vbi in Cœlum abijt s. Ignatius, recensitus Professorum numerus ex initio lib. 1. T. 2. Hist. soc. non erat vltra triginta quinque; cum tamen duodecim Prouinciæ iam constitutæ forent: Nunc verò in vna tantùm Prouincia numerati sunt Professi vltra centum, & septuaginta. In Bu. c. 2 81

7. S. Ignatius p. 10. § 2. vbi ad conseruationem, & incrementum corporis, ac spiritus societatis, & ad assecutionem finis illi propositi, docuit esse efficaciora media illa, quæ cum Deo instrumentum coniungunt, ac disponunt, vt à Diuina manu rectè gubernetur, quam quę illud disponunt erga Homines, cuiusmodi dicit esse probitatem, & virtutem, ac præsertim caritatem, & puram intentionem Diuini seruitij, & familiaritatem cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs, ac zelum sincerum Animarum ad gloriam eius, qui eas creauit, ac redemit, quouis alio emolumento posthabito; hæc subdit. *Videtur itaque in vniuersum curandum esse, vt omnes qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum, ac perfectarum, & spiritualium studium incumbant; ac in huiusmodi maius momentum, quàm in doctrina, vel alijs donis naturalibus, & humanis constitutum esse ducant*: Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet. *A N verò in hominibus ad Societatem admittendis* magis expetantur, & exigantur Dona exteriora quàm interiora; *A N in Scholasticis* magis laudari soleat Ingenium, quam probitas, illiusque potissimùm ratio habeatur in his promouendis; *A N Viri valde spirituales* pluris æstimetur in societate, quàm Viri valde Docti, vel alijs Donis naturalibus instructi; *A N dispensetur* in Professione cum Viris probitate Insignibus, A N verò tantum cum ijs, qui insignes sint in humanioribus litteris, & in linguarum peritia; *A N hominum valde proborum* familiaritatem communiter socij vltro quærant, & amplectantur, A N verò potius ab illa caueant, & refugiant consultò; *A N* Dec. 15. Con. 6. c. 351. & 352.

A a *sit mul-*

sit multus, AN verò valde exiguus hominum verè spiritualium in societate numerus, & *AN multi quidem recenseri possint* litteris Illustres, paucissimi vero virtutibus Insignes: *ipsimet viderint Socij*; hæc enim magis ipsis, quam alijs perspecta esse queunt.

8. Iuuare ad conseruationem, & augmentum totius corporis societatis moderatum, & prudentem vsum gratiarum per Sedem Apostolicam concessarum solius auxilij animarum fine sincerissimè proposito, docuit p. 10. §. 12 s. Ignatius; *AN hunc finem propositum* sibi habeant socij, cum Ordinarijs (quorum tamen se seruos, ac Ministros profitentur ex t. 1. Hist. soc. lib. 15. n. 54.) contendentes de vsu nonnullorum priuilegiorum, quæ in Animarum auxilium concessa sunt à Pontificibus olim; *ipsimet Socij viderint*.

9. Vt perpetuo totius societatis corporis bonus status conseruaretur conferre plurimum ne homines ad institutum societatis inepti ne ad probationem quidem admitterentur; & si aliqui probationis tempore non esse idonei inuenirentur, etiam dimitterentur, fuit p. 10. §. 7. S. Ignatij sensus. *An admissi sint complures inepti* eo nomine, quod aliqua bona Collegijs, vel domibus donassent vel donaturi forent; quod essent Consanguinei, vel affines, vel amici prouincialium, aliorumue primorum Patrum, vel etiam scholasticorum ipsimet viderint socij.

10. Iuxta spiritum societatis est p. 6. c. 2. §. 9. non offere munuscula, quę magnatibus ad res maiores ab ipsis obtinendas offerri solent, nec consuescere viros primarios inuisere, nisi Sancto studio piorum operum ductos, vel quando intima beneuolentia in Domino tam essent coniuncti, vt huiusmodi officium aliquoties eis deberi videretur. *AN ex alio fine Socij Palat a Principum*, Domosq; Primariorum virorum frequentent, ac illis aliqua interdum donent ipsimet inter cæteros dijudicare queunt.

11. Mos fuit societatis peregrè aduenientium sociorum pedes lauare, eosq; omni amoris significatione excipere, itaut quisque suo in
f.430. f.431 Collegio, Domoue se degere sentiret, ex lit. P. Mutij ad superiores: Et à nullo omnino Hospitum sociorũ etiam sponte offerentium quidquam in Hospitalitatis compensationem admittere, vel saltem quidquam exigere etiamsi longioram moram alicubi duxissent ex De. 18.
f.410. Cong. 7 *Quæ an modo præstentur* à socijs, viderint ipsimet.

12. Spiritus societatis est, *Vt maius, ac impensius studium cuiusque sit* quærere in Domino maiorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quoad poterit, mortificationem ex p. 46. c. 4 Ex. *Quales sint in hoc Socij*, viderint Ipsimet.

13. Spiritus societatis est ex p. 26. c. 1. p. 3. circa res omnes etiam particulares rectam habere intentionem seruiendi, & placendi Diuinæ Bonitati propter se ipsam &c. ac peculiariter, studiorum laborem suscipe-

scipe-

ſcipere tantùm ex obedientia, & caritate p. 6 c. 6. §. 2. ſiue finem ſtudiorum conſtituere iuuamen proximi ad cognitionem, & amorem Dei, & ſalutem ſuarum Animarum ex initio c. 12. p. 4. & ex hac vtilitate deſumere ſtudiorum qualitatem, & menſuram ex §. 1. c. 5. p. 4. *Quam intentionem habeant Socij* communiter, in actionibus maximè publicis, quæ per ſe afferunt honorem, & gloriam, ipſi viderint.

14. Iuxta ſpiritum Societatis eſt, vt vnuſquiſq; ſibi perſuadeat, quod quæ viliſſima erunt ex ijs, quæ Domi ſunt, ei tribuentur propter ipſius maiorem abnegationem, & ſpiritualem profectum §. 26. c. 4. Ex. *A N. ſibi id ſuadeant communiter Socij*, ipſi viderint.

15. Iuxta ſpiritum Societatis debet vnuſquiſque voluntatem, ac iudicium ſuum cum eo quod ſuperior vult, & ſentit, in omnibus (vbi peccatum non cerneretur) omnino conformare, nihilque ei clauſum, ne conſcientiam quidem propriam, tenere ex p. 3. c. 1. §. 23. & p. 4. c. 10. §. 5. ac preterea ſinere ſe regi à ſuperioribus, ac ſi cadauer eſſent, vel ſenis baculus ex §. 1. c. 1. p. 6. *Quales ſint in his ipſimet, Socij viderint.*

16. Iuxta ſpiritum ſocietatis eſt vt vſum artificij humani erga ſubditos caueat ſuperior, vnde ipſi conijciant ſuperiorem aliquid ambiguè loqui, cùm hac enim arte (vt habet P. Euerardus vnus ex ſocijs S. Ignatij quartuſque Generalis in lit. ad Superiores) ſtare haud: quaquam poteſt vnitas, & mutuus amor, ac reuerentia, ſine quibus abſoluta reſignatio, & indifferentia ad virtutem, Religioſamque perfectionem haberi non poteſt. Hinc in interrogatorio in 3. Gener. Cong. confecto pro electione Generalis, inquirendum peculiariter notatur, *A N. in modo procedendi cum alijs, & in gubernatione, ſi quam forte exercuit in Societatem, veritatem cum animi candore, & Religioſa ſimplicitate ita colere ſtuduerit, vt ab omni humanæ artis ſuſpicione ſit penitus liber. A N. Superiores tales ſint*, viderint ipſimet Socij, ſicuti quoque, *A N. Superiores communiter tales ſint*, quales exiguntur a Conſtitutionibus p. 4. c. 10. §. 4. & p. 9. c. 6. §. 14. L. I. -74-

17. Mox fuit apud ſocios tempore renouationis votorum, quæ bis in ſingulos annos habetur, vel viſitante Prouinciali Collegiū, Domumque deferre ad ſuperiorem, non ſolùm ſuperflua, verum etiam ſcripta Ipſa, & Ea omnia, quibus quiſque affectus erat. *A N. id communiter* præſtent etiam moniti de hoc antiquo more à ſuis ſuperioribus, ipſimet viderint.

18. Humana, & Politica ratio agendi, præſertim in Iunioribus, fuit maximè aliena à ſpiritu ſocietatis, cuius ſuperiores, cum aliquos humanis rationibus, quaſi adminiculis, ad ſuos fines conſequendos vti comperiebant, facto ipſo technas ipſorum diſſoluebant, & cuniculos anteuertebant præcidendo interceſſiones, fauores, machinationes, ita vt eorum conſilia irrita omnino redderentur. *Quales ſint ſubditi, ac Superiores in his*, viderint ipſimet.

19. Nullam quisque debet celare tentationē ex p.3.c.1.§.12. quam præfecto rerum spiritualium, vel Confessario, vel superiori non aperiat. Isti tres iudicare possunt quales sint in hoc socij; quos multis, grauibusque tentationibus modò saltem expositos esse, prudens quisque iudicabit.

20. Omnibus constanti animo incumbendum est ex p.6.c.1.§.1. Vt nihil perfectionis, quod Diuina gratia consequi possint, in absoluta omnium Constitutionum obseruatione, societatisque Instituti peculiari ratione adimplenda, prætermittant. *Diligenter perpenderint Socij*, quo modo Constitutiones, Canones, Congregationum Generalium, ac Regulæ seruentur; incipiantque examinare Regulas Prouincialis vsque ad Regulas Noctu Cubicula Visitantis; simulque alias Regulas repositas in ratione studiorum à Regulis Prouincialis vsque ad Regulas Accademiæ Grammaticorum, quomodo scilicet istæ seruentur à quocumque, & *An plurium* obseruantiam iàm aboleuerit consuetudo, & *An aliquarum solùm obseruantiæ* inuigilent superiores, & *AN* hæ sint maximè illæ, quæ sunt in ipsorum fauorem &c.

In lib. Regu. de. 32. adc. 259.

21. Professi, & Coadiutores Formati ita debent esse debiti pœnitentijs, Orationi, ac Meditationibus; vt in quantum corporis valetudo, & externæ occupationes caritatis, atque obedientiæ permittunt, His vacare debeant ex Confessarij Consilio, & Superiorum Responso in dubijs, vt habetur p.6.c.3.§.1. & ex lit. P. Claud. de Fel. Prog. Soc. & de Orat. ac Pœnit. *A N sint tales, quibos gradus habent in Societate, Ipsimet viderint.*

f.235.

22. Ordinariè Collegioru Rectores debent esse Coadiutores formati ex p.4.c.10.§.3. sicuti quoque Procuratores Collegiorum ex p.6.c.3.§.7. *AN verò Ordinarij* Rectores Collegiorum sint Professi etiam Quatuor votorum, *Sicuti quoque An Procuratores* aliquibus in Prouincijs sint maxima ex parte etiam Professi, cognoscant ipsimet; sicuti *Examinari etiam possunt*, An id oriatur ex eo quod Professi velint, cœteros regere omnes immediatè; vel subditi à Professis velint, regi Coadiutores Formatos in nullo, aut leui pretio habentes; vel Professi cum non detineantur missionibus, quæ maximè ad eos spectant, occupationes quærant, vel occupandi sint à generali &c.

In libr. Ord. c.2.n.3.c.17

23. Iuxta spiritum societatis est nec habere Domi Libros profanos p.3.c.1.§.14. L.M. & P. Euerardus iussit *Libros veterum obscenos non expurgatos, quamuis in* Indice prohibiti *non sint*, Socijs *tamen, etiam Magistris, nisi maturis, & qui sine periculo vti possint non permitti, Scholasticis autem nullo modo: Recentiores verò, quocumq; idiomate Scriptos nemini concedi. A N verò hæc* executioni mandentur, ipsimet socij viderint. Certe P. Mutius in lit. de Oratione conqueritur, quod sociorum manus, quoddam genus librorum tractent: qui etiam aliquando scripsit nisi aboleretur apud Socios carminum Italicorum

f.440.

vsus, se.

viſus, ſe ſub obedientiæ præcepto id vetiturum. *An hæc quoq;* Comminatio profuerit, *An* verò magis obfuerit, ipſimet ſocij, & maxime Iuuenes, ac Magiſtri Humaniorum litterarum, alijq; Patres ſenicis actionibus dediti, vel in eas propenſi, iudicare queunt.

24. Iuxta ſpiritum ſocietatis eſt Zelus ſincerus Animarum ad gloriam eius, qui eas creauit, ac redemit, quouis alio emolumento poſt habito p. 10. §. 2. Zeluſque iſte ex p. 1. c. 3. §. 1. in hoc ſitus eſt, vt omnia hominum genera complectens eorum ſeruiat ſpirituali vtilitati, ac ad beatitudinem conſequendam in Domino iuuet *AN verò complures* quærant potius marſupia (quam vocem ad hoc P. Mutius in lit. de Orat. vſurpat) quam hominum Animos; *An alij communiter* toto pectore incumbant (vt loquitur idem P. Mutius in ijſdem Lit.) ad ſpiritualem Pauperum opem; *An miniſteria à pleriſq;* aſſumantur ex voluntate potius traducendi tempus, quam ex ſincero, ardentiq; deſiderio (quemadmodum habet idem P. Mutius in lit. ad P. Congreg. Prouinc.) ſalutis animarum, viderint ipſimet. c. 411. c. 404. c. 445.

25. Tertius Probationis Annus pro ſcholaſticis abſolutis ſtudijs, antequam profeſſi, vel Coadiutores Formati fiāt inſtitutus eſt à S. Ignatio eo conſilio, vt eum Annum in Deuotionis, & Humilitatis exercitijs impendentes, ſi qua fortaſſe in re harum virtutum feruor per litterarum occupationem intepuerit per earumdem virtutum frequentiorem exercitationem, ardentioremq; Diuini Auxilij inuocationem recaleſcat vt habet Gregorius 13. in Bulla. 18. Colligiturque ex Ex. c. 1. §. 12. c. 4 §. 16. & 43. & c. 6. §. 8. & p. 5. c. 1 §. 3. & c. 2. §. 1. Hinc P. Claud. in I. Ord. c. 3 n. 2. dixit *Finem huius Probationis* eſſe in plena, & abſoluta ſui ipſius abnegatione ita ſe cũ Diuina gratia exercere, & cũ eadē ad virtutes Religioſo dignas incūbere, vt fiat Homo in vita ſpirituali perfectus, idoneūq; ſocietatis inſtrumento ad animos Chriſti Lucrifaciendos euadat; Cum enim ſocietatis Inſtitutū Homines non ſolùm Litteris, ſed multo magis ſpiritualis vitæ perfectionis conſpicuos requirat; ex illa verò aſſidua contentione, quæ per aliquot Annos in excolendo per ſtudia intellectu ponenda eſt, humilitatis, ac deuotionis feruor intepeſcere ſoleat, neceſſarium omnino iudicauit Beatus Pater, vt abſolutis ſtudijs certum aliquod tempus vnicuique tribueretur, in quo vires ſpirituales inſtauraret; ſolidarumq; virtutum ſtudio, & profectu, tanquam neceſſarijs in futurum Præſidijs ſe communiret. *Viderint autem ipſimet, Socij, An multi eximantur* ab huiuſmodi Probatione; *AN complures* per vnum, vel alterum menſem tantùm in locum huic deſtinatum Probationi mittantur; *AN non pauci* ſub ſpecie huius Anni Probationis in eadem Domo Probationis, vel alia in qua Iuuenes ad Societatem admiſſi probantur, alijs præficiantur miniſterijs, quibus non ſolent præfici, qui hunc tertium Probationis Annum agunt, nec par eſt vt præficiantur, ſi fructus, quem In Bu. c. 226 c. 31.

inten-

intendit S. Ignatius in huiufmodi ftatuto confequi velit focietas; *AN maior ratio habeatur*, ne incomodum aliquod patiatur Collegium ob abfentiam, vel defectum alicuius operarij vel Officialis, qui perfepè poteft non effe neceffarius, eiufue munus poteft ab alijs fuppleri, quam vt focij re vera Homines fpirituales reddantur per huiufmodi Probationem; Quam non minus neceffariam, iure merito aliquis dixerit quam Probationem factam, antequam emittantur vota. *Viderint etiam Socij AN tales* Scholaftici ibidem prætermittant nihil, quod ad Profectum in Humilitate, & abnegationem vniuerfi amoris fenfualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei conferat; *AN exerceantur in* sex Societatis experimentis iuxta Nouitiatus confuetudinem; *AN à ftudijs omnino* abftineant; *AN fcire procurent*, qua in re occupandi fint à superioribus eo Anno peracto; *AN magnifaciant Inftructorem*, & ab eo dirigi fe finant ac Nouitij; *AN verò perfunctoriè eam Probationem* tranfigant, & ad eam perfunctorie tranfigendam acceſſerint &c.

26. Mos fuit à tèpore S. Ignatij vt Adolefcètioribus, quibus e familiaritate quorumdam minùs perfectorum imminebat periculum relaxationis ac teporis, data fchedula, nominatim eorum confuetudo, qui plus obeffe, quam prodeffe poterant, interdiceretur; Qui mos innitebatur §.3. c.1. p.3. vt habet Nigr. in Reg.27. com. n.7. *AN hic modò feruetur*, & *AN ex huius confuetudinis omiffione maxima fuerint Iunioribus, & Scholafticis importata* in *Spiritu incommoda, ipfimet viderint*.

Caput Quintum.

Recenfentur mala, quibus olim formidatum eft, ne premeretur Societatis Corpus, deprompta ex eorum Libris &c. Quibus an modò prematur, cognofci poteft &c.

P.° OMnes illæ malorum caufæ, quæ colligi poffunt ex Epiftola B. Borgiæ timuit hic R. Generalis, ne aliquando in Societa-
c.52. te orirentur: Vnde Ipfe ibi dicit. *Quocirca & pro munere*, quod fuftineo, & officio, quod Caritas exigit, ne fceleris arguar, fi reticuero, vifum eft quàm breuiffimè aliqua præmonere; quę tametfi modò minime effe neceffaria videbuntur, non *defuturum tamen puto tempus, quo borum meminiffe iuuabit*. Veretur autem peculiariter, ne *incuria in ab-*
c.67. & 68. *negatione propriæ voluntatis, et interiori mortificatione* graue damnum afferat Societati; & *ne culpa Sociorum eorum donorum, earumque virtutum, quas Societati cæpit Deus impartiri*, cum B. Ignatius, alijque Patres, qui

tres, qui primitiæ quodammodo fuerunt Societatis, sua omnia sic agerent, & decernerent, ac si præsentem Deum cernerent, copiosus imber resīdat.

2. P. Claudius in litteris de perfectione, & Caritate fraterna valde formidauit, ne sicut olim paucorum culpa, vt loquitur D. Hieronymus quamquam in re dissimili, Ingemiscens Orbis Terrarum Arrianum se esse miratus est; ita *vitio eorum, qui in sedandis animæ motibus,* quique vt ait B. P. Ignatius, nec ordinem, nec vnionem ferre possunt, cum lacrimis aliquando miraretur *Societas non eam se esse, qua fuerat, sed tamquam effœto iam corpore defloruisse.* c.175.

3. Idem P. Claudius in litteris de mediis ad conseruationem societatis vbi dixit, Duo *esse ab Instituto Societatis præscripta,* auxilium nimirum proximorum, modumque iuuãdi, & sępenumero fieri vt nonnulli rem ipsam ab Instituto accipientes, contemnant eius agendi modum, subdit; *Id quod decursu temporis perniciosum valde Societati nostræ esse potest:* D. enim Bonauentura affirmat inter præcipuas causas Religiones euertendi fuisse nimiam externarum occupationum frequentiam, quæ, vt inquit ille, corda distrahit, & omnem affectum deuotionis extinguit. c.115.

Caput Sextum.

Recensetur mala, quæ sub specie Boni potuerunt Societatis Iesu Religiosos decipere, & maxima illis afferre incommoda.

(An vero his de facto decepti fuerint cognosci potest à multis) deprompta ex eorum Libris &c.

P.° DEsiderium spiritualis boni aliquorum potuit esse causa vt admitterentur multi ad promouendum diuinum seruitium iuxta Societatis Institutum. Hinc S. Ignatius p. 1. c. 2. §. 4. dixit, *Admittere homines difficili admodum ingenio, vel inutiles Congregationi, licet ipsismet non inutile foret admitti; considerantes tamen Instituti nostri finē, ac procedendi modum, persuademus nobis* in *Domino ad ipsius maius seruitium, & laudem non expedire;* & initio c. 3. *Quamuis caritas, & zelus animarum, in quo se Societas hac exercet iuxta Instituti sui finem, omnia hominum genera complectatur,* Vt *eorum seruiat spirituali vtilitati,* ac *ad beatitudinem* consequendam in Domino iuuet; vt tamen in societatis ipsius corpus admittat, amplecti non debet, vt dictum est, nisi quos iudicabit ad propositum societati finem vtiles fore.

2. Ni-

2. Nimia cupiditas retinendi aliquos, & maximè scolaſticos in ſocietate, ob bonum ipſorum, vel auxilij quod ab ipſis poſſet aliquãdo societas accipere, potuit eſſe occaſio complurium malorum. Hinc
c.103. P. Claudius in lit. de medijs ad conſer. soc. ait: *Qua in re vt celerem nimis*, aut *præcipitem eſſe non conuenit Superiorem* ad determinandum iudiciũ, quod aliquis Inſtituto noſtro ſit ineptus, niſi priùs ad exemplum miſericordiæ Chriſti, multum, ac diligenter circumfoderit, ſimumque appoſuerit, aliaq; adiumenta opportuna applicauerit; ita ex altera parte non eſt opus vel tam cupidum eſſe illius commodi, aut auxilij, quod ab ijs poſſet societas accipere, vel nimis timidum, aut ſcrupuloſum, ne videlicet dimittatur is, qui fortaſſe aliquo tempore emendare ſe poſſit &c. & in Lib. Ordin. Gener. C. 12. n. 6. lo-
c.77. quens P. Claudius de ijs, qui ſponte dimitti pettunt ait: *Sed quia huiuſmodi homines, vbi* ad certum gradum tentationis peruenerint, raro apti ſunt ad societatem: vitare ſimul alterum extremum neceſſe eſt, in quo verſantur, qui illos omnibus modis ſemper retinendos cenſent, propterea quod Inſtituti noſtri, & miniſteriorum ratio id minimò ferret, nec ipſa tandem proprio illorum vtilitas, nec commune bonum societatis. *Bonum quidem Societatis, cum vniuerſale* ſit, haud dubiè bono particulari præferri ab eo debet, qui ſincerè Diuinum obſequium quærit, vt ſapientiſſime habet S. Ignatius: p. 2. c. 2. §. 3. qui infra etiam addit, *tolerare aliquos non eſſe caritatis, ſed vitij contrarij &c.*

3. Nimia ſollicitudo ſtabiliendorum Collegiorum, ac Domorum. Hinc B. Borgia in lit. de medijs conſ. spir. Soc. ait *Illudq; in primis ſollicitos nos tenere debet*, ne Religionis, aut zeli ſpecie, dum Collegia
c.63. & 64. ſtabilire, aut Domibus volumus adiumento eſſe, ſubeat animum ſollicitudo immoderatior, propenſioque cupidior, quam probari poſſit hominibus externis, & ſæcularibus, atque adeò domeſticis ipſis dolorem afferat, & mærorem. Nam cum curam vehementiorem habendi prohibitam nobis in Euangelio ſciamus, illud omni contentione vitandum eſt, ne prætextu zelus alicuius minuantur in nobis noſtræ recordatio paupertatis, ac ſubintret, cupiditas bonorum temporalium, quæ certiſſima peſtis eſt Religionum earum, quæ aditum penitus huiuſmodi peruerſis affectibus non occluſerunt.

4. Conniuentia superiorum in his, quæ correctione; & remedio indigebant, & modus gubernandi non diuino lumini, gratiæq; voca-
c.104. tionis innixus: Vnde idem P. Claudius in lit. ad superiores de Fel. Progreſſu societ. ait; *Vereor quoque, ne nos* fallat, vel ſpecies quædam falſæ vtilitatis, vel etiam noſtrorum ipſorum importunitas, pietatis zeli prætextu velata: & tamen cum videamus &c.

5. Imminutio caritatis, & vnionis fraternæ ſub ſpecie boni. Vnde P. Claud. in lit. de perfect. & carit. fraterna, vbi dixit, ſe primis ſuis ad

Superio-

Superiorem litteris iudicasse quanta & B. Ignatij fuerit, & sua nunc sit sollicitudo, ne quid aduersus hanc spiritus vnitatem peccaretur, vt potè multò magis, quam credi possit, necessariam, subdit. *Pro rei tamen magnitudine, & ne Zizaniorum Auctor dum aliud agere videtur,* c.173. *simulata nescio, quæ specie* recti supponat aliquid suorum seminum &c. *Et se prodere in nonnullis nescio quem affectum*, & Zelum illius particularis boni, quod ad suas ipsi putent spectare Prouincias scripsit postea c.437. P. Mutius in lit. ad Patres Cong. Prouinc. Hac specie boni decepti de.21.c.423 fuerunt illi, qui in Cong. 7. curarunt proponi, essent ne illis, qui certis illustrioribus missionibus addicti per varias Prouincias sparsi certi ex ijsdem nationibus Superiores designandi, qui omnibus præessint; essentne Assistentium, Prouincialium, ac Superiorum localium potestate eximendi, quo certiùs sub vno nationis suæ capite ad finem sibi propositum gubernarentur concedendane illis è sola gente sua Nouitiatus, seminaria, Collegia, ac in ijsdem Philosophiæ, Theologiæ, & humaniorum litterarum Professores, ac Superiores etiam e gente sua, quo commodius ab eiusdem linguæ, & gentis Superiore instituerentur, magisque concordibus animis inter se agerent.

6. Affectus ergo Consanguineos nimius sub specie Caritatis: de quo P. Mutius in lit. de orat. *Quoniam autem vereor, ne caritatis specie*, c.393. affectus hic animi sensim irrepat, per aspersionem Sâguinis Iesu Christi vniuersos obtestor, apud se statuant, magnam hinc societati cladem afferri posse.

7. Insinuatio in negotia sæcularia sub pietatis prætextu. Hinc Cong. 7. de.13.c.415 innixa §.7. cap. 3. p. 6. monenti, vt socijs à sæcularibus negocijs abstineant, neque ea vllis præcibus adducti obeunda suscipiant vel in illis occupari se sinant; censuit seuerè, grauiterq; interdicendum socijs, *ne vllo prætextu in propinquorum, aut quorumcumque extenorum negocijs,* tribunalibus se sistant; neue curam vllam administrandi illorum bona, litesque prosequendi, aut dirigendi ex quacumque causa suscipiant, aut illorum quemquam ad Ecclesiasticas, aut sæculares Dignitates promouere studeant sine expressa Generalis facultate, quam soli Generali Congregatio voluit esse reseruatam: Quem etiam rogauit vt difficillimum se in huiusmodi concessionibus præberet.

8. Aulicismus sub specie lucrifaciendi Magnates Deo. Hinç P. Claudius cap. 15. lib. Industr. de illo loquens ait. Morbus hic in Societate, & intra, & extra periculosus est, & istis qui eum patiuntur, & nobis fere nescientibus paulatim subintrat, specie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad Diuinum obsequium huiusmodi homines Societati iuuandi proximos &c. Sed re vera *quærimus interdum nos ipsos, & paulatim in sæcularia deflectimus*.

9. Vniuersalis quædam cupiditas in Superioribus, subditis omnibus opitulandi, de qua P. Mutius in lit, anno centesimo societ. datis; vbi

enim incæpit recensere impedimenta executionis ordinationum, ac remediorum, quæ sunt in Societate ad eam in spiritu suo conseruandam, ac roborandam hæc ait. *E sia il primo vn troppo vniuersale desi-*
c.11.&13. *derio fondato*, si bene in carità, mà poco ordinata, di agiutar, e migliorar tutti senza auuertire, se siano aiutabili, ò nò, e se il voler giouar ad vno, noca à gl'altri. Da questo nasce, che temendo di non poter premere con qualch'vno, senza metterlo in occasione di sconcertarsi, ò Scomporsi; per questo pretesto, che stimano buono, e ragioneuole, alzano la mano, e lasciano passare molte cose, che sono di gran pregiuditio all'osseruanza: e non si accorgono, che fanno molto danno al ben publico, e non aiutano punto il priuato; perche nò è questo il modo di solleuar altri in spirito, e mantenerli nella sua vocatione, dar loro liberta di far, e non fare quel, che vogliono &c.

10. Humani respectus in Superioribus, quibus possunt duci, spectantes potiùs priuata commoda, finesque quam diuinam gloriam, & subditorum perfectionem, quamuis ipsi excusare se apud se & malum hoc tegere studeant. Præterea alij superiores per speciem Lucrifaciendi proximos multis sese visitationibus etiam parum vtilibus implicant; alij verò pia magis specie per consueta Ministeria iuuandi proximos, erga deuuotulas aliquot operam suam ponentes plus in-
c.14.&16 de occupationis referunt, quam fructus de his loquitur Instr. de spirit. ad superiores.

Ex hactenus dictis, licet non singulis omnibus, apertè colligitur, defecisse primigenium in societate Iesu: Et quidem hoc habetur expresè affirmatum ab ipsis, & Generalibus, & illis quoque, qui interfuerunt Congregationibus Generalibus.

Animaduertendum tamen est.

c.141.&346. P. Communes societati defectus dici posse tunc etiam cum multi (nedum omnes) in eos prolapsi fuerint, vel probabuntur, teste ipsomet P. Claud. in lit. de sollic. & vigil. super.

2. Cum multi sunt vitiorum morbi, licet pauci e socijs singulis eorum laborent, tunc etiam societatis corpus non posse dici vegetum, ac sanum.

3. Non narrari similes defectus tempore sancti Ignatij, & P. Iacobi Laynez secundi soc. Generalis illis, qui à tempore B. Francisci Borgiæ Tertij Gen. recensentur.

4. Haud dici posse his omnibus malis, quæ enumerata sunt, remediū fuisse allatum; imo videri posse licet medicina nonnullis decreta fuerit, redditos fuisse non paucos etiam grauiores teste experientia. Hoc quidem magis innorescet ex Decretis, quæ condet Congregatio Generalis, cogenda ad electionem noui Generalis post obitum Pat. Vitelleschi.

5. Licet affirmaretur redditum fuisse pristinæ sanitati societatis cor-

pus; hinc tamen non poſſe argui, quod in morbos non inciderit; imo potiùs contrarium euinci.

6. An mala, quæ certo tempore enumeratur fuiſſe in ſocietate, his etiam tẽporibus eam premant, ſiue omnia ſiue nonnulla, vel an quoque reddita fuerint grauiora, ſicuti etiam an in alia inciderint, patere quidem ſocijs maximè, ac illis præſertim, qui antiquiores ſunt in ſocietate; Externorum autem notitiam quoque eorum non fugere, neq; enim omnia intrinſecus latent, vel etiam latere poſſunt.

PARS QVINTA.

In qua recenſentur illa, quæ afferri poſſunt vt Cauſæ, propter quas deficere potuerit Primigenius Spiritus in Societatis Ieſu Religioſis;

Depromptæ ex horum Religioſorum Libris &c.

Cauſæ, propter quas à Maiorum ſuorum ſpiritu deficere potuerit recentiores Societatis Ieſu Religioſi, colligi poſſunt ex eorum editis Libris. &

P.

EX Conſtitutionibus; ſed præſertim ex p. 10. vbi agitur de modo, quo conſeruari, & augeri totum Corpus Societatis in ſuo bono ſtatu poſſit; & ex p. 8. in qua agitur de ijs, quæ conferunt ad eorum, qui diſperſi ſunt, cum ſuo Capite, & inter ſe mutuam vnionem; peculiariter hæ depromi queunt,

P. Quòd minus momentum re ipſa duxerint Socij conſtitutum in virtutum ſolidarum, ac perfectarum, ac ſpiritualium ſtudio rerum, quam in doctrina, vel alijs donis naturalibus, & humanis p.10.§.1.

2. Quòd media naturalia non addidicerint socij, & exercuerint ſincerè ad ſolum Dei obſequium. §.3.

3. Quod ſocietas profeſſa non curauerit totis viribus Scholaſticos in Collegijs inſtituendos in perfectione vitæ. §.4.

4. Quòd ſocietas non laborauerint in ableganda procul longè omni ſpecie auaritiæ, nullum ſtipendium, nullamq; eleemoſinam admittendo, qua videatur compenſari miniſterium vllum ſocietatis, & maximè ſpirituale. §.5.& p.6.c.2.§.7.& in lib. Ord. Ge. c.2.n.14.

5. Quòd profeſſi cœperint ambire prælationes in ſocietate, per quas licet in foro exteriori iuridicè probari non poſſet ſociorum ambitus, indicari tamen poſſet ſuppoſitis circũſtantijs eorum præl. cupiditas. §.6.

6. Quòd ad probationem admissi fuerint homines inepti ad Institu-
§.7.& p.1.c.1.§.2.& 4.& p.2.ca.1.L.B.& C. tum, & non dimissi illi, qui probationis tempore minùs idonei fue-
runt inuenti.

7. Quòd fuerit facilitas ad admittendos aliquos in scholasticos ap-
probatos, & coadiutores formatos; nec selectis hominibus huiusmo-
di gradus collati.

§.7.& p.c.1.§.2. 8. Quòd fuerit apertum ostium ad admittendos aliquos in profes-
sos, in quibus à Constitutionibus requisita non apparebant.

§.8.& p.4.c.10 §.4.& 5.& p 9.c.2. 9. Quòd in superiorum electione non fuerit, habitus sufficiens dele-
ctus, nec habita eorum maximè ratio, quæ requirunt Constitutiones
ad hoc vt quis censeatur aptus ad prælationem.

10. Quòd mutua Caritas non fuerit custodita, mutuusque amor ser-
§.9.& p.8.§.9.8.3.& 5. uatus, quem crebra communicatio, & rerum mutua notitia, eadem
doctrina, & in omnibus tum interioribus, tùm exterioribus, quan-
tùm fieri potest, vniformitas nutrit, & qui in primis habetur ex obe-
dientiæ vinculo. In qua virtute, si iuxta Constitutiones, qui primùs in
Societate tenuerunt, bono sui exemplo alijs non præluxerunt vniti o-
p.8.c.1.§.3. mninò cum suo superiore, & promptè, humiliter, & deuotè ei obedien-
do, magnum quidem detrimentum hinc Societati illatum fuisset;
quod idem euenisset, si iuxta Constitutiones non diligentissimè fuis-
p.8.c.1.§.5. sent à Societate separati illi, qui visi fuissent auctores diuisiones, vel
dissensionis sociorum inter se, vel cum suo Capite.

11. Quòd multum potestatis detractum fuerit immediatis superio-
p.10 §.8.& p.4 c.c.10.§.4. ribus propter frequentem illius abusum; cum tamen Constitutiones
velint, vt omnes superiores ad bonum omnia possint; quo enim ma-
gis inferiores à Superioribus pēdebunt, eò meliùs amor, obedientia,
atque vnio inter eos seruabitur.

12. Quòd superiores non habuerint Ministros, Officialesq; idoneos
p.10.§.8. ad ordinationem, & executionem rerum, quæ spectant ad eorum
officium.

13. Quòd ocium habuerit in societate locum, quod in Constitutio-
p 3.c.1.§.6.& p.4.c.10.§.6. nibus appellatur omnium malorum origo, nec superiores de illo fu-
gando laborauerint, contra id quod eadem Constitutiones præci-
piunt.

14. Quòd parùm curæ fuerit in conseruando amorem, & caritatem
externorum erga societatem, & præcipuè Magnatum: vel, si id cura-
p4.10.§.11.v L.B.in fin. tum fuerit, non id tamen præstitum fuerit sincerè ad hoc vt aditus
ad diuinum obsequium, & animarum auxilium aperiretur: Volunt
quidem Constitutiones enitendum conuenientibus rationibus, vt
malè affecti erga societatem in amicitiam redeant, vel certè aduer-
sarij non sint, non timore contradictionum, vel quod asperius quid-
quam socijs inde posset accidere, sed vt per huiusmodi hominū bene-
uolentiam magis in rebus omnibus Dei obsequiū, & gloria crescat.

15. Quod

15. Quod in primis non laborauerint socij à multis ab hinc annis de conseruanda beneuolentia Sedis Apostolicæ, cui tamen peculiariter inseruire debet Illa autem beneuolentia conciliatur obseruando, ac tuendo Apostolicam Sedem, Romanique Pontificis auctoritatem, ac illi exactè obediendo. Si qui autem adulatorijs quibusdam siue Vrbis, siue factis, beneuolentiam Romani Pontificis captare voluissent; vel in minimis obedientiam in Apostolica Decreta præsetulissent, in maioribus illam violantes; vel se immunes ab Apostolicis p.10.§.18.
Constitutionibus contra Pontificum mentem existimassent; vel ad propria tantùm commoda aliorum præiudicium nihili facientes Sedis Apostolicæ beneuolentiam sibi conciliare studuissent &c. hi re vera à spiritu societatis proprio, ac primigenio ad id impulsi non fuissent.

16. Quod fuerit, reque ipsa comprobata fuerit animorum inter ipsos socios propensio ad partem alterutram factionis, quæ extitit inter Eodem §.13
Principes, vel Dominos Christianos; nec fuerit quidam vniuersalis amor, qui partes omnes (licet sibi inuicem contrariæ forent) in Domino nostro amplexus fuerit.

17. Quod non fuerit in socijs moderatus, & prudens vsus gratiarum §.12.
per Sedem Apostolicam concessarum, solius auxilij animarum fine sincerissimè proposito.

18. Quòd paupertatem, quæ est munus Religionis firmus, Religionumque propugnaculum in sua puritate conseruare non studuerint p.10. initio §.5. & p.6.c.2.§.1.
socij.

19. Quò retenti in societate fuerint homines deprauatis moribus, vel in quibus apparebant causæ, propter quas quemlibet etiam Professum dimittendum esse à societate Constitutiones statuunt. p.18. §.7. & p.2.c.2.

20. Quòd non solùm superiorum Consultores non fuerint Viri prædicti prudentia, & probitate, siue (vt habet Greg. 14. in Bulla de Instituti Confirmatione edita anno 1591. die 28. Iunij) Viri inter socios ipsosmet selectiores; verum etiam superiores cum ijs non contulerint difficiliora, & quæ maioris momenti. p.4.c.10.§.7. & c.17.§.1. & p.9.c.6.n.14.

2.°

Ex Epistola B. Francisci Borgiæ Tertij Præpositi Generalis de medijs conseruandi spiritum Societatis scripta anno 1569. mense Aprili, hæc deduci queunt.

1. Quòd maximæ socijs curæ non fuerit spiritum Constitutionum In Bu.n.178.
retinere in admittendis ad Societatem hominibus. *Nam si alia intentione procedatur, quam quæ à nostris Constitutionibus requiritur* (inquit hic P. Generalis) *certissimæ ruinæ porta aperietur. Sanè si nulla habita ratione vocationis, & spiritus, quo quisque impulsus accedit, litteras modò spectemus, & alia exteriora talenta, ac donaueniet tempus, quo se Societas multis quidem hominibus abundantem, sed spiritu, & virtute*

virtute destitutam mœrens intuebitur; vnde existet ambitio, & se se efferet solutis habenis superbia, nec à quo contineatur, & supprimatur, habebit. Quippe si animum conuerterint ad opes, & cognationes, quas ha-
n.53.& 54. *bent, intelligerent illi se quidem propinquis, & opibus affluentes, sed solidarum virtutum, ac spiritualium donorum copijs egenos, & vacuos. Itaq; hoc primum esto consilium, & in capite libri scribatur, ne tandem aliquando experientia doceat, atque vtinam nondum docuisset, quod mens demonstratione concludit.*

2. Quòd e Nouitiatu educti sint nondum maturi. Ex *bono namq; no-*
n.54. *uitio* (ait hic B. Generalis) *bonus existit Scholasticus*; atque *ex eius culturæ negligentia sæpe contingit quod ædificijs euenire solet, quæ si firmis careant fundamentis, repente corruunt; vndique cũ ipsis omnes sumptuum expensæ pereunt. Alterum enim ex duobus sequ tur, aut vt Nouitius postquam Scholasticus euaserit, & litteris animum excoluerit, discebat à nobis; aut si maneat, cum neque sit ipse firmiter ædificatus, neque alijs ædificationi, parum quoque Religioni vtilis sit futurus.* Vult autem idẽ B., *Vt Nouitius*, antequam e Nonitiatu discedat, sit benè munitus, & in-
n.56.& 57. structus Caritatis, obedientiæ, humilitatis, ac patientiæ præsidijs, quibus comes sit voluntas efficax se despiendi, & vsque ad mortem consequendi Christum Crucifixum ad Dei gloriam, & proximorum salutem; & præclarè in religiosa simplicitate sit informatus, antequam litteris, & doctrinis imbuatur; scientia enim inflat, & ab ea, eiusque argumentis emanant sui existimatio, iudicium proprium, opinionum diuersitas, & quod deterius est, inter condiscipulos, atq; adeò inter Patres, Fratresque diuisio; ac præterea sentiat se in suis defectibus examinandis facilem, & bene versatum, antequam ad alienos perspiciendos, & notandos descendat.

3. Quòd Scholastici insatiabili quadam studiorum voluptate abrepti nullam temporis partem spirituali profectui ex ipsis colligendo tribuerint. *Neque verò aliam ob causam* (verba sunt eiusdem Beati) *disciplinas sectari debemus, quam vt per eas clariùs cognoscentes Conditoris nostri magnitudinem, bonitatem, sapientiam, illum vehementiùs, & diligentiùs diligamus.* Et post nonnulla subditur. *Eum scholasticum, qui submissionis, & despicientiæ sui loco propriæ inhiat opinioni, & existi-*
n.57.& 58 *mationi, verè dixerim, non capire quæ audit, plùsq; didicisse, quàm didicit.* Addit verò; *A b Scholastico in arena fundato expectari aliud non posse, quam exurgentibus ventis ambitionis, & vanitatis haud dubiè ruiturum. Atque hinc nascitur mentis inquietudo, quæ alijs fastidio sunt, & perturbationi, dum pacem Domini in se ipsis non reperiunt. Hinc etiam oriuntur querimoniæ, obmurmurationes, dissidia nationum, discordiæ non modò inter Fratres, sed quod grauius est, ab ipsis suis Superioribus, quòd eos in postremis habeant ad officia, gradus, aliaque similia.*

4. Quòd Socij ignorauerint, quid sit Professionem edidisse, si eam ad hono-

honores, & dignitates, ad quietem, & otium, atque ad ampliora priuilegia falſa pietatis dimulatione detorſerint. *Idcirco enim* (ſcribit hic Beat.) *Profeſſio eſt inſtituta, vt in Vinea Domini alacriter operam ſuam quiſque ponat; ſitque ad obedientiam, ſubmiſſionẽ, humilitatemque paratior; proximorumque neceſſitatibus ſubueniat, illiſque perfectionis virtutis præbeat exemplum &c.* c.4 58.& 59

5. Quòd Socij in meditationibus, maximè Chriſti Crucifixi, alijsq; pijs exercitationibus minùs ſe exercuerint. c.61

6. Quòd ſocij non præſtiterint ea, quæ continentur in Epiſtola de Obedientia à B. P. Ignatio conſcripta. c.63.

7. Quòd animum ſubierit ſollicitudo bonorum temporalium immoderatior, propenſioque cupidior, quam probari poſſit hominibus externis, & ſæcularibus &c. c.63.

8. Quòd ſocij non ſibi perſuaſerint per vota Deo nuncupata ſemel mortuos eſſe. *Nos autem mortuos eſſe in Chriſto* (ſubdit idem B.) *hæc ſigna teſtantur, ſi non videamus, non ſentiamus, non reſpondeamus: vt qui oculos habeat apertos, vt aliena facta dijudicet; reſpondeat etiam facilè, & contradicat ijs, quæ ab Obedientia iniunguntur; doleat, ac conqueratur, ſi quando ſuorum defectuum commonefiat, argumento ſit certiſſimo, cum nondum eſſe mortuum, ſed plane viuere cupiditatibus ſuis, oblitum eius propoſiti, quod principio ſuæ vocationis arripuerat.*

9. Quòd obliti fuerint antiquæ ſimplicitatis, ac humilitatis in admittendis admonitionibus, ac correctionibus *Quod ſi dolor* (inquit hic B. Generalis) *aut perturbatio, aut etiam abalienatio pro gratia ſuccedat, in horum, & quidem grauiſſimorum detrimentorum alterum neceſſe eſt incurramus, vt vel nullo nos monente, ac corrigente, vitia in nobis altiores agant radices; cum nemo ſit, qui eiuſmodi infirmo, correptionis impatienti, audeat adhibere medicinam; vel ſi adhibebitur, cum ea recipiatur ſtomacho indignabundo, & amaro animo, facilè impleatur domus tota felle, & amaritudine propter illos, qui vt minùs perfecti neque admoneri volunt, neque corrigi.* c.4.65.& 66.

10. Quod propriam voluntatem nõ abnegauerint Socij, & interiorem mortificationem non fuerint amplexi. *Verendum porro, eſt* (ait idem B.) *ne harum rerum incuria graue damnum afferat Societati: idemq; ipſi contingat, quod vineæ, quæ ſuis temporibus non putatur, quam ſteriliſcere, & interire paucis annis videmus, nequo vuas ferre, ſed in palmites & ſarmenta ſiluescere.* Ita plane apud nos, *ſi qui animum ad commoda ſua vehementiùs adiunxerint; periculum eſt, ne mortificationis obliti pro racemis ſarmente proferant, quæ ad nihilum valeant, niſi vt in ignem mittantur.* c.67.

11. Quod non dederint operam, vt Deum ſemper præſentem haberent. *Et verò* (inquit hic B. Generalis) *cum mihi in animum ſubueunt dona, & virtutes B. P. N. Ignatij aliorumq; Patrum, qui primitias* c.67.& 68.

quodam-

quodammodo fuerint Societatis, cum omnia sua sic agerent, & decernerent perinde ac si præsentem Deum intuerentur, sic afficior intimis sensibus, vt nihil malim, quam ne tantorum donorum, tantarumq; virtutum, quas Societati capit Deus impertiri, copiosus imber culpa nostra resideat.

12. quod non conceperint Socij ab hominibus despici, nec conculcauerint fumum vani honoris, atque existimationis propriæ: Vnde
c.68.& 69. idem B. scripsit: *licet autem hæc Societatis nostræ Vinea, quæ sicut principio scripsi, extendit palmites suos vsque ad mare, iam protulerit & frondes, & flores, nec racemi desint; hoc tamen expectatur, vt vinum copiosum fundat, cuius causa vinea omnis conseritur; idque vt fiat, vuas necesse est in torcular* inijci, *& calcari. Hoc forsan nobis fratres carissimi deest, quod non gustemus, neque cum voluptatis sensu optemus calcari, premi, contemni, vt optatæ consolationis, atque exultationis vinum proferatur.*

13. Quod non fuerit continuò ante oculos sociorum illud Apostoli, *Videte vocationem nostram fratres*: nec quisque etiam atque etiam cogitauerit, quantum deberet vocationem suæ, & quid ab eo gratia illius exposceret: *in dictis, factisque omnibus circumspexerit, an dici,*
c.69.& 70. *fierique debuerint ab eo, qui in Societatem sit adscriptus.* Suadet autem Beat. Borgia, vt Sociorum quisque omnia metiatur ad hanc mensuram; nam ex hoc fiet, *vt ipse sit in locutione modestus, honestus in conseruatione, assiduus in ædificatione proximi prudens, & Sanctus in operationibus suis, potens in reuocandis hominibus a peccato, ardens, in tolerandis pro Christo, & eius Ecclesiæ laboribus, ac demum vnus ex ijs quos Constitutiones nostræ informant, atque instruunt* &c.

14. Quod Socij contenti fuerint sola *lectione eorum, quæ Constitutio-*
c.80. *nes præscribunt*, & *admiratione Spiritus, atque ordinis, qui in ipsis elucet, & non multò magis incubuerit in obseruationem, cum tamen ab hac sola pendat fructus Spiritualis, & progressus, quem omnes* (inquit B. Generalis) *optamus.*

3.°

Ex Epistola P. Euerardi Mercuriani vnius e nouem Socijs S. Ignatij, & quarti Præpositi Generalis Societatis ad Superiores eiusdem Societatis in *quatradit illis monita ad rectam Gubernationem, horum monitorum inobseruantia colligi potest, tanquam causa. Inter cetera autem voluit, vt Societatis Superior.*

c.72. P.° Non parum in edomandis animi perturbationibus profecerit.

c.72.& 73 2. Quod quamuis subditi ab exacta obedientiæ ratione deficiant, ad huc tamen amanter tractet illos humanæ imbecilitati compatiens, adhibita tamen sollicitudine, & diligentia.

c.73. 3. Ita se gerat, vt subditi intelligant, quidquid Superior agit, Christi causa, cui obedire debet, ipsiusque Instituti, & ad maius ipsorum bonum facere.

4. Amo-

4. Amorem aduersus omnes æqualem nullo discrimine significet, ita vt si necessitas postulet eum pro officio quempiam admonere, reprehendere, aut pœnitentiam iniungere; id semper æstimetur fieri amoris ergo; caueatque ne subditis occasionem præbeat suspicandi, quod de ipsis malè sentiat, aut diffidat; magnopere enim hæ suspiciones minuunt reuerentiam, & amorem erga Superiores, & spe abiecta recuperandæ ipsius gratiæ manent in suis vitijs absque curatione. c.73. & 74.

5. Imperfectorum etiam quomodolibet (non omissis ideo debitis disciplinæ modis) ostendat se spem bonam concipere futuræ emendationis, nec se præteritorum esse memorem. c.74.

6. Caueat artificij humani vsum erga subditos, vnde ipsi conijcere possint Superiorem aliquid ambiguè loqui; id enim adimit fiduciam subditorum, & cum hac arte nequit stare vnitas, & mutuus amor, ac reuerentia. c.74.

7. Sciat, qualem omnem Societatis familiam, nec nō qualem vnumquemque interiùs esse deceat: quandoquidem societas exteriore disciplina contenta non est sed dispositionem maximè & culturam animi interiorem intendit. c.75.

8. Nouerit ad exteriorem disciplinam conseruandam omnes Regulas cùm Communes, tum peculiares officiorum, atque ministeriorū. c.76.

9. Sciat, quibus difficultatibus cuiusque officij sit implicata functio, easque primò apud Deum sedulò discutiat, tum apud suos Consultores, vt conuenientia cuique auxilia dentur, & vniuersi suauiter iugum ferant. c.75. & 76.

10. Curet vt singulis quod sciunt, promptè exequantur, adeoq; animentur ad id amplectendum, & suppeditet quicquid muneri bene obeundo faciet. c.75.

11. Videat frequenter, quo pacto subditi rem gerant, quem modum in obseruandis Regulis sequantur, instruendo, admonendo, reprehendendo per se ipsum, aut alium, quo dirigantur, animentur &c. c.75.

12. Sciat qualis quisque e societate esse debeat, & hanc notitiam petat à Regulis, & Constitutionibus ea de re tractantibus, & nominatim ex Regulis *Summæ Sapientiæ* & libello exercitiorū B. P. Ignatij. c.76.

13. Sit re ipsa peritissimus disciplinæ interioris, quæ potissimùm complectitur cognitionem eorum, quæ abneganda sunt, affectumque ipsorum penitus exuendi, ac studium comparandi virtutes necessarias Societatis ministeria tractaturis. c.76. & 77.

14. Curet vt subditorum quisque norit, qualis interius esse debeat explicationibus Regularum, publicis aut priuatis instructionibus, exhortationibus, alijsque rationibus in Societate vsitatis. c.77.

15. Quātò certius est sine hac disciplina interiori nullum profectum sperandùm esse; tantò diligentiùs subditorum animos inflammet, dirigat, confirmet, eiusque disciplinæ desideria aptè foueat. c.77.

16. Videat Sedulò, quam quisque viam in executione disciplinæ inte-
c.77. rioris teneat, quid & quantum iu vnoquoque desideretur, seu ad tollenda impedimenta virtutum, seu ad vires, & arma conquirenda.
c.78. 17. Vt erunt difficultates, ad Deum recurat, magnoque studio radices, & causas in singulis inuestiget, inquiratque remedia nunc vini, nunc olei his malis necessaria.
c.78. 18. Sit sollicitus, vt singuli tam suarum imperfectionum, causarumque notitiam habeat, quam remediorum conuenientium.
c.78. 19. Incumbat in rectam animorum dispositionem, vt omnia adiumenta, ac remedia, ex animo admittere, & compleсti possint subditi.
20. Plurimùm in Domino confidat &c.

4.°

Ex Epistola P. Claudij Acquauiuæ Quinti Prapositi Generalis Societatis scripta anno 1581. *die* 28. *Iunij ad Superiores Societatis; in qua cum agatur de illis quæ per omnem modum ad felicem Societatis progressum pertinent, deduci possunt etiam causæ, quæ reddere potuerunt statum Societatis infelicem: & hæ nominatim.*

P.ª Quod Superiores subditis tanquam filijs Patres, matres, nutrices medicos, denique omnia omnibus non se exibuerint: etenim cum subditus sibi suadet se à Superiore diligi, si currit bene, quis nesciat, quãtus ei addatur animus exhortatione Superioris, ac laude? Cum reprehenditur, si id intelligat ex amore prouenire, *dolere fortassis potest* (inquit P. Claudius) *exulcerari non potest*. Si à superiore instruitur, à quo se diligi putat suscipiet instructionem lætus, non vt murmuret, sed vt faciat quod monetur (sin contraria opinione imbutus sit, quod
n.85 & 86 alioqui cibus est vertitur in venenum) si tentatione pulsetur, securus in manu matris deponit spiritum; & manifestè apparet non aperiri medicamento ianuam, sed occludi, cum Superior suspicandi causam præbet, vel se minùs diligere, aut malè sentire, aut sperare de filijs. *Atque hanc, quam dico fiduciam, Patres carissimi* (subdit idem P.) *non credere debemus in ipso necessitatis articulo in subditos gigni posse, licet tunc amantissimis verbis eam efficere conemur; sed necessarium est prætèrito tempore varijs occasionibus, ac beneficijs, tum ostendendo curam etiam corporalium illius necessitatum, tum familiariùs cum ipso agẽdo, tum denique alijs rationibus apud eum, & alios communiter hanc amoris opinionem collectam esse demonstrando &c.* Deinde addit; *Ad subditorum voluntates conciliandas, & suauiter gubernandas in primis necessarium esse, vt quis in gubernatione non modò aliorum partes deponat, ne aduerti possit Superior esse Pauli, aut Apollo, sed se ipsum exuat, & propriũ spiritum Societatis induat; quem & in Cõstitutionibus expressit, & viuis exemplis ostendit Sanctæ memoriæ R.P.N.* &c.

2. Quod singulari diligentia, atque industria circa ea, quæ ad orationis, & meditationis studium pertinent, Superiores non vigilauerint;

rint; vel omni diligentia non curauerint, vt non solùm præscriptum tempus meditationi impendatur, sed vtiliter impendatur, & in eo toto vitæ tempore vigilent. *Neque enim video* (inquit P. Claudius) qua *ratione possint Societatis homines huiusmodi sumptus Spirituales habere, si non ab initio eum sibi habitum quæsiuerint, & deinceps sine intermissione exercendo retinuerint*. Quod si qua Religio est, cui meditationis familiare studium pernecessarium sit, & prompta quædam facultas in Deum subinde euolandi, ea certè nostra est, vt non modò ex ijs, quæ dicta sunt, facilè cernitur, sed etiam ex alijs, quæ nostram Instituti formulam comitantur. Cum *enim certis de causis nostra ratio Chorum* reiecerit, ac *perinde vt occasio tulerit, per partes, & loco sæpe incommodo, Diuinum nobis officium recitandum sit; atque insuper vita nostra inter sæculares, in medijs distractionibus, & occupationibus exerceatur; in mari, in terra, in carceribus, hospitalibus, & quod ijs, difficilius est, in aulis Principum, cum necessitas, aut caritas id postulat; quid nobis erit, si non omnia hæc, quasi spiritualia detrimenta vnius orationis compendio resarcire conabimur?* ca.87.& 91.

3. Quòd subditi in diligentem. Regularum obseruationem non incubuerint, quasdam neglexerint Regulas, quòd haud ita magni momenti visæ fuit, circa quasdam seriò sensus, atque iudicij proprij mortificationem non curauerint, & defixos non habuerint oculos ad normam, quæ societatis Regulis & Constitutionibus continetur, id sibi persuadentes non modo necesse fuisse, vt spirituales homines fierent, sed etiam vt tali forma, ac talibus instrumentis. *Nec dubium* (inquit P. Claudius) *quin proposita nobis illa B. P. Ignatij specie pulcherrima, quam suis ipse coloribus in Constitutionibus depinxit, dum quisque nostrum studet illi similem formare, augeatur in nobis non solùm cuiusq; perfectio, sed vnio etiam, & conseruatio totius Societatis.* c.92.93.96.98.& 99.

4. Quòd superiores maxima sollicitudine non prouiderint, vt subditi iuxta Diuinæ voluntatis præscriptum, & vocationis gratiam ad summum, & absolutum virtutis gradum peruenirent; atque adeò non curauerint in primis, vt omnes de medio tollerentur occasiones, quæ cursum impedire potuerunt, ac retardare, *cuiusmodi sunt sæcularia præcipuè negocia*: & specie quidem falsæ vtilitatis vel pietatis decepti, siue etiam pusillanimitatis spiritu omnia metiẽtes, exquisitam Regularum obseruantiam non exegerint. *Et tamen cum videamus* (subdit hic Generalis) *extra septa nos versari*, ac *proinde in magno, ac certo esse periculo, audendum est aliquid in Christo pro Societate*, & *magis Instituti nostri gratiæ Diuinoque auxilio fidendum, quod nos & seruauit incolumes, & praua in directa, & aspera ponet in vias planas, si à primo illo, germanoque Societatis spiritu nos diuelli non patiamur*. Præmiserat autem, ita verum esse ac certum, quod superiores vocationis gratiæ plurimum nisi deberent, vt *hoc vno quasi cardine tota Societas*, ca.100 102 & 104. c.101.

cietas, eiusq; gubernandæ, & administrandæ ratio consisteret.

5. Quòd in exigenda disciplina, & in correctionibus modum non
c.107.& 108 adhibuerint Superiores, & in correctionibus, quod ad ordinem, & modum attinet, non habuerint præ oculis, quæ in tertia Constitutionum parte B. P. Ignatius docet, quæque superioribus in suis Regulis præscribuntur.

6. Quòd Superiores Politicum gubernandi modum, siue innixum naturali lumine & humanæ sapientiæ principijs amplexi fuerint, non
c.109.c 110 verò innixum altioribus principijs, & lumine diuino; qui *Scilicet in mortificationibus quæ honorem, ac proprium iudicium conuellũt, pugnant que contra sensum, & naturalem propensionem nostram subditorum abnegationem strenuè exercet, & efficit, vt quisque tum quid sibi desit, experientia discat, tum etiam contendat modis omnibus, vel id acquirere, quod nondum habet, vel quod iam acquisiuit, studiosiùs conseruare.*

c.113.c 117 7. quod Superiores non laborauerint in conseruanda mutua vnione, & caritate, atque in eliminandis priuatis quibusdam amicitijs.

8. Quòd ministerium docendæ Christianæ Doctrinæ non sollicitè, ac
c.118. vehementer amplexi fuerint Socij.

9. Quòd in Confessionibus, in quibus fructus & consolatio proximorum spectari debet, in id potissimùm non imcumbuerint socij, vt ijs sucurrerent, qui maiore necessitate spirituali premerentur, & in-
c.118. sumpserint tempus exiguo admodum fructu, cum alibi suppeteret, in quo cum maiore Dei gloria, maiorique laborantium animarum vtilitate industriam potuissent impendere.

10. Quòd concionatores adulterauerint verbum Dei, non annun-
c.118.c 119 ciantes contra antiquum, germanumque societatis modum ea, quæ aut ad pœnitentiam prouocare, aut Christum in cordibus audientiũ formare potuissent; & Superiores eos, qui in concionandi munere ad Societatis Institutum, vt videlicet in spiritu, & fructuosè id facerent, sese componere aut neglexerunt, aut nescierunt, ab eo ministerio non remouerint.

11. Quòd Superiores eos ad Missiones mittendos curauerint, quos
c.120. minimè oportebat.

c.120. 12. Quòd omnes functiones, omniaque opera in formula Instituti societatis, litterisque Apostolicis comprehensa profunda meditatione non ruminauerint socij, nec ardenti desiderio flagrauerint societatis vocationi respondendi.

5.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij de Renouatione spiritus ad vniuersam Societatem scripta anno 1583. die 29. Septembris hac causa deduci potest, quod in Renouationem spiritus identidem diligenter non incubuerint Socij, licet inueteratus ille fuisset: Vetustatis autem huius argumenta in socijs ista esse queunt inter cætera.

P. Otare

P. *Orare, ac meditari Diuina sine sensu animi, atque fructu.*
2. *Aegrè se colligere, & ad cor redire.*
3. *Cogitata, dicta, factaque sua sine pudore, ac proposito emendationis cursim examinare.*
4. *In Res externas libenter effundi, iamque non proximi iuuandi gratia, sed tædij vitandi solatiola à rebus creatis cupidiùs mendicare.*
5. *Liberiùs obloqui, & aliena dicta, ac facta carpere.* c.116.
6. *Religionis Disciplinam leuem olim, ac suauem iniquo animo ferre.*
7. *Ad otium aspirare.*
8. *In animarum zelo languere, laboresque earum causa suscipiendos, qui dulces olim erant, acerbos ducere.*
9. *Aegrè, tardè, repugnanter obtemperare.*
10. *Honorificè ab omnibus, indulgenterq; tractari velle.*
11. *Immunitates, & commoda singularia postulare.*
12. *In animum inducere, se laborare plus æquo, nihilque esse, quod non sibi debeatur.*

6.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij de Perfectione, & caritate fraterna ad vniuersam Societatem scripta anno 1586. die 19. Maij hæ causæ deduci queunt.

P.ª Quòd vnusquisque socius non solerter attenderit, ne suo vitio in reliquum omne societatis corpus aliquid redundare periculi posset, nec sedulo animaduerterit totius Societatis corporis robur, ac valetudinem cum statu cuiusq; partis implicitam esse & cohærere. c.167.c.169

2. Quòd non expurgarint socij penitus, abiecerintque ex animo, velut pestes, parum beneuola inter se nationum studia, aliaq; id genus, non præstantes reipsa, quod B. Ignatius p.3.c.1.§.26. commendat; *Crebrò, inquit, admoneantur, vt in omnibus quærant Deum, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, vt affectum vniuersum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, iuxta sanctissimam, ac diuinam ipsius voluntatem. Quæ cum ita sint* (subdit P. Aquauiua) *non obscurè intelligitur, quantum à recta via aberrent, qui priuata quadam communione, vel generis, & consanguinitatis, vel consimilis naturæ, ac morum, vel gentis, aut patriæ, abduci se sinunt ab eo nexu, atque animorum coniunctione, quæ inter nos esse debet.* c.171.c.172 c.173.

7.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij ad Prouinciales Societatis de quibusdam Medijs ad eius conseruationem facientibus scripta anno 1587. die 28. Martij hæ causæ deduci queunt.

P.ª Quod Superiores contempserint, ac neglexerint defectum spiritus, ac disciplinæ in aliquibus particularibus: nam nisi per medicinam reducatur pars infirma ad reliqui corporis conditionem, *futurum est* c.192.

rum est sine dubio (inquit P. Claudius) *vt quemadmodum numerus ex vnitatibus coalescit, ita negligentia nostra Societatis multitudo ex singulis istis infirmis infirmetur, & prius damnum sententiamus, quàm occulis prauideamus.*

2. Quòd primum, maximumq; Superiorum studium, ac præcipua eorum diligentia, tum etiam vigilantia in eo non fuerit, vt qui ijs subc.196. sunt, in veris, solidisq; virtutibus progressum certum, stabilemq; facerent; nec toto animo Superiores ad gubernationis curam se applicuerint *reliquis omnibus omissis, quæ eos impedirent, ac detraherent*, & sese vel amicis inuisendis, vel iuuandis proximis, vel concionandi frequentia occupari permiserint.

3. Quòd Rectores ita grauati fuerint, atq; oppressi rerũ temporalium
c.196. sollicitudine, vt vix respirauerint.

c.198. 4. Quòd Superiores non electi fuerint tales quales describuntur p.4. c.10.& p.9.c.6.

5. Quòd prouinciales in visitationibus supra cætera omnia id in primis non respexerint, vt Superiores bene fungerẽtur officijs suis præsertim in rerum spiritualium promouendo studio: nec subditorum in
c.199. Superiores querelas, vel amaritudines examinauerint, vt ipsis etiam adhibeatur correctio, & emendatio in quibus erit opus. *Nec babeantur* (Sic scribit hic P. Generalis) *omnes subditorum querelæ pro tentationibus, sed audiantur cum caritate, ac deinde, vt opus est, in Domino dirigantur.*

c.199.c.200 6. Quòd maxima diligentia non fuerit adhibita in constituendis Præfectis rerum spiritualium in ijs Collegijs præsertim, in quibus educantur Iuuenes in litteris.

c.200. 7. Quòd admissi fuerint inter Nouitios minùs digni, & idonei, & qui non haberent huiusmodi vocationem, quæ ad Instituti Societatis constantiam necessaria est.

8. Quòd non perfectè obseruata fuerint tradita de Nouitiorum Pro-
c.206. batione in Regulis Magistri Nouitiorum; nec maturè dimissi ij, qui secundum Constitutiones vtiles futuri Societati non fuerunt iudicati.

c.200.c.201 9. Quòd non omni modo curatum, vt in scholaribus societatis conseruaretur spiritus, ac deuotionis feruor; & *permissum, vt in litterarum studijs progrederentur superbi, Inquieti, aut male mortificati.*

c.201.202. 10. Quod non maturè dimissi Scholastici (adhibitis tamen priùs
c.283. aptis, conuenientibusque remedijs) in quibus veri spiritus signa non apparebant &c.

11. Quòd non adhibita diligentia, vt obseruarentur ordinationes ac Regulæ aliàs ab eodem P. Claudio datæ ad conseruationem spiritus
c.284. concionatorum; & ad fructus in auditoribus vberiores faciendos: nec seriò concionatores se tradiderint studio, ac meditationi Diuinarum Scripturarum, Sanctorumq; Patrum, *prætermissis conceptibus, ac*

inuentio-

inuentionibus, quibusdam proprijs minoris momenti, vt maiori cum dignitate, ac vtilitate non solùm Societatis, ac proximorum, verum etiam ipsorummet, rectè tractarent verbum Dei.

12. Quòd non amputata efficaciter fuerit ambitio locorum, ac pulpitorum honorabilium, humiliumque contemptus. c.204.

13. Quòd confessarij vero animi affectu se ad tam sanctum, ac necessarium in Ecclesia Dei ministerium non se accinxerint. c.204.

14. Quòd non posita efficacia, vt per aliquot menses Confessarij in varia loca fructificatum irent, & maximè si perspectum fuisset eos nimio affectu huic loco officiove inhærere. c.204.c 185.

15. Quòd seriò Nouitijs non inculcatum quod pertinet ad resignationem, indifferentiamque ad omnia Societatis ministeria, & præcipuè id quod Constitutiones habent de Graduum intes socios diuersitate. c.206.

16. Quòd Prouinciales iuxta Instructionem non admonuerint tempestiuè Generalem, ac informationes miserint de promouendis ad Gradus. c.205.

17. Quòd dum aliquem, siue Scholasticum, siue operarium constitit habuisse nimis viuam passionem honoris, iudicij tenacitatem, aut aliud huiusmodi impedimentum graue, ab occupationibus illum nō liberauerint Superiores, tempusque concesserint cogitandi de se, suisq; rebus paternè illum monuerint, ac inuitauerint, vt ipse media cogitaret, ac proponeret, quæ efficacissima existimaret ad se iuuandum. c.207.

18. Quòd Prouinciales non procurauerint omninò, vt Ordinationes à Generalibus Missæ Superioribus, ac etiam Consultoribus manifestæ fierent. c.207.

19. Quòd Superiores, & Consultores cognitionem non habuerint Instituti; nec Prouinciales de recta Constitutionū intelligentia, veræque praxis ratione in Visitationibus Consultationes fecerint. c.207.c.208.

20. Quòd particulari studio non seruauerint Prouincialis 41. & 100. ex suis; Præpositus 3. 16. 26. 48. & 72. ex suis; Rector 2. 15. 25. 69. & 70. ex suis: Sacerdotes 16. 17. & 18. ex suis; Magistri Nouitiorum 56. ex suis. c.209.c 210.

21. Quòd non posita diligentia, vt qui antiquiores erant in societate, exemplum præberent alijs veræ humilitatis, & affectus optimi erga paupertatem, Obedientiam, suique contemptum. c.210.

22. Quòd permissum, vt iuuenes, ac noui obliuiscerentur modestiæ, ac reuerentiæ, quam antiquis Patribus exhibere debebant; nec curatum, vt Rectores eiusmodi benemeritos Patres sic in omnibus tractarent, quemadmodum eorum conditio, ac virtus postulabat. c.210.

23. Quòd Prouinciales seriò non inuigilauerint, vt superiores nullam inordinatæ beneuolentiæ in hunc magis, quam in illum significationem darent. c.211.

24. Quòd

24. Quòd superiores non intellexerint præcipuam officij sui partem
in eo positam esse, vt se Patres exhiberent: *Id quod subditi* (inquit P.
c.211. Claudius) *experiri debent, atque planè animaduertere, non tantùm in
suarum necessitatum, commoditatumq; cura, ac sollicitudine, alijsq; amo-
ris signis, verùm in ipsis etiam reprehensionibus, mortificationibus, ac
pœnitentijs, quæ sibi imponuntur.*
25. Quòd Superiores quauis in Causa subditos exulcerauerint, aut
exacerbauerint: Quod contrarium effectum emendationi producere
c.211.212.& tantùm potuit; *semper enim premere, neruumque stringere, semper of-*
213. *fensionem præseferre, parem etiam in imparibus, inęqualibusque peccatis
diffidentiam quoque ostendere, suspiciones alere, temporis præteriti com-
missa exprobare, ac denique desperationem emendationis insinuare, nihil
aliud est* (inquit P. Claudius) *quàm errantes pręcipitare, omne frenum
timoris disrumpere, & ipsas habenas, quibus regebantur, sibi ipsis de ma-
nu excutere.*
26. Quod non positum fuerit omne studium, vt radicitus euellere-
tur quicquid vnionem, ac fraternam caritatem offenderet. *Illud au-*
c.213. *tem in primis manifestum est* (ait P. Aquauiua) *propriam cuinsque exi-
stimationem, honorumque affectationem, inuidiam vbique, ac æmulatio-
nem gignere. Disparitas etiam iudiciorũ non potest quin animorum etiam
disiunctionem parturiat. Murmurandi consuetudo, & nimia loquendi li-
centia, qua nonnulli sine scrupulo in Fratrum suorum negotijs vtuntur,
venenum quoddam concordię habendum est.* Nec curauerint superiores,
vt violata fortè integritas istius vnionis, curaretur penitus; satisque
esse duxerint, tanquam fascia quadam plagam obducere ita vt ope-
riretur potiùs, quàm sanaretur.
27. Quòd non omnem diligentiam, industriamque adhibuerint so-
c.214. cij, quò errantes Animæ ad suum Creatorem reducerentur per illa
media, & caritatis opera, quæ in Societatis Instituti Formula, Consti-
tutionibusque describuntur.
28. Quòd in adiuuandis proximis Modum non tenuerint socij, qui
illorum vocationis proprius est. *Nam cum duo sint* (subdit P. Claud.)
c.215. ab Instituto nostro præscripta *auxilium nimirum proximorum, modus-
que iuuandi; sępenumero fit, vt nonnulli rem ipsam ab Instituto accipien-
tes, contemnãt eius agendi modum: id quod decursu temporis perniciosum
valde Societati nostræ esse posset. Diuus enim Bonauentura affirmat quæ-
stio. circa Reg. reg. gen. 19. Inter pręcipuas causas Religiones euertendi
extitisse nimiam externarum occupationum frequentiam, quæ, vt inquit
ille, corda distrabit, et omnem affectum deuotionis extinguit. Quo circa si
ipsi nos conseruare volumus, necessarium erit, vt & in modo agendi, &
in ipso etiam tempore moderationem adhibeamus. In agẽdi modo, quia in
ipsis etiam medijs occupationibus meminisse debemus cum Diuinę præ-
sentię, finisque qui nos ad occupationes illas induxit, tum Religiosę etiam*

Profes-

Profeſſionis noſtræ; & quid perſonam noſtram deceat; & denique earum omnium circumſtantiarum, quæ ad illud opus rectè præſtandum Regulis noſtris præſcribuntur &c. Subdit autem P. Claudius, vbi quoddam S. Auguſtini dictum protulit, *pacem, ac tranquillitatem in actionibus retineri, quando ex interiori colloquio cum Deo, tanquam armati, ac ſplendentes ex conſortio Dei, eximus ad quærendas animas ipſius gloriæ diuinæ cauſa. Ex quo facilè cernitur, quanta ſit orationis neceſſitas, & quantùm noſtra interſit diligenter, ac fructuosè facere, quod ex Regula quotidie facimus.* Præterea addit idem Pater, in ipſo tempore moderationem adhibendam, per quam tempus vacuum à negocijs concedatur, licet ſanctis, & vtilibus, quo reſpirent aliquantum ſocij, ac vires ſpirituales reſumant &c. c.117.e118.

29. Quòd eorum ratio non habita fuerit, quæ p. 10. §. 7. 8. & 9. dicuntur, & parui æſtimata quæ §. 11. habentur de retinendis externis ſocietatis amicis, ac reconciliandis ijs, qui vllo modo à ſocietate alieni fuerint. c.119.e120.

30. Quòd maximè non ſtuduerint ſocij, ne vllam ex parte ſua cauſam præberent, dũ vel cupiditatis, & auaritiæ nutum non effugerunt, vel aliquã occaſionẽ præſtiterunt, vt ſocietatis homines ſuperbos, aut arrogantes, vel negociorum ſæculariũ cupidos eſſe putarent, *quique in Principum aulas, & in omnia loca, & omnia negotia ſe vltro ingererent.* c.120.

8.°

Ex Epiſtola eiuſdem P. Claudij de Oratione, & Pœnitentia ad Vniuerſam Societatẽ ſcripta anno 1599. *die* 8. *Maij, hac cauſa deduci poteſt.*

Quòd non fuerint ſocij valde Meditationi, ac Pœnitentijs exterioribus dediti. *Niſi enim Diuinus Amor* (inquit P. Claudius, qui ante docuerat cum S. Thoma illum maximè excitari à meditatione) *& noſtri contemptus,* qui habetur præcipuè per pœnitentias, & mortificationes exteriores, *alias in animo noſtro radices egerit, ægrè Inſtituti noſtri leges, quæ ſpiritus fundamento ſtabilitæ mutuis ſe iuuant operis, illibata ſeruabuntur.* Dixerat autem ſuperiùs P. Aquauiua, haſce pœnitentias, ac mortificationes, tanquam media, & adiumenta non vulgaris vtique facultatis ad virtutes adipiſcendas, & perfectionis viam fideliter ex Regularum præſcripto emetiendam, ſemper à Dei ſeruis in omni Religioſorum familia, etiam eorum, qui ex animi ſui ſententia iuuando proximo totos conſecraſſent, adhibitas fuiſſe. *Nec eſt* (ſubdit P.) *Quod illis nos quaſi maiora exequẽtes anteponamus: quidquid enim de hac ætate ſentiendum ſit, exploratiſſimum eſt eos omnes in ipſis incunabulis, & naſcentis Religionis ardoribus, grauiſſimis occupationibus, cum inſigni ſanctæ Matris Eccleſiæ fructu, & gloria fuiſſe intentos.* Certè ſuppoſuit vt certum S. Ignatius p. 6. c. 3. §. 1. Profeſſos, & Coadiutores formatos tales *viros ſpirituales futuros, & qui ſic in via Chriſti Domini Noſtri profeciſſent, vt per eam currere poſſent, quantum corporis* c.145.e144

poris valetudo, & externæ occupationes Caritatis, atque obedientiæ permitterent; ideoque in ijs quæ ad Orationem, Meditationem, Corporalemque exercitationem ieiuniorum, vigiliarum, aut aliarum rerum ad austeritatem, vel corporis castigationem spectantium, nullam regulam eis præscribendam esse putauit, nisi quam discreta caritas vnicuiq; dictaret &c. Quare si Professi, & Coadiutores formati parùm orationi, aut pœnitentijs dediti fuissent, nec exactè obseruassent Regulas alias; imò ex hac relaxatione *feruore spiritus refrigescĕte, humani, ac inferiores affectus incaluissent,* vt colligitur ex fine eius §. 1.

9.°

Ex Epistolis eiusdem P. Claudij de Iubilæo, & Missionibus anno 1590. *die* 22. *Maij, de feruore Missionum anno* 1594. *die* 1. *Augusti, ac de modo Missionū anno* 1599. *die* 12. *Maij scriptis, hæc causa colligi potest.*

c.174. Quod cum Missiones sint vnum e præcipuis Societatis ministerijs, & quod maximè pertinet ad Professos, vt pluribus probat P. Claudius; non ad praxim reuocatum fuerit *Id quod anno* 1590. *iussit hic Genera-*
c.161. *lis,* Vt ex vnaquaque Prouincia, si non duodecim, saltem omnino sex, superatis omnibus difficultatibus, delegarentur; qui Apostolico more bini, & bini progrederentur; vbi peculiaris non postularet necessitas, pedibus & vt veros pauperes decet pergerent, non multis onusti libris, aut grandi supellectilis sarcina grauati pleni tamen inflammato zelo incederent, ad tolerandum comparati, adque fructum incitato desiderio succensi, discurrerent per Vicos, & Castella, minori hominum frequentia habitata, ac proinde opis illius magis indiga, tantùm in locis singulis immorando, quantùm prudentia, & fructus operæ spes desiderare videretur, aut suggerere; *Nec Id quod anno* 1599.
c.215. *iusserat idem Generalis,* Vt singuli Sacerdotes Missionem aliquam deinceps quotannis per vices obirent, nullusque ex ijs, qui præstare id possent, eximeretur; ac *primi in hoc genere essent Professi, ad quos Professionis ipsius causa propriè magis spectat hoc exercitium, quique alijs e-*
c.216. *xemplo hac in re esse, & duces se illis præbere debent.* Quod si qui fortasse, vel propter ætatem, vel propter valetudinem, occupationes ve alias longiores obire Missiones nequirent; non idcircò prætermitti deberet, quin breues saltem aliquas susciperent paucorum dierum, & in locis propinquioribus iuxta Vires, & facultatem vniuscuiusque. Quod vt faciliùs quoque præstaretur; Prouincialis quilibet seligeret decem, aut duodecim sacerdotes Missionibus idoneos, eosque collocaret in duabus, aut tribus Residentijs ad Tempus, quæ Missionibus tantùm deseruirēt tùm eius loci, tum viciniorum, in quibus Residentijs viuerent ex eleemosinis perinde ac in Domibus Professis; quas
c.217. defuturas vix contingere potuisse subdit P. Claudius, *præcipuè si Socij, quod curare deberent, eo victu qui pauperes decet, contenti fuissent, nec superfluas commoditates consectati essent.*

10.°

10.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij de vsu Exercitiorum Spiritualiũ ad Prouinciales Soietatis scripta anno 1599. die 14. Augusti, hac causa deduci potest;

Quòd Socij primùm in se ipsis frequenti vsu Exercitia spiritualia à S. Ignatio conscripta non excoluerint, adeoque idoneos se Magistros non reddiderint, qui eadem postea cum fructu tradere alijs possent; siue, vt loquitur S. Ignatius p.4. c. 8. §.5. non dederint operam, vt *in hoc armorum spiritualium genere tractando* (quod Dei gratia ad ipsius obsequium tantopere conferre cernitur) *dexteritatem habere possent;* c.291.et 292 *nec ijsdem Socij, & maximè Confessarij*, externos ad hæc spiritualia exercitia peragenda pellexerint; nec *Superiores propensos se* ad admittendos in Domibus, & Collegijs eos, qui per exercitia spiritualia iuuari cupiunt, ostenderint, anteponentes incommoda, aut etiam sumptus spirituali fructui, qui inde resultaret; *nec Prouinciales in* singulis Collegijs, ac Domibus statuerint aliquot cubicula in hunc vsum exercitiorum pro externis designata.

11.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij de formandis, ac bene instituendis Concionatoribus ad Prouinciales Societatis scripta anno 1599. die 14. Augusti, hac causa colligi potest;

Quòd Prouincialibus summæ non fuerit curæ, vt formarentur idonei, ac fructuosi Concionatores, & in praxim illi non reuocauerint Instructionis pro Concionatoribus (quæ modò est secunda in libro Instructionum) §.7.9.& 10. ac præsertim §.8. In lib. Instr. c.10. *Ex eo siquidem, quod ibi præcipitur* (inquit P. Claudius) *tanquam ex fonte deriuatur, & manat illud ipsum, quod tantopere exoptamus, id est fructus, & auxilium animarum; quoniam experientia ipsa docet parum vtiles vt plurimum eorum* c.295.et 296 *conciones esse, qui cum deuotionem illam, zelumque animarum, qui necessariò requiritur, in se ipsis non sentiunt, parum efficaciter verba faciũt; nec possunt cum spiritu in audientium animos eos effectus imprimere, quos ipsimet non induerunt:* Nec ijdem Prouinciales curauerint diligẽter, vt alia monita ad hanc rem tradita multos post annos, anno scilicet 1613. die 28. Maij obseruarentur. ac.365.

12.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij de Renouatione spiritus ad Vniuersam Societatem scripta anno 1604. die 24. Iunij, hac causa deduci potest. c.322.

Quòd radices, & causas tepiditatis non diligenter excutientes socij, nec eas eradicauerint, vel certè non mortificauerint: Cuiusmodi ferè sunt; Amor proprius se ipsum perpetuò quærens; passionum rebellio, & conflictus; horror difficultatis in pugna, & victoria; desiderium rerum facilium, & molliorum, cuiusmodi esse solent, ad quas natura propendet; voluntaria per multo cordis euagatio; defectus orationis;

negligentia examinis &c. 13.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij de sollicitudine, & vigilātia Superiorum erga subditos scripta anno 1604. die 20. Augusti hæ causæ deduci possunt: Quod Superiores.

P.° Contenti fuerint, quod subditi honestam vtcumque vitam ducerent, & laudabilem, atque eo quod sua ipsorum causa facerent; cum
c.344 c.345 tamen ad superiorum officium pertineret, vt subditi ad sui perfectionem magnis quasi passibus contenderent, & in proximorum quoque salutem seriò, & viriliter incumberent.

2. Sibi non persuaserint se tam in defectibus, qui cernuntur, quam in
c.345. bonis operibus, quæ prætermittuntur, nec minimam, nec postremam culpæ partem sustinere, magnamque adeò disciplinæ laxitatem, & iacturā ex eo natā fuisse, quod hac de re aliter ipsi fortasse senserint.

3. In munus suum omni cura, & contentione, procul habitis omnibus alijs occupationibus, quæ animos auocare, & distrahere poterant,
c.346. non incubuerint.

4. Non dederint se orationi, rerumque internarum studio, nec examen adhibuerint defectuum qui propriè spectant ad superiores quatenus in eo munere versantur.

5. Non impenderint quotidiè, aut saltem alternis diebus considerationi; *Quomodo subditi in spiritu, & virtutibus proficerent; quid im-*
c.346. c.347 *pedimenti, & distractionis haberent; quo spirituali morbo hic, vel ille laboraret; quo remedio iuuari posset, vt adhiberetur; quomodo Pro-*
In lib. Ordi. *fectus rerum spiritualium, ac cæteri officiales suis officijs fungerentur;*
c.2.n.5.c.19 *quomodo Regulæ, ordinationes, et Religiosa disciplina seruaretur; quis erga proximos per Societatis ministeria fructus colligitur.* Nec similiter in hac hora iuxta olim etiam præscriptum ab eodem Generali *accuratè, & studiosè examinauerint defectus circa gubernationem, legerint Regulas visitatorum, & Superiorum iussa* &c.

6. Non legerint studiosissimè S. Bonauenturæ Opusculum de sex Alis Instructionem pro superioribus, & Industrias, ac præ omnibus
c.347 alijs Regulas sui officij.

7. Non meminerint sui muneris esse inuigilare, arguere, corrigere,
c.347. exhortari, obuiàm ire malis, eorumq; occasionibus, prælucere exemplo; obiectasque difficultates forti, & constanti animo peruincere.

c.347. 8. Leuiter se peccare crediderint, si incuria, vel negligentia sua permitterent, vt peccata quamuis leuia propagarentur.

9. Studuerint amari non solido, ac spirituali affectu, sed humano;
c.348. adeoq; subditis suis displicere timentes habenas remiserint.

10. Spiritualia, & quæ ad salutem necessaria sunt, & profectum vir-
c.349. tutum iuxta S. Bonauenturæ monitum principaliter sibi curanda non retinuerint &c.

c.349. 11. Admonitorem suum, & Prouincialem non libenter audierint.

12. Haud

11. Haud sinceram prouinciali, cum ad visitandum venit, rationem conscientiæ suæ, reddiderint, de singulis, in quibus erratum à se circa officium, & de impedimentis, quibus in eodem se retardari senserunt; nec de hac ipsa re ad Generalem scripserint, adiectis difficultatibus, quas ipsi sua culpa sentiunt. c.350.

14.°

Ex Epistola eiusdem P. Claudij De officij Diuini Recitatione, & celebratione Missæ ad Prouinciales Societatis scripta anno 1612. die 14. Nouembris hæ duæ colligi possunt causæ.

P.a Quòd socijs passi fuerint se ita obrui negocij, vt ad horas valde importunas officij recitationem reijcere coacti fuerint, adeò vt præueniendi, post ponendive facultas indulta necessitati, vel tempestiuæ feriarum rerum tractationi, oscitantes eos reddiderint, minusuè sollicitos; officiumq; persoluerint, quasi pensum aliquod indifferens, *aperto loco & salutationibus, alijsque distractionibus valdè peruio*; & licet experientia docuerit, hunc aut illum modum non sibi succedere pro habenda attentione, gustuq; spirituali, cum nihilominus tædio secessus, aut cubiculi, voluerint consectari. c.353. c.354.

2. Quòd Sacerdotes ad tremenda Mysteria non accesserint præparatione præuia, quæ negotiorum, colloquiorumq; distractiones submoueret; & *cum primùm in Sacristiam pedes intulerunt, dicere incæperint, Impone Domine capiti meo* &c. Nec in ipsa celebratione seruauerint omninò Regulam, quæ mediam horam sacro faciendo præscribit. *Breuiori quippe tempore* (ait P. Claudius) *neq; decentiæ, neq; cæremoniarum distinctioni locus esse potest qui debet.* c.361. c.362.

15.°

Ex Epistola P. Mutij Vitelleschi de Oratione &c. ad Vniuersam Societatem scripta anno 1617. die 2. Ianuarij, hæ causæ colligi possunt.

P.a Quòd seruatæ non fuerint Regulæ modestiæ, quæ tamen S. Fundatori tanti stetere. Et hæ tredecim sunt repositæ in Lib. Regularum. c.390. In lib. Regu. c.343. et 144

2. Quòd societas languerit circa illa vniuersa, quæ pertinent ad consuetudinem inter Deum, nosque intercedentem; continentque precatione, excussione conscientiæ, piorum lectione librorum, Sacramentorum perceptione, Sacrificio Missæ (*cuius lex, ne dimidiata minùs hora teneat, iam pæne dilapsa, eorum qui præsunt desidiam acriter reprehendere*, ait P. Generalis) crebro per ignita subinde iacula ad diuinæ limen indulgentiæ præfugio, re sanè extra modum perneceßaria ijs, atq; perutili, qui tã multis, ac nos, occupationibus distrahũtur, & curis c.392.

3. Quòd affectus erga consanguineos irrepserit.

4. Quòd liberum in omnes partes arbitrium Superioribus non permiserint socij, paribus omnino ad omnia vniuersè & munera, & loca momentis; neq; ex eorum sententia atq; iudicio formauerint, & finxerint suum; nec minimarum causa rerum subijcere se moderatoribus identidem gestierint. c.393. ca.394.395. & 396.

5. Quòd

c.398. 5. Quòd illapsa fuerit vitæ commoditatum plus æquo nimia sollicitudo.

c.400. 6. Quòd lectio inducta fuerit quorumdam librorum, e quibus doctrinę nunquam tantùm accedere potuit, quantum vt castimoniæ decederet, in prodiui fuit.

c.402. 7. Quòd caritas, vnioque mutua inter Prouincias imminuta fuerit.

c.403. 8. Quòd languerit zelus animarum, habueritque locum otium, & lentitudo in suscipiendis eorum causa laboribus.

9. Quòd terrenarum rerũ cupiditatibus flagere inceperint socij, vnius c.405. cathedræ, suggesti vnius, loci huius, illius muneris &c.

10. Quòd ætate prouecti, grauesque Auctoritate Patres, Consultores, c.407. Præceptoresque certis propensionibus se ferri permiserint, nec ad virtutem scholasticorum, aliorumque sincerè animos adiecerint &c.

c.408. 11. Quòd adolescentes religiosa submissione, atq; simplicitate non coluerint, qua decet, obseruantia, Patres qui suos in Ordinis obsequium annos contriuerunt.

c.411. 12. Quòd complures ad exercitia spiritualia non pellexerint socij; nec de pijs rebus sermones cum omnibus miscuerint, & ad vitam meliùs instituendam proximos cohortati fuerint.

c.413.c.414 13. Quod linguæ vitia, in quibus grauiter non raro lædi potest Diuina maiestas, penitus extirpanda non enixè curauerint socij.

14. Quòd non omni ope, atq; opera consueuerint socij inter se, cumc.414. que externis pios instituere sermones.

15. Quòd superiores frigidos se præstiterint, vel etiam obfuerint, ne c.416. aliqui ad Indias mitterentur ex Europeis Prouincijs.

16.°

Ex Epistola eiusdem P. Mutij ad Superiores Societatis scripta anno 1617. die 4. Ianuarij hæ causæ colligi possunt: Quod Superiores.

c.420. P.° Non fuerint in sancta precatione quam exquisitissimi, in excussionibus conscientiæ, cæteraque rerum omnium spiritualium tractatione: *Quo in loco* (subdit idem P.) *germanam illam piè, paternèq; regendi rationem, quam Institutum nostrum depascit, haurimus.*

c.a.420.421. & 424. 2. In Religiosæ vitæ disciplina cæteris omnibus non præluxerint, ac vitę commoditates amplexati fuerint; minimè patientes, humilesque se exhibueri.

3. Non reddiderint se ipsos peritos Instituti Societatis; strenuè, & c.425.c.426 suauiter non curauerint, vt Constitutiones, ordinationesque seruarentur; ad eas administrationem suam non dixerint; valde liberam eximendi idemtidem illis licentiam sibi arrogauerint; & non enixi fuerint, vt subiecti Institutum Societatis adamarent.

c.426. 4. Non verbis, & re ipsa significauerint pergratum sibi, perque iucundum esse, si à suis moderatoribus dirigerentur, lucem opemq; afferent subiecti, præcipuè Consultores.

5. Infre-

5. Infrequenter cum ſuis Conſultoribus egerint; conſultationes multò rariſſimas, eas præſertim, quæ ad res Inſtituti pertinent, habuerint. c.427.
6. Non curam adhibuerint, vt ſancta animi æquitas, voluntatiſque abdicatio, ad quam in Probationibus informantur Socij, in iiſdem ſeruaretur, & augeretur. c.427.
7. Non curauerint ſollicitè, ne qui cum adoleſcentibus verſantur, quicquid agerent, dicerentve, quod amorem, obſeruantiam, exiſtimationem Societatis, eiuſdemque Inſtituti vlla ex parte, ſiue reſtringere, ſiue imminuere, aut quauis ratione ſeueritatis, diſciplinæque religioſæ relaxaret. c.427.
8. In ſpiritualem ſubiectorum profectum toto pectore non incubuerint; *illos, vti filios Deo cariſſimos, ab eodem Præſidum cuſtodiæ vnicè commendatos, non intuiti fuerint; eorum ſiue animi, ſiue corporis neceſſitates non anteuerterint ingenti caritate, quæ ad omnes indiſcriminatim pertineret abſque perſonarum acceptione* &c. c.427.c.428
9. Non ita ſollicitos ſe exhibuerint in gerenda cuiuſlibet infirmi cura, vt nec delicias Vrbium, nec Matris quæreret affectum. c.430.
10. Non hoſpitibus, ac peregrinis Socijs illam exhibuerint amoris, voluntatiſque ſignificationem, *vt ſuo in Collegio, Domove ſe degere ſentirent*. c.431.
11. Quòd in Seminarijs Præceptores non conſtituerint Viros verè ſpirituales, atque incorruptis moribus, & qui ad magnos non minùs in doctrina, litteriſque, quàm in virtutibus proceſſus habendos rectis, & exemplis, & monitis iuuerint adiutores ſocios, & non ſubmouerint illico minus vtiles. c.431.
12. Subiectorum animos à nimio erga conſanguineos affectu non ſegregauerint. c.431.
13. Non extirpauerint importunitatem aliquorum, atque nimietatem in corrogandis eleemoſinis. c.432.
14. Omni ſtudio non perfecerint, vt Socij ad eas ſententias accederent, *quæ tutiores, quæ grauiorum, maioriſque nominis Doctorum ſuffragijs eſſent frequentatæ; quæ bonis moribus conducerent magis; quæ denique pietatem alere, & prodeſſe poſſent, nec remouerint à Cathedris eos, qui S. Thomæ doctrinam parui facerent, aut eam cordi non habere præſeferrent; ac præterea nouitatum amantes*. c.432.c.433
15. Sedulò ſubiectorum linguis non inuigilauerint, vt qua decet reuerentia, atque obſeruantia de Præſulibus, Optimatibus, Religioſis, omnibus denique loquerentur; ne quidquid domi geritur, ſæcularibus in aures inſuſurrarent; ne tam multæ nullius neceſſitatis, aut vtilitatis epiſtolæ, neque, ſiue res ipſas, ſiue rationem eloquendi ſpectes, pro more ſatis religioſæ ſcriberentur. c.433.
16. Nunquam, aut rarò pœnas inflixerint pro loquendi licentia, *cum tamen hæc culpa ſit vna è grauibus, latiſſimè pateat, crebroq; cõtrahatur*. c.433.

17. Omni

17. Omni ope, atque opera non contenderint, vt cunctos pro singu-
n.433. lorum viribus, dotibusque satis, fructuoseque haberent occupatos; permiserintque aliquos ad ocium, vel quietem aspirare.

n.433. n.434 18. Non omni celeritate, fortitudine, industria vsi fuerint sub ipsa initia, vbi quem animaduerterunt, quo se Religionis subduceret oneribus, maiori licentia, minusque Moderatoribus obnoxius viueret, *in aulas, & optimatum clientelas inserere se, & inferre*.

19. Non fuerint, vbi res exigit, arcani quam maxime tenaces, eorum
n.434. in primis, quæ in reddenda ratione conscientiæ ipsis velut Patribus deteguntur.

20. Non perpetuò ante oculos propositũ habuerint, *se filiorum Deo*
n.434. *carissimorum curam gerere*, quorum seuerissimam rationem idem exiget &c.

17.°

Ex Epistola eiusdem P. Mutij ad Patres Congregationum Prouincialium scripta anno 1619. die 7. Martij hæ peculiariter causæ colligi possunt.

n.441 P. Quod propriam existimationem multi fecerint Socij, dum agitur de ministerio, de loco &c.

n.442. n.445. 2. Quod relaxata fuerit non solùm obedientia sed etiam Paupertas, indeque debilitatus Societatis munus; & in hac Paupertatis materia euulgatæ sint opiniones laxiores.

n.445. 3. Quòd occupationes assumptæ, ac ministeria ex voluntate traducendi tempus &c.

n.446. 4. Quòd commoditates vitæ inter priuatos creuerint, atque in dies curatæ impensiùs, & forsan Superiorum exemplo.

5. Quòd in recreationibus, in vineis, alijsque oblectamentis fuerit
n.466. excessus, multaque superfluitas.

n.466. 6. Quòd oratio, examen quotidianum, cæteræque spirituales exercitationes, aut omissæ à non paucis, aut adeò negligenter, oscitanterque obitæ, vt perinde fuerit, ac si prætermissæ fuerint.

7. Quòd Socij illam haud sibi assumpserint Regulam omnibus communiter assignatam à S. Augustino, qui se ipsum interrogans in hunc
n.446. n.447. modum, *Quantum temporis orationi tribuendum est?* sic ipse sibi respõdet: *Quamdiu vacat, idest, quamdiu aliarum bonarum, & necessariarum actionum non impedientur officia.* Hac profectò regula qui vtetur (subdit P. Mutius) *nusquam ei vacabit loqui extra tempus, referre vel audire sæculi rumores, aliena ingredi cubicula*.

8. Quòd Patres Congregationum Prouincialium non tractauerint inter se, inquisierintque diligentissimè, quid demum effici potuisset,
n.447. n.448. vt *non modò nihil Societati detrius contingeret*; sed potiùs ad id, quod perfectum est, assequendum, benè omnes animati contenderent.

18.°

18.°

Ex Epiſtola eiuſdem P. Mutij Anno centeſimo à confirmata Societate ad vniuerſam Societatem ſcripta anno 1639. die 15. Nouembris hæ afferri poſſunt cauſæ ex parte Superiorum.

P. Quòd fuerit in illis nimia vniuerſalis cupiditas cuique ſubdito opem ferendi, adeoque indulgentia quædam erga aliquos cum graui præiudicio obſeruantiæ, incommodoque boni communis. c.22. & 23

2. Quòd fuerit eorum menti Axioma hoc impreſſum, *Nulli ſubditorum velle diſplicere.* c.24.

3. Quòd fuerit eorum erga aliquos affectus ſpecialis. c.26.

4. Quòd extiterit priuatus amor erga ſe ipſos cum ſuperfluis vitæ commoditatibus, nimiaque propenſione ad ſuam exiſtimationem. c.27.

5. Quòd nimia fuerit in illis ſollicitudo, curaque rerum externarum, ac temporalium. c.29.

19.°

Ex Libro Decretorum Congregationum Generalium hæ peculiariter cauſæ colligi queunt.

P. Quòd Profeſſi non valdè commendatam habuerint Inſtitutionem puerorum in Doctrina Chriſtiana: nec exercuerint ſe frequẽter in hoc tam pio opere &c. Cong. 1. dec. 18. c. 90. & Cong. 2. dec. 58. c. 140.

2. Quòd non adhibita moderatio in multitudine Collegiorum admittenda; ac plures in Collegijs detenti, quàm ali potuerint ſiue ex redditibus, ſiue ex eleemoſinis conſuetis. Con. 2. dec. 8. & 27. c. 112. & 127.

3. Quòd ſocij ſuaſerint externis, vt ſibi potiùs, quam alijs pauperibus darent eleemoſinas &c. Con. 2. de. 56. n. 139.

4. Quòd ſocij non vitauerint omnia, quæ habent ſpeciem ſæcularis negotiationis. Cong. 2 dec. 61. c. 141.

5. Quòd non curauerit Generalis, vt qui concionaturi publicè, qui etiam confeſſiones audituri, ſint ad ea munera ſufficienter inſtructi. Cong. 2. dec. 62. c. 141.

6. Quòd in acceptandis Collegijs non ſit ſeruata Formula data à P. Laynez, & quæ videtur approbata à Cong. 2. Can 6. Con. 2. c. 157

7. Quod ſocij non vſi fuerint pedeſtri itinere; nec in equitando habita ratio ſolius neceſſitatis, ſiue perſonæ, ſiue negociorum. Cong 3. dec. 37. c. 188.

8. Quòd Generalis non curauerit ſeriò; vt ſocietati priſtina, ac laudabilis vnio reſtitueretur; liberaretur Societas à multis, quæ non conueniebant Inſtituto; idonei, ac ſufficientes operarij, ac superiores cõſtituerẽtur in Collegijs; gubernarit ſocietatem ſpiritu deſpotico, non paterno; fuerit propenſus ad admittenda noua Collegia; & nõ potius applicuerit animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia iam admiſſa, quam ad noua admittenda; non fuerit ab omni humanæ artis ſuſpicione penitus liber; æqualitatem in amando omnes non ſeruauerit; in agendo viſus ſit ſequi proprias paſſiones, aut reſpectus humanos; aliquorum defectuum monitus eos non cor- Congre. 3. in Interrog. c. 165. 166. & 167. & Dec. 17. c. 177.

Ee rexerit,

17. Omni ope, atque opera non contenderint, vt cunctos pro singu-
n.433. lorum viribus, dotibusque satis, fructuoseque haberent occupatos; permiserintque aliquos ad ocium, vel quietem aspirare.

18. Non omni celeritate, fortitudine, industria vsi fuerint sub ipsa
n.433. n.434 initia, vbi quem animaduerterunt, quo se Religionis subduceret oneribus, maiori licentia, minusque Moderatoribus obnoxius viueret, *in aulas, & optimatum clientelas inserere se, & inferre.*

19. Non fuerint, vbi res exigit, arcani quam maxime tenaces, eorum
n.434. in primis, quæ in reddenda ratione conscientiæ ipsis velut Patribus deteguntur.

20. Non perpetuò ante oculos propositũ habuerint, *se filiorum Deo*
n.434. *carissimorum curam gerere*, quorum seuerissimam rationem idem exiget &c.

17.

Ex Epistola eiusdem P. Mutij ad Patres Congregationum Prouincialium scripta anno 1619. die 7. Martij hæc peculiariter causæ colligi possunt.

P. Quod propriam existimationem multi fecerint Socij, dum agitur
n.441 de ministerio, de loco &c.

n.442. n.445. 2. Quod relaxata fuerit non solùm obedientia sed etiam Paupertas, indeque debilitatus Societatis munus; & in hac Paupertatis materia euulgatæ sint opiniones laxiores.

n.445. 3. Quòd occupationes assumptæ, ac ministeria ex voluntate traducendi tempus &c.

n.446. 4. Quòd commoditates vitæ inter priuatos creuerint, atque in dies curatæ impensiùs, & forsan Superiorum exemplo.

5. Quòd in recreationibus, in vineis, alijsque oblectamentis fuerit
n.466. excessus, multaque superfluitas.

n.466. 6. Quòd oratio, examen quotidianum, cæteræque spirituales exercitationes, aut omissæ à non paucis, aut adeò negligenter, oscitanterque obitæ, vt perinde fuerit, ac si prætermissæ fuerint.

7. Quòd Socij illam haud sibi assumpserint Regulam omnibus communiter assignatam à S. Augustino, qui se ipsum interrogans in hunc
n.446. n.447. modum, *Quantum temporis orationi tribuendum est?* sic ipse sibi respōdet: *Quamdiu vacat, idest, quamdiu aliarum bonarum, & necessariarum actionum non impedientur officia.* Hac profectò regula qui vtetur (subdit P. Mutius) *nusquam ei vacabit loqui extra tempus, referre vel audire sæculi rumores, aliena ingredi cubicula.*

8. Quòd Patres Congregationum Prouincialium non tractauerint inter se, inquisierintque diligentissimè, quid demum effici potuisset,
n.447. n.448. vt *non modò nihil Societati detrius contingeret*; sed potiùs ad id, quod perfectum est, assequendum, benè omnes animati contenderent.

18.

18.°

Ex Epiſtola eiuſdem P. Mutij Anno centeſimo à confirmata Societate ad vniuerſam Societatem ſcripta anno 1639. die 15. Nouembris hæ afferri poſſunt cauſæ ex parte Superiorum.

P. Quòd fuerit in illis nimia vniuerſalis cupiditas cuique ſubdito opem ferendi, adeoque indulgentia quædam erga aliquos cum graui præiudicio obſeruantiæ, incommodoque boni communis. *c.a.22. & 23*

2. Quòd fuerit eorum menti Axioma hoc impreſſum, *Nulli ſubditorum velle diſplicere.* *c.24.*

3. Quòd fuerit eorum erga aliquos affectus ſpecialis. *c.26.*

4. Quòd extiterit priuatus amor erga ſe ipſos cum ſuperfluis vitæ commoditatibus, nimiaque propenſione ad ſuam exiſtimationem. *c.27.*

5. Quòd nimia fuerit in illis ſollicitudo, curaque rerum externarum, ac temporalium. *c.29.*

19.°

Ex Libro Decretorum Congregationum Generalium hæ peculiariter cauſæ colligi queunt.

P. Quòd Profeſſi non valdè commendatam habuerint Inſtitutionem puerorum in Doctrina Chriſtiana: nec exercuerint ſe frequẽter in hoc tam pio opere &c. *Cong. 1. dec. 18. c. 90. & Cong. 2. dec. 58. c. 140.*

2. Quòd non adhibita moderatio in multitudine Collegiorum admittenda; ac plures in Collegijs detenti, quàm ali potuerint ſiue ex redditibus, ſiue ex eleemoſinis conſuetis. *Con. 2. dec. 8. & 27. c. 112. & 127.*

3. Quòd ſocij ſuaſerint externis, vt ſibi potiùs, quam alijs pauperibus darent eleemoſinas &c. *Con. 2. de. 56. n. 139.*

4. Quòd ſocij non vitauerint omnia, quæ habent ſpeciem ſæcularis negotiationis. *Cong. 2. dec. 61. c. 141.*

5. Quòd non curauerit Generalis, vt qui concionaturi publicè, qui etiam confeſſiones audituri, ſint ad ea munera ſufficienter inſtructi. *Cong. 2. dec. 62. c. 141.*

6. Quòd in acceptandis Collegijs non ſit ſeruata Formula data à P. Laynez, & quæ videtur approbata à Cong. 2. Can. 6. *Con. 2. c. 157*

7. Quod ſocij non vſi fuerint pedeſtri itinere; nec in equitando habita ratio ſolius neceſſitatis, ſiue perſonæ, ſiue negociorum. *Cong 3. dec. 37. c. 188.*

8. Quòd Generalis non curauerit ſeriò; vt ſocietati priſtina, ac laudabilis vnio reſtitueretur; liberaretur Societas à multis, quæ non conueniebant Inſtituto; idonei, ac ſufficientes operarij, ac ſuperiores cõſtituerẽtur in Collegijs; gubernarit ſocietatem ſpiritu deſpotico, non paterno; fuerit propenſus ad admittenda noua Collegia; & nõ potius applicuerit animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia iam admiſſa, quam ad noua admittenda; non fuerit ab omni humanæ artis ſuſpicione penitus liber; æqualitatem in amando omnes non ſeruauerit; in agendo viſus ſit ſequi proprias paſſiones, aut reſpectus humanos; aliquorum defectuum monitus eos non cor- *Congre. 3. in Interrog. a. 165. 166. & 167. & Dec. 17. c. 177.*

rexerit, sed potius texerit; tenacior fuerit proprij iudicij, quam conueniret, & decerct ad prouocãdos Assistentes, vt liberè dicerent quod sentirent, & ad dandam illis spem, quod pondus rationum locum apud ipsum inueniret: non fuerit plenus zelo perfectionis sociorum, & minùs addictus officio veri Pastoris, quàm industrius, & practicus in exercendis per se, aut alios litibus, ac negotijs temporalibus, & in exigendis pecunijs &c.

Cong. 4. Dec. 13. c. 245.
9. Quòd Generalis in acceptanda Conuictorum cura maius Dei obsequium, & commune societatis bonum nõ respexerit, maximè cum optatum sit, vt Societas quoad eius fieri posset, eiusmodi oneribus liberaretur.

Cong. 5. Dec. 41. c. 291. In li. Ordin. c. 1. n. 34.
10. Quod admiserint socij stipendium vel eleemosinam in compensationem ministeriorum societatis contra Const. p. 6. c. 1 1. §. 7. & exa. c. 1. §. 3. eiusq; declarationem à P. Claudio propositam.

Cong. 5. dec. 69. c. 330.
11. Quod non seruata in acceptandis Collegijs Formula confecta à P. Claudio, & approbata à Cong. 5.

Cong. 5. dec. 51. & 56. ca. 300. & 321.
12. Quòd secuti non fuerint socij in scholastica Theologia doctrinam S. Thomæ; & promoti fuerint ad Cathedras Theologicas non benè affecti erga eiusdem Angelici doctrinam, nec remoti à docendi munere ab ea alieni.

Cong. 5. dec. 79. c. 367.
13. Quòd permiserint superiores, vt socij se implicarent publicis, & sæcularibus Principum negocijs, quæ ad rationem status pertinent, & propensos ad eiusmodi res politicas tractandas loco mutandos quam primùm non procurauerint cum alicubi esset occasio, vel periculum se eiusmodi implicationibus irretiendi.

Cong. 5. dec. 80. c. 337.
15. Quòd Generalis haud ea adhibuerit remedia, quæ socios iuuarent, vt sine spiritualis boni, ac religiosæ disciplinæ iactura cum Principibus viris agerent; & pœnis errantes non correxerit &c.

Cong. 6. dec. 16. c. 352. & in lib. Ordi. c. 13. n. 80.
15. Quòd Iuniorum seorsum à cæteris habitandi, conuersandi, & in omnibus, quoad fieri poterit, segregandi mos à Prouincialibus summo studio non inuectus fuerit in Prouincias, nec curatum diligentissimè, vt hi eum spiritum conseruarent, quem probationis tempore acquisierunt; nec protraxerint biennij spatium, licet id expediens videretur; & ante expletum biennium ad docendum in scholis eos eduxerint.

Cong. 6. dec. 21. c. 360. & in lib. ordin. c. 11. n. 66.
16. Quod confessarij Principum non seruauerint Instructionem pro illis confectam à P. Claudio, & approbatam; confirmatamq; à Congregatione sexta.

Cong. 6. dec. 29. c. 373. & Congr. 7. dec. 23. c. 431.
16. Quod singulis non tempus commodum attributum fuerit, quo exercitia spiritualia per octo aut decem dies cum fructu peragerent omni omninò excusatione, & occupatione seposita, ac superata, ita vt neque negocijs, neque occupationibus eo tempore distinerentur, nec ad id Superiores exemplo suo cæteros excitarint.

17. Quòd

17. Quòd sociorum multi tempore examinis, vel orationis in cubiculo non fuerint; nec tempus commodum designatum ijs, qui domesticis occupationibus orationis tempore distinebantur, nec certum omnibus surgendi, orandiq; tempus statutum; nec in singulis domibus designatus vir fidus, qui orationis tempore omnes visitaret. Congr. 7. dec. 25 c. 430. & 431.

18. Quod socij propinquorum aliorumque causa coram tribunalibus steterint, lites direxerint, aut prosecuti fuerint, curam administrandi illorum bona susceperint, ad sæculares aut Ecclesiasticas dignitates eos promouendos curauerint &c. Congr. 7. dec. 13. c. 428.

19. Quod non grauiter puniti, qui externorum patrocinia, aut intercessiones apud superiores parauerũt; nec illi, qui temerè, & ex inanibus suspicionibus, vel ex alia quapiam minùs probata causa verbo, scriptove falsum alteri crimen imposuerunt, & graues sociorum defectus occultos alijs, quam Superioribus, aperuerunt. Congr. 7. dec. 27. c. 421. & de. 28. c. 423.

20. Quod socij ad mediatos Superiores dicta, factaque aliorum detulerint, non priùs monitis immediatis Superioribus &c. Congr. 7. dec. 27. c. 414. & 415.

20.°

Ex libri Ordinat. Præpositorum Generalium c. 1. Pro Prouincialibus hæc recenseri queunt: Quod Prouinciales.

P.° Nimis faciles fuerint in concedenda socij profectione in patriam. n. 4. c. 10.

2. Recẽter promotos Sacerdotes ante expletos duos annos, vt ordinarios operarios in ministerij cum proximis occupauerint; atq; intra hoc biennium, & post illud, antequam ad mulierum confessiones exponerentur, virorum confessionibus audiendis non exercuerint. n. 8. c. c. 11.

3. Non resecauerint superfluas mulierum visitationes, quę magna temporis, ac spiritus iactura fieri solent. n. 9. c. 11. & 12.

4. Permiserint vt collegia reciperent eleemosinas ab ijs missas, quorum filij Societatis scholas frequentabant, vel quæ missæ fuerunt à Prælatis, vel à ciuitatibus, aut alijs, vbi socij concionati sunt alicubi, etiamsi coniectura tantùm fuerit eas mitti pro compensatione, aut intuitu ministerij. n. 14 c. 14.

5. In victu, ac Vestitu lautitias illas, ac singularitates, & exemptiones, quibus meritò alij offendebantur, Concionatoribus concesserint. n. 15. c. 15.

6. Coadiutores eduxerint e Nouitiatu ante integrum in eo cum satisfactione impensum; & ante finitum biennium in publicis ædituí, ianitoris, & similium officijs, in quibus cum externis agitur, eos exposuerint. n. 16. c. 15.

7. Non summa cura prouiderint, vt Superiores in exigenda ratione conscientiæ secreti naturalis, quo tenebantur, fides integra foret, nihil omninò cuiquam innuendo, ac multò minùs ad consultationem consilij causa referendo, sed ea notitia vtendo, vt subditorum animi nequaquam offenderentur. n. 17. c. 15.

8. Non effecerint, vt futuri Superiores, qui nondum gubernauerant, antequam gubernationem inirent, duos minimùm menses ponerent
r.10.c.16. rebus alijs sepositis in attenta lectione Constitutionum, Regularum, Ordinationum, Industriarum, Instructionum pro superioribus, & Priuilegiorum, vt rectè omnia perciperent, & quæ non bene intelligerent, ab ipsomet Prouinciali percontarentur; nec illos ipse erudierit, & in visitatione periculum non fecerit, quam benè omnia callerent.
9. Præfecerint ministros, in magnis præsertim Collegijs, valde iuue-
nu.11.c.16. & 17. nes, & absque consultatione; nec illos instruxerint; nec curauerint, vt ij, quantum fieri posset, essent qui Rectores aliquando esse potuissent.
10. Initio cuiusque mensis, aut quando adfuerunt Consultores, con-
n.23.c.17. sultationem cum illis non habuerint de statu, & disciplina totius Prouinciæ, quid in ea sciretur, quid audiretur, quid ipsemet à Rectoribus, eorumq; Consultoribus accepisset.

21.

Ex eiusdem libri Ordinat. c. 2. pro Superioribus localibus hæ deduci possunt causæ: Quod hi Superiores.

n.1.c.17. P.[o] Quòd libros veterum obscenos, non expurgatos, quamuis in Indice non prohibitos, permiserint scholasticis, & etiam Magistris non maturis, & qui cum periculo ijs vti potuissent; recentiores verò, & Italico vel alio idiomate quocumque scriptos alicui concesserint.
2. Per horam alternis saltem diebus secum, & cum Deo non consi-
n.5.c.19. derauerint, quomodo se haberet status Domus, vel collegij, quomodo subditi in spiritu proficerent &c.
3. A Præfecto rerum spiritualium rationem frequenter non exegerint,
n.6.c.19. quomodo, & quàm frequenter, iuxta Regulas, Patres, & fratres curæ suæ commissos alloqueretur; idq; ipsum à Patribus, & fratribus ipsis non intellexisset.
4. Priusquam ad Prouincialem de re aliqua scriberent, de ea cum
n.10.c.20. Consultoribus non contulerint, nec quid illi sentirent, Prouinciali significarint.
5. In vitijs linguæ non seriò aduigilarint; nec auctores diligenter in-
n.11.c.20. quisierint, ac seuerè punierint.
6. Non sæpè inquisierint, quomodo seruarentur Regulæ, & ordinationes, quæ ad Confessiones, & visitationes fœminarum spectant, &
n.13.c.21. maximè Regul. 18. Sacerdotum, & quæ circa illam statuta sunt.
7. Miserint ad vineas, agrosque procurandos e socijs eos, qui in spiri-
n.17.c.21. tu, & religiosa disciplina magis profecissent; ac permiserint, vt soli pernotarent in his locis; nec curauerint, vt quam minimum fieri posset, in his locis permanerent, aut mutarentur identidem, cum diutiùs abesse opus fuit; atq; socios adhibuerint ad ea, quæ per externos in his locis curari potuissent.

8. Mini-

8. Ministris non concesserint eam potestatem, quæ ad rectam gubernationem conueniebat. n.18.c.22.
9. Tempore ordinariæ consultationis alternis, saltem hebdomadis vnā nō perlegerint aliquid ex Regulis, Ordinationibus, aut similibus. n.19.c.22.
10. Prima cuiusque mensis hebdomada pro ordinaria consultatione non egerint de executione; *An aliquid domi foret, quod negligi videretur; An vigeret obseruatio Regularum; An notaretur frequens aliquarum transgressio;* an *seruarentur Superiorum Ordinationes, præsertim quæ in memorali à Prouinciali relictæ fuissent ac illæ eo tempore lectæ, quæ* nondum executioni mandatæ fuerant. n.20.c.22.

22.°

Ex eiusdem lib. Ordinat. c. 3. de Tertio Probationis Anno hæ causæ colligi queunt.

1.° Quòd prouinciales dispēsauerint cum aliquibus in hoc anno; nec dederint operam, vt maturè, ac simul omnes mitterentur ad huiusmodi Probationem qui eiusdem anni sunt. n.1. & 6.c.23. & 24.
2. Quòd Prouinciales, aut Rectores collegiorum de ijs omnibus non admonuerint mittendos ad huiusmodi Probationem, quæ studiorum tempore in illis fuerunt obseruata; Instructoremque de ijs defectibus non informauerint. n.3.c.24.
3. Quòd missi ad hanc Probationem, perfunctoriè ad eam transigendam accesserint; non cum magna animi simplicitate, & humilitate, ardentique profectus sui desiderio &c. ac prætermiserint aliqua, vel plurimas, quæ conferre potuissent ad profectum in humilitate, & abnegationem vniuersi amoris sensualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei; nec omni ope desudauerint, vt in hac demum probatione acquirerent eam perfectionem, ad quam initio vocati fuerant. n.3. & 4.c. 32. & 33.
4. Quod multùm se orationi non dederint qui versantur in huiusmodi Probatione; cum tamen is potissimùm huius anni finis esset, vt intimam illam familiaritatem cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitij acquirerent, quam Societatis operarijs necessariam Constitutiones docent; Nec à studijs omninò abstinuerint, aliquid noui videntes, aut præterita recognoscentes: nec inter se indifferenter egerint, aut conuersati fuerint; atq; curauerint scire, aut conijcere, quid ipsis futurum esset peracto tertio anno, & qua in re Superiores occupare illos statuissent, & non cum indifferentia obedientiæ nutum præstolati fuerint &c. n.6.7.10. & 15.c.33.34. & 35.

23.°

Ex eiusdem lib. Ordinat. c. 4. continente Monita Generalia hæ causæ deduci queunt.

1.° Quòd scripserint socij litteras de secularibus negotijs, aut inutilibus, aut continentes rumusculos, nuntiosque de rebus viro Religioso n.4.c.37. & 38.

non con-

non consentaneis, cum figuris locutionibusque sæcularem, & aulicam consuetudinem olentibus, inanibus officijs, & affectatis assentatiunculis &c.

2. Quod permissum, vt Socij à Principibus, alijsq; primarijs viris, & Confessarij, concionatores, Præceptores & similes à pœnitentibus,
n.9.c.35. deuotis, consanguineis, & amicis aliquid acciperent ad proprium vsum, ac dispositionem; nec sponte ab his oblatum, aut missum in communem vsum non acceptum, ac dispensatum fuerit.

3. Quod permissum, vt socij iter agentes ab externis, seu consangui-
n.13. & 14. c.40. & 41. neis conquirerent pecuniam ad superflua coemẽda, & minùs consona religiosæ paupertati; vel etiam secum ferrent, aut apud se haberent quædam pauperibus minimè conuenientia, vt sunt horologia rotata, affabrè facta, imagines multi valoris, reliquiaria curiosa, &c.

4. Quòd non studuerint omnes recreationis tempus religiosè transigere, ne spiritus, liberiore conuersatione intepesceret, plurimumque distraheretur; *nec curauerint rerum curiosarum, ac ludicrarum narratiunculis amandatis ea, quæ pios Religiosos decent, loqui assuescere.*

24.°

Ex eiusdem lib. Ordinat. c. 7. de promouendis ad Ordines Sacros hæc causa deduci potest.

Quòd promoti ad ordines sacros ijs moribus, spiritu, ac vita Religio-
n.4. & 5. c. 54. sa, & exemplari, præsertim autem resignatione, & humilitate non fuerint præditi, quę ad tantum ministerium obeundum sunt necessaria; nec in casibus conscientiæ ita versati, vt fructuosè Confessiones audire potuerint &c. 25.°

Ex eiusdem lib. Ordinat. c. 9. de visitandis Prouincialibus hæc causa deduci potest.

Quod ij, quibus visitãdi Prouinciales cura cõmissa est, Prouincialium errata inuestigare omiserint, vel ea tegere studuerint, vel de illis ad Generalem non retulerint, & perfunctoriè rationem exegerint; *An*
n.50.61. & 62. *sinceras informationes peracta quotannis visitatione de cuiusque Domus, & collegij statu ad Generalem miserint; An subditorum querelas de immediatis Superioribus benignè audierint, eorum defectus correxerint, ac de remedio adhibito Generalem monuerint; An diligenter curauerint, ne quid contra puritatem paupertatis irreperet, facilè concedendo, vt ab amicis, & parentibus Socij acciperent contra Reg. 90. sui officij; An plures in Societatem admiserint, quam necessarij forent, nec eorum habuerint delectum; An curauerint Missiones facere; & concionatores iuxta Regulas ipsorum exercere; An periculũ fecerint de idoneis ad gubernandum; & eos, qui actu gubernabant, in recta, & spirituali ratione gubernandi iuxta Constitutiones, non in humana, & politica debitè instruxerint, atq; eos illa promouere studuerint; An Ordinationes Generalis Consultoribus communicauerint, illosque libenter audierint* &c.

26.°

26.°

Ex eiusdem lib. Ordin. c. 10. Pro Consultoribus.
hæc causa deduci potest.

Quòd Consultores non sinceram, fidelemque informationem dederint Generali de ijs quæ hoc capite continentur; & peculiariter, *De profectu in spiritu, studio orationis, & virtutum*; De *disciplina Domestica, obseruatione votorum, & Regularum; De gubernatione Superiorum spirituali, suaui, exacta; vel contra: An aliquid scandali, & offensionis acciderit, & quid remedij fuerit adhibitum:* Nec ijdem percurrerint Regulas suorum superiorũ, ordinationesq; Generalium. c. 63. & 64.

27.°

Ex eiusdem lib. Ordinat. c. 11. Pro Confessarijs Principum
hæ causæ colligi queunt.

P.[o] Quod communem disciplinam perinde ac cæteri omnes non obseruauerint; aut exemptionem aliquam, aut priuilegium hoc nomine habuerint; scripserint ad socios, aliosque non accepta facultate; acceperint, vel retinuerint pecunias; dispensauerint, dederint, vel acceptarint munera; exierint domo absque facultate, & quolibet iuerint pro arbitrio; vbi non est societatis domicilium, non curauerint, vt in aliquo Religiosorum Cõuentu, apud honestum quempiam sacerdotem extra aulam cõmorarentur, & Socium semper præsentem haberent. n. 2. & 3. ca. 67. & 68.

2. Quòd in aliqua incubuerint, quæ ad Principis conscietiam non pertinerent, vel ad illam non referrentur &c. n. 4. c. 68.

3. Quòd diligenter non vitauerint, ne aulam nimis frequentarent, aut eò non vocati se conferrent, nisi cõpulsi aliqua pia necessitate &c. n. 4. c. 68.

4. Quod suam operam interposuerint ad compositiones, vt vocant, ineundas, fauorique aut muneri conciliando, vel ad gratiam, iustitiamve alicui procurandam. n. 5. c. 68. & 69.

5. Quòd scripto aut verbo res nonnullas, aut negotia Principis ministris commendanda susceperint. n. 6. c. 69.

6. Quòd non viderint etiam atq; etiam, ne suboriretur opinio, quod ipsi multùm possent, & Principem pro suo arbitrio regerent. n. 7. c. 69.

7. Quòd Domi non fuerint memores modestiæ, obedientiæ erga Superiores, & æqualitatis cum cæteris circa cubiculum, vestitum, reliquamque vniuersam disciplinam. n. 10. c. 70.

8. Quòd Deũ assiduè non orauerint, vt lumen cõcederet ad rectè collimandũ, & cũ Superioribus, in dubijs casibus nõ consultauerint &c. n. 11. c. 71.

9. Quòd semper non institerint, vt Principes beneuolos, ac propensos haberent erga Societatem, & non erga priuatam suam personam. n. 12. c. 71.

10. Quòd non curauerint, ne occupationes, & res aulicæ spiritum relaxarent; nec maiore cura incubuerint per orationem, exercitia spiritualia, frequentiaque sui examina, vt coniuncta cum Deo instrumenta efficerentur &c. n. 13. c. 71. & 72.

28.°

Ex eiusdem lib. c. 13. de Iunioribus Scholasticis hæc causa deduci potest.

n.2.c.30.& 31. Quòd Prouinciales non protraxerint biênij spatiū his, qui primùm ex Domo Probationis veniunt ad Seminaria, vel Collegia, dum indigerent diuturniori detentione in hoc Iuniorum à reliquis secessu, & ante expletū biennium aliques ex his ad docêdum in scholis eduxerint.

29.°

Ex eiusdem lib. Ord. c. 14. de ijs, qui in prædijs, aut villis morantur, cum à studijs feriantur, hæc deduci potest causa.

n.34. Quòd peraccommodæ, ac sufficientes ædes habitationi non fuerint, earumq; non obseratæ fores, ita vt liber exitus foret, ac desiderata religiosa disciplina, spiritualiaq; exercitia examinum, & orationis prætermissa, licet res eo maximè tempore pernecessariæ.

30.°

Ex eiusdem lib. Ordin. c. 17. de Aptis ad gubernandum hæc causæ deduci queunt.

n.8.c.99. P.° Quòd prouinciales ad Gubernandi ministerium omnium in societate vel præcipuum non multum adhibuerint studij, & diligentię in inquirendis, ac notandis cuiusque subditorum talentis, & præterea etiam exercendis, & ijs, qui aliquam aptitudinem à Domino accepisse videbantur, erudiendis, tum praxi, tum etiam opportunis Instructionibus, ac monitis.

n.5.c.100.& c.103. 2. Ab ijs informationes non acceperint, qui prudenter ac sincerè eas daturi fuissent; indeq; multi promoti, & in gubernatione detenti fuissent, qui *non erant affecti erga res spirituales, ad orationem, cæteramq; cum Domino communicationem; non mortificatas habebant passiones;* n.34.9.11.c. 102.& 10. non *erant amici paupertatis; erant singulares circa propria commoda; non erant affecti ad exteras nationes, & Prouincias; particulares affectiones habebant ad aliquas personas particulares; notati fuerant, quod gubernationem ambirent* &c.

31.°

Ex eiusdem lib. c. 18. de Promouendis ad Gradus hæc causa deduci potest.

n.9.& 11 c. 113.& 114. Quòd Prouinciales ab ijs informationes non acceperint, qui cum prudentia, & caritate eas dare poterant, fuerintq; negligentes in ijs sincerè accipiendis &c. & inde multi promoti, qui *non erant deuoti,* n.3.8.9.10. & 11.c.115 & 116. *& orationi dediti;* non *salutis animarum zelatores; aspirauerant ad Professionem, Sacerdotium, litterarumq; altiora studia, non indifferentiam præseferentes ad quemcumque Societatis gradum, & ad quæuis eius ministeria; erant proprij iudicij amatores, & in affectibus parum mortificati; non profecerant in virtutibus, præsertim in sui contemptu, obedientia, fraterna caritate, paupertatis affectu, amoreque Instituti;*

stituti; non erant ædificationi domesticis, & externis ſſa.

32.°

Ex libro *Instructionum ad Prouinciales, & Superiores Societatis hæ causæ peculiariter erui possunt.*

P.° Quòd ad Sacerdotium promoti fuerint homines, qui in ſpiritu,& religioſis virtutibus non bene profecerant &c. *Instr. 1. n. 1 c. 6.*

2. Quòd non curauerint diligenter Superiores, vt ad vſum, ſi quis eſſet, ſuperfluarum commoditatum, penitus tollendum, omni neceſſitati habita ratione perſonarum, debita cum caritatis ſignificatione prouideretur; & in tollendis huiuſmodi ſuperfluis, & quæ proprietatis ſpeciem habere viderentur, antiquiores,& grauiores Patres,& ſuperiores etiam ipſi omnibus exemplo non præluxerint. *n. 4. c. 8. & 8*

3. Quòd permiſſum; vt inſtrumenta ad iter agendum,& alia ſimilia, quæ in præſenti vſu non erant, in proprio cubiculo à ſocijs retinerentur; & vt Scholaſtici ob deſcribendas ab externis lectiones à cognatis, vel amicis pecunias acciperent. *n. 5. & 6. c. 8*

4. Quod non curatum,vt qui ad munns concionandi talentum haberent, *in humilitate, & cæteris virtutibus benè fundarentur*, quo tutiùs id muneris ſuo tempore exequi poſſent. *Instr. 2. nu. 1 c. 10.*

5. Quod ijs, qui concionandi talentum habebant, poſt tertium probationus annum non conceſſum biennium, in *quo vacarent priuato studio Sacræ Scripturæ, legendis Patribus*, ac *Sanctæ meditationi*. *1. 7. c. 1 3.*

6. Quod concionatores non cauerint ab his, quæ & ipſos plurimum diſtrahebant, ac ſtudia impediebant, & ſpiritum ac deuotionem minuebant, vt *erant nimiæ familiaritates cum externis; eorumdem viſitationes; donaria, præſertim à feminis facilè admiſſa; hiſque ſimilia.* *n. 8. c. 14.*

7. Quod non poſita diligens opera, vt Confeſſarij eſſent maximè maturi ſpiritu, moribus,& ædificatione; longa non protraherent colloquia in Confeſſionali; ne minùs eſſent affecti erga homines pauperes, aut vulgares; ne numero potius pœnitentium, quam fructu eorum ſpirituali gauderent; ne plures darent horas pauculis fœminis, alijs ad confitendum locus non foret; ne alias confiteri volentes arcerent, ne filiç propriç ſpirituales expectare cogerentur &c. *Instr. 3. n. 2. 3. 11. 12. & 13. c. 15 16. 22. & 23.*

8. Quod Prouincialis, cum ſingula loca viſitauit, non diligenter inueſtigauit, an vlli exceſſus forent in Viſitationibus mulierum; ac preter eas, quibus ob dignitatem, vel merita in ſocietatem id officij genus negari ſine offenſione non potuiſſet, cæteras omnes non prohibuerit; nec in deſignandis mulieribus illis, quæ à ſocijs viſitari potuiſſent præcipuè attenderint; Vt *eſſet Perſona nobilis, ac primaria;* aliæ enim poterant in Eccleſijs ſocietatis & confeſſionibus, & pijs colloquijs iuuari, inſtruique: *Eſſet benemerita non vulgariter de Societate:* & *id officij gratum potiùs, quam odioſum Marito, Cognatis, vel huiuſmodi in domo illa:* nec ſollicitę inquiſierit, an præter Superiorem, *n. 9. c. 20. & 22.*

& Confessarium ad visitandas huiusmodi mulieres, quibus sine offensione id officij pręstari potuit, accesserint alij Socij non missi à Superiore; & an missi à Superiore, cum id expediens iudicauit, fuerint viri serij, graues, ac spirituales.

n.10.ca.22. 9. Quòd occasione missionum Confessarij interdum non mutati fuerint; ne angustus foret si perpetuò cum nonnullis deuotulis occuparentur.

Instr.4.c.24 10. Quòd Sacerdotes Operarij societatis tempus vtiliter non collocarint iuxta Instructionem datam ad otium vitandum.

Instr.6 n.1. 2.& 4. c.30. 31.& 32. 11. Quòd superiores ad quos munus spectat admittendi ad societatem, in admittendo fuerint nimij, nec delectum personarum habuerint; sociorum, vel aliorum importunitate moueri se siuerint; & *bona externa*, vel *Sociorum affinitatem*, & non ad societatis Institutum aptitudinem in admittendis secuti fuerint; nec curauerint Prouinciales, vt postquam aliqui in societatem admissi fuerunt, patronos non haberent eos, *qui eos licet ineptos*, in *Societate retinendos curarent*; ac difficiles se exhibuerint in dimittendis illis, quos Magistri Nouitiorum proponebant, causis adhibitis: Nec magnam cautionem adhibuerint in admittendis inter Coadiutores temporales, qui aliquem in litteris progressum fecerant, milites fuerant, speciem nobilitatis, vel cōsanguineos nobiles habebant, Dominis sęcularibus in delicatis ministerijs inseruierant; aut qui erant homines planè rudes, & disciplinæ incapaces.

Instr.7.n.1. a.34. 12. Quod scholasticis *non designati Superiores, qui eos in via Domini, & religiosa perfectione probè instruerent*; & boni quoq; Confessarij, & Præfecti rerum spiritualium, qui suo munere bene, & exactè fungerentur; Præceptores etiam, qui non solùm doctrinæ studijs eos excolerent, sed bono etiam exemplo ad virtutem incitarent.

nu.2.ca.34. 13. Quòd non vigilauerint superiores, ne assuescerent scholastici, nimis colloqui cum externis, aut amicis, & cum illis familiaritates habere, apud eos prandere; litteras, vel munera dare, & accipere.

nu.3.ca.34. 14. Quòd permissum fuerit, vt scholastici Patres antiquiores nimis familiares, ac veluti Patronos apud superiores haberent; nec moniti fuerint seniores, vt ab huiusmodi patrocinijs tum scholasticorum, quam aliorum e socijs quorumcumq; sibi temperarent.

nu.4.ca.35. 15. Quòd scholastici nimis in spiritu relaxati à studijs ad tempus, vel etiam simpliciter non fuerint amoti, vt meliùs in spiritu proficerent, & in virtutibus solidarentur.

Instr.8.nu i. a.36.& 37. 16. Quòd Præfecti rerum spiritualium, & ipsi superiores non frequenter allocuti fuerint Coadiutores temporales, nouos præsertim, & infirmiores, consolando eos, & instituendo in ijs, quæ ad ipsorum statum pertinent, capita meditationis suggerendo, modum & fructum orationis exigendo, & tandem dirigendo, vbi opus erat &c.

17. Quòd

17. Quòd præſtantiſſimi quique, & maximis dotibus inſtructi in vnico munere Præfecti rerum ſpiritualium non conſtituti fuerint maximè in ſeminarijs, in quibus ad ſtudia alebantur ſcholaſtici; nec multùm illis tribuerint, multamq; reuerentiam illis non conciliauerint Prouinciales; nec exiſtimarint ad maximam ſui regiminis partem pertinere optimos Præfectos ſpiritus inſtituere, ac formare; nec Rectores curauerint, vt illi à ſubditis amarẽtur, & in amore haberẽtur. *Inſtr. 10. n. 5. 12. 13. & 15 ca. 50. 53. & 54.*

18. Quòd ſuperiores non eam prætulerint comitatem, paternamq; beneuolentiam, quæ ſubditos ad ſe totos magna fiducia aperiendos alliceret; non debitam adhibuerint prudẽtiam, ſecreti fidem & cautelam: & ita notitia habita in reddenda ratione conſcientiæ vſi fuerint, vt ſubditorum animi offenderentur, ſuſpicarenturque ſe ob eam rem aut notam aliquam, aut periculum adituros, ne minùs commodè à ſuperioribus tractarentur. *Inſtr. 11. n. 4. ca. 56.*

19. Quòd ad Miſſiones miſſi non continuam, veramq; vnionem inter ſe habuerint, cum patiendi deſiderio; licet hæc eſſent neceſſaria fundamenta ad finem in miſſionibus propoſitum conſequendum, & ad bonam ædificationem apud omnes conciliandam; *& fuerint alicui victus cauſa oneri, non habentes à ſuis Superioribus, vnde vitam ſuſtentare poſſent; etiamſi mundũ aliquod in xenodochio foret cubiculum, illud alibi quæſierint; in victu ædificationi non conſuluerint;* & in Religioſos cuiuſlibet Ordinis omnẽ beneuolentiæ ſignificationẽm nõ declarauerint; eamdemq; beneuolentiæ ſignificationem non exhibuerint Parocho, vel alijs Cleri Præpoſitis dantes ſuſpicionem, quaſi ad eos viſitandos venerint &c. *Inſtr. 12. nu. 1. 3. 5. & 12. c. 59. 60. & 63.*

20. Quòd Superiores maximè executioni eorum, quæ circa orationem ſtatuta ſunt, non inuigilauerint: *non interdixerint viſitationes*, quæ nec ad eum finem, quem intẽdit ſocietas iuxta ſuum Inſtitutum, nec ad ſpiritum vocationis prodeſſe poterant, *vel colloquia inutilia, & parum religioſa ad Ianuam cum externis*; nec tam blandè & amanter exceperint ſubditos reddituros rationem conſcientiæ, vt illa fuerit occaſio frequenter adeundi eos quo efficaciùs directionem, victoriam contra vitia, & virtutum lucra conſequerentur; non inuigilauerint in exactam Reg. 26. de ſilentio obſeruationem, cuius etiam intellectus erat, vt intra vrbem, vbi populi erat frequentia, minimè loquendum eſſet ſocijs; non reſecauerint vitia linguæ, vt rem grauiſſimam, & inimicam vnioni, & caritati; non correxerint vſum accipiendi, mittendique etiam cum facultate, facileſq; ſe exhibuerint in facienda huiuſmodi poteſtate, preſertim generali; non excitauerint vſum pœnitentiarum ſecretarum; non præciderint initio familiaritates cum Principibus, antequam adoleſcerent, & radices agerent; non extirpauerint à ſubditis, & multò magis à ſe ipſis humanam, & politicam rationem agendi; nec peculiarem diligentiam ad- *Inſtr. 13. c. 1. n. 12. & 3. c. 2. n. 2. c. 3. n. 1. & 2. c. 4. n. 2. c. 5. n. 3. ca. 6. n. 2. c. 7. n. 3. c. 8. n. 2. c. 9. n. 3. c. 66. 67. 69. 71. 72 73. 74. 75. 77.*

hibuerint, vt religiosè recreationis tempus impenderetur, exterminando oblocutiones, & obmurmurationes, ac etiam excludendo rerum curiosarum, & ludicrarum narratiunculas, libertatemque, & secularitatem indecoram.

Inst. 14. n. 82 21. Quod necessaria concionatoribus, & iter agentibus non abundè suppeditata fuerint.

Instr. 15. n. 6 & 8. c. 86. & 87. 22. Quod superiores non sedulò curauerint, ne confessarij pauperum mulierum iuuandarum prętextu maiorem, quam deceret, familiaritatem contraherent; & vt Confessarij omnes per vnius mensis spatium ad missionem aliquam destinarentur.

n. 9. c. 87. 23. Quòd non designatus alius Confessarius mulieribus, quæ nimis crebrò, qualicumque pretextu, redire visæ sunt; & non curatum, vt prior Confessarius illas dimitteret.

Instr. 18. nu. 3. c. 94. 24. Quòd Consultores non monuerint Prouincialem de executione earum rerum, quæ in Memoriali executioni mandandæ relictæ sunt à Prouinciali, vel visitatore.

n. 11. c. 98. 25. Quòd Prouincialis, ac visitator in suis visitationibus ea, quæ remedio egere intellexissent, quippe quæ liquidò Regulis obuersarentur, neque moram paterentur, non curauerint, vt omnino ante suum e collegio discessum executioni mandarentur.

n. 12. c. 99. 26. Quòd Superiorum omnium idem non fuerit animus in disciplina promouenda, omniumque similiter consultorum, Admonitoris, Præfecti spiritus, & aliorum, qui promouere poterant executionem.

n. 12. c. 59. 27. Quòd antiquiores obloquentes de Religiosæ disciplinæ promotione non moniti fuerint, coerciti etiam publicis pœnitentijs.

Instr. 21. nu. 10. & 11. ca. 110. & 111. 28. Quòd Prouinciales non diligenter, ac sincerè quotannis peculiariter non scripserint ad Generalem; *Quos Præfectos spiritus præfecissent, & quomodo se gessissent: vt Superiores in modo exigendi rationem conscientiæ se exhibuissent: Num obseruata ordinatio de non visitandis fœminis; vt conferentiæ pro formandis Superioribus succesissent: Quinam remissi, ac negligentes in gubernatione fuissent.* Nec peracta Visitatione collegij, ac Domus, vel totius prouinciæ saltem, non exposuerint *fideliter Generali talenta, moresque Superioris cuiusque collegij, ac Domus, ac omnium subditorum*; simulque non indicauerint fideliter, *An vigeret Regularum obseruantia, an langueret; & quinam frequentes defectus, quæ causæ, quæ remedia adhibita.*

33.°

Ex Instructione de spiritu ad Superiores hæ nominatim causæ deduci queunt.

ca. 1. c. 8. et 9 P.° Quod Prouinciales prouinciæ suæ loca visitantes coram superiore, ac ministro consultoribus etiam, ijsq; qui aliàs gubernarunt lectis Rectorum, & aliorum, Subordinatorum Regulis, Ordinationibus, Instructionibusque non practicas fecerint conferentias de via & modo

rectè

ndæ gubernandi; de ijs rebus, in quibus labi procliue fuit, & quam quisque rationem in quorumdam morbis initurus esset, & quid in hoc illove casu fieri oporteret à Superioribus &c. Nec illis indicatum, si in hoc vel illo curando peccarint &c.

2. Quòd Superiores ignorauerint subditorum suorum morbos quoad actus vel intrinsecos, vel extrinsecos eo quod in ipsis fuerit durior quędam agendi ratio, & parum affabilis, & fuco, artificioque vsi fuerint, fidos ac vigilantes syndicos, ministrumq; idoneum non habuerint, nec filiorum suorum ægritudines paterno affectu, ac sollicitudine non obseruarint. c.10.n.1.

3. Quod superiores neglexerint, atq; in deteriora labi siuerint morbos subditorum, paternè ac sincerè non monendo, laqueos & pericula non indicando, defectuum ipsorum radices, ac fontes non patefaciendo, pœnitentias non imponendo, damna non prospiciendo, nec illis occurrẽdo, vel occasiones amputando, vel habenas reuocãdo &c. c.11.n.2.

4. Quòd Superiores hosce morbos fouerint, aluerintque dissimulando, & conueniendo, relaxando, ac liberiùs interpretando, dispensando sine causa legitima &c. c.11 n.3.

5. Quòd Superiores hosce morbos auxerint humano quodam metu, placendi studio errata vel leuiter tractando, vel penitus etiam tegendo, & dissimulando, remedia opportuno tempore non admouendo &c. c.12.n.4.

6. Quod Superiores subditorum morbos exasperauerint, atq; exacerbauerint, in ipsa correctione stomachum potiùs qemdam, animique perturbatinem, quam sincerum caritatis affectum, commiserationemq; præferentes; acrioribus verbis rem exaggerantes, ijsque nonnunquam etiam mordacibus, & contumeliosis; acerbioraq; medicamenta ingerentes, quam aut morbi vis requireret, aut ægri conditio, & natura pateretur. c.12.n.5.

7. Quòd Superiores minimè cogitarint se Medicos, Pastores, & Patres esse, & Patres quidem non corporum, sed animarũ, & omnium, qui ipsorum curæ, fideique commissi sunt, non vnius cuiuspiam, aut duorum &c. ca.13.& 14. n.1.

8. Quòd Superiores neglexerint, seu exiguã curam habuerint rerum internarum, spiritus, deuotionis, & intimæ cum Deo coniunctionis. c.14.n.2.

9. Quòd Superiores omiserint, aut perfunctoriè, & sine attentione obierint præscriptam horam considerationi. c.15.n.3.

10. Quòd Superiores ferri vt plurimum, ac varijs nominibus supra modum effundi se permiserint in rerum externarum occupationem. ca.15.[& 16. n.4.

11. Quòd Superiores nescierint modum, artemque curandi spirituales infirmitates. c.18.n.5.]

12. Quod fuerint impatientes in perferendis laboribus diuturnæ curationis Superiores. c.18.n.6.

13. Quod

13. Quod non dederint operam Superiores, vt ipsi alijs omnium vir-
ca.18. & 19. n.7. tutum exemplo prælucerent, singularitatem declinando, & omnem
procedendi modum; qui suspicionem præbere posset, ipsos imperio,
& gubernatione delectari; specimen dando humilitatis, religiosæ
paupertatis, caritatis, studij, amorisque laborum, obedientiæ erga
suos Superiores non voluntatis solùm, verum etiam iudicij, optando
ab eis dirigi, monitaque illorum ac reprehensiones humiliter, & cum
ædificatione suscipiendo, nec *ægrè ferendo, curiosiusve, quis detulerit,
obseruarit, scripserit, inquirendo*.

c.2.4.21.n.1 14. Quòd Superiores ignorauerint Ordinationes, aut earum minimè
fuerint recordati.

15. Quòd Superiorum nimia quædam facilitas, & indulgentia fuerit
c.21.n.2. in dispensatione Constitutionum, Regularum &c.

16. Quòd Superiores propter difficultatem, quæ à subditis objicie-
c.22.n.3. batur, eos vrgere, vel ampliùs non vrgere desierint.

c.24. 17. Quòd non amoti à gubernatione hi, qui quod facere debebant,
prætermiserunt.

c.24. & 25. cap.3. 18. Quod non potissimam adhibuerint Superiores curam in promo-
uendo studio orationis, internarumque rerum.

c.27.n.9. 19. Quod non aduigilauerint Superiores, vt vigeret prorsus silentij
Regula, nec transgredientibus pœnitentias imposuerint.

20. Quod non fortiter adnixi fuerint Superiores, vt subditi se ipsos
c.31.n.3.et 5 vincerent, fieretque id omnino, quod ad maiorem Dei gloriam, infe-
riorumque bonum conducebat, constantes, fixique &c.

ca.38.40. & 21. Quòd Superiores non amputauerint occasiones contra Castita-
41.n.2.& 3. tem peccandi, & obiecerint periculis e Socijs minus spirituales, &
distractionibus magis obnoxios, & non remedium statim admoue-
rint, vbi accidit aliquid minùs rectum.

22. Quòd eorum, qui virtute sua parum se probabant Societati stu-
dia alijs occupationibus non fuerint aliquando interrupta, vel certè
ca.44.& 45. n.4. dilata; adeoque nec tunc apertè simul de imperfectionibus suis mo-
nitis &c.

34.°

*Ex Libro Industriarum ad curandos Animæ morbos
hæ Causæ peculiariter deduci queunt.*

P.[1] Quòd Superiores non paterna quadam, & plena amoris, ac fidu-
c.10. ciæ patientia, sed perfunctoria medicina subditorum morbos curare
intenderint.

2. Quod in Superioribus curationem morborum aggressuris defue-
c.12.15.16. 17.& 18.n.2. 4.5.6.8.& 9 rit recursus ad orationem, dexteritas ad difficultates superandas, me-
dicamentorum congruitas, & opportunitas, attenta qualitate mor-
bi, corporisque complexionis, antequam curationem aggrederentur,
consideratio, suique examen atq; humiliatio; & præsertim compas-
sionis affectus; Rectitudinis zelus; Discretionis spiritus; modestia in
incre-

increpando; Copia in exhortando; efficacia in perſuadendo; continentia in carne ab omni voluptate; miſericordia in fratre; patientia in pietate.

3. Quòd Superiores non coniunxerint ſuauitatem, & efficaciam in gubernando. *cap.2.c.21.*

4. Quod Superiores peculiariter non ſtuduerint, vt curarent morbos Aulicismi, & ſeminationis diſcordiam. *cap.14 et 17 c.97.& 102.*

35.°

Ex Libro Regularum Societatis hæ cauſæ deduci queunt nominatim.

P.° Quod Prouinciales non fuerint tales, quales earum Regulæ præſcribunt; hoc eſt. P.° non imitati fuerint in gubernatione caritatem, manſuetudinem, & gubernationem Chriſti Domini, exemplo magis, quam verbo ſubditos ad perfectionem dirigendo, nec modeſtè, & circumſpectè præcipiendo ita amabiles ſe reddiderint, vt omnes fidenter ad illos recurrere poſſent. 2. Non communicauerint Conſultoribus res grauiores, eoſque bene informauerint; ac in proponenda re, de qua deliberandum foret, in aliquam partem animi ſui propenſionem oſtenderint, dando Conſultoribus occaſionem declinandi in eam partem &c. 3. Non libenter ſe ab alijs admoneri paſſi fuerint de ijs, quæ ad officium, & perſonam ſuam pertinebant &c. 4. Non ita tuiti fuerint auctoritatem Superiorum immediatorum, vt tamen conſtaret potuiſſe omnes ad mediatos recurrere. 5. Non cauerint, ne admiſſio eorum maximè, qui in Societatis Scholis inſtituuntur, ad Societatem iuſtam aliquam externorum offenſionem pareret; nec attenderint, ne nimij eſſent Socij in hominibus ad Societatem alliciendis, & ne inepta turba admitteretur, & vt Regulæ examinatoris in hoc diligenter ſeruarentur. 6. Non diligenter viderint, vt qui minùs idonei ad Societatem, & qui tandem aliquando dimittendi videbantur, intra biennium probationis dimitteretur; nec tempeſtiuè Generalem monuerint, vbi alios poſt illud etiam huiuſmodi deprehenderunt. 7. Haud ingeniorum licentiam in opinionibus vel introducendis, vel ſectandis iuxta leges latas omnibus modis non coercuerint. 8. Non rariſſimè Comœdias, ac Tragedias agi permiſerint, & non latinas, ac decentes. 9. Non nixi fuerint, antequam lis alicui intenderetur, rem compromiſſione agere; & dum Socijs lites intendebantur, & de iure Sociorum manifeſtè non conſtabat, non curauerint, vt aliqua tranſactione, vel concordia res tranſigeretur. 10. Non rationem exegerint diligenter accepti, & expenſi in quibuſlibet Collegijs, ac Domibus; magnum æs alienum ab ijs conflari permiſerint, ac in ijs plures habitare, quam ali potuerint, ac neceſſaria deeſſe, ſuperfluaque expendi. 11. Permiſerint ſocios abdicare ſe poſſeſſione ſuorum bonorum, quos cōſtantes in ſua vocatione non cognouerant, atque in hac re maturo ſemper conſilio non proceſſerint; & cum aliqua bo-

Reg. 3.4.11. 14.15.17.28 32.33.34.41 54. 58. 77. 79. 82. 85. 86. 90. 97. 98 100 102. 115.& 127.

quabo-

qua bona à Socijs abdicantibus se suorum possessione bonorum Societati cum facultate Generalis applicantur, non magnopere curauerint, vt cum ædificatione, & caritate, & non cum rigore exigerentur, potiusque per externos Procuratores. 12. Permiserint, vt Socij aliquid peterent à parentibus, cognatis, vel amicis; nec curauerint, vt omnia eis necessaria à Societate prouiderentur. 13. Permiserint, vt externis se communicarent Socij non probati, in vocatione non stabiles, non discreti, nec bene instructi, quique alios non ædificarent. 14. Non dederint operam, vt Confessarij, præsertim mulierum essent maturi ætate, & multo magis spiritu, & moribus. 15. Non præcipuè inuigilauerint, vt Concionatores, qui ad suas Regulas non se accommodabant, à concionandi munere amouerentur, & in alijs ministerijs occuparentur. 16. Non effecerint, vt in Festis, quæ à Socijs celebrari solent, ornatus Ecclesiarum esset moderatus, ac Religiosus, & quoad eius fieri poterat, sine nimia distractione Sociorum, & molestia externorum. 17. Non dederint operam, vt socij in profectionibus, quos ipsorum Superiores id præstare posse iudicare poterant, in toto, vel in parte pedestri itinere vterentur, & in equitando solius necessitatis personæ, siue negociorum ratio haberetur. 18. Non ea, quæ contra alios, ac præsertim Superiores dicta sunt, dum ipsi visitarent Collegium, aut Domum, notauerint, & expenderint, vt veritatem assequerentur &c.

Reg. Præp. 3. 7.14.15.16. 21.22.26.27 28.33.36.41 61.63.64.72 74 75.76.82 83. & 87.

2. Quod Præpositi, ac Rectores non fuerint tales, quales eorum Regulæ præscribant; hoc est. P.° Communes regulas non seruauerint; particularia in cibo, Indumentis, & aliarum rerum vsu, quantum fieri poterat, non vitauerint; & familiaritate, atque indulgentia cum quibusdam alios offenderint. 2. Non curauerint, vt officiales tempus vacuum vtiliter impenderent diuino seruitio. 3. Non fuerint solliciti, ne Minister, & reliqui officiales suo deessent officio, omissis alijs, quæ impediebant. 4. Non saltem alternis hebdomadis, deque rebus maioris momenti cum Consultoribus non egerint; Consultoresque, & alios omnes, cum eis aliquid proposuerunt, libenter, & benignè non exceperint, & præcipue eum, cui Monitoris officium commissum erat. 5. Non Societatis Institutum reuera cognouerit &c.

Reg. Rect. 2. 6.13.14.15. 20.21.25.26 27. 32.36. 58. 59.60. 67. 70. 72. 73. 74. 80. & 85.

6. Non studuerint subditis exemplo obedientiæ præire, quam ipsi suis Superioribus præstare debebant. 7. Non dederint operam, vt Constitutiones, ac Regulæ seruarentur. 8. Non crebrò, & magna caritatis significatione allocuti fuerint subditos, eorumque necessitatibus non corporis tantùm, sed multò magis animæ paterno affectu non prospexerint: & quos intellexerunt aliqua tentatione pulsari, præsertim graui, eorum peculiarem curam, & sollicitudinem vel per se, vel per alios non gesserint; ac remedium longiùs differendo difficiliorem morbi curationem reddiderint. 9. In correctionibus, & pæni-

pœnitentijs iniungendis rationem non habuerint difpofitionis perfonarum,& ædificationis vniuerfalis,& particularis earum; nec in correctionibus illud vniuerfaliter obferuauerint, vt qui peccauerant, primò in caritate,& dulcedine admonerentur &c. 10. Non diligentiffimè vnionem,& conformitatem mutuam curauerint; tulerintque inter domefticos perturbationem,iramque mutuam &c. 11. Introduxerint aliquas nouas recreationes. 12. Non curauerint,vt fubditi in fpiritualibus exercitijs tradendis accuratè exercerentur,poftquam ea in fe fuiffent experti. 13. In ijs, quæ ad rationē Victus, & aliarum rerum vitæ neceffariarum, aut conuenientiam fpectant, non habuerint rationem femper Humilitatis, Paupertatis,ac fpiritualis Aedificationis in Domino. 14. Haud ægrotorum magnam curam habuerint;nec curauerint, vt feruaretur diligenter quod Medicus præfcripfiffet. 15. Cum quidpiam alicui particulari ab externo miffum eft, non in communem vfum fuerit acceptum,ac difpenfatum. 16. Permiferint focios mulieres inuifere, aut ad eas fcribere fine neceffitate, vel fine fpe magni fructus,& id permiferint viris non valde probatis, & prudentibus. 17. Non curauerint, ne Socij primarios Viros inuifere confuefcerent,nifi fancto ftudio piorum operum, vel quando intima beneuolentia in Domino coniuncti forent; permiferintq; à Socijs offerri munufcula Magnatibus, quæ ad res maiores obtinendas offerri folent. 18. Ex caufa leuis momenti fiuerint focios capere cibum apud externos;aut ab eis vifitari,cum ægrotant. 19. Caritatem magnam non exhibuerint erga alios de focietate per Domum, aut Collegia tranfeuntes,eofque amanter hofpitio non exceperint; & in externis hofpitio accipiendis non habuerint præcipuam rationem Religioforum,cum neceffitatis caufa ad focios diuertebant. 20. Non magna caritatis fignificatione curauerint fubminiftranda neceffaria ad iter illis,qui e fua Domo,vel Collegio aliò mittebantur &c.

3. Quod non fuerint tales,quales eorum Regulæ præfcribunt,examinatores, Magiftri Nouitiorum, Peregrini, Miniftri, Confultores, Admonitores,Præfecti Rerum fpiritualium, Præfecti Ecclefiæ, Sacerdotes,Concionatores,qui in Miffionibus verfantur,Procurator Generalis, Procuratores Domorum profefforum,& Collegiorum,Domorum que probationis, Præfecti Lectorum ad Menfam, Præfecti Sanitatis, Præfecti Bibliothecæ, Scholaftici Societatis, Subminiftri, Coadiutores Temporales,Aeditui,Infirmarij,Ianitores,Cuftodes veftium,Emptores,Difpenfatores, Præfecti Refectorij, Coqui,Excitatores, & noctu cubicula Vifitantes.Qui omnes peculiares Regulas habent in Libro Regularum impreffas, quem Librum non pauci externi apud fe habent.

4. Quod non fuerint feruatæ à Prouinciali, Rectore, Studiorum præfecto, profefforibus Superiorum facultatum, Magiftris inferiorum

 Claf-

Claſſium, alijſque Regulæ in libro, qui dicitur Ratio ſtudiorum, reſpoſitæ, quæ numerantur ferè 470.

Animaduertendum tamen hic eſt.

P.° Nos non dicere abſolutè; *Quòd hæ fuerint cauſæ*, propter quas defecerit ſpiritus primigenius in ſocietate; ſed ſolùm, *Quod allatæ cauſæ potuerint illum ſpiritus defectum inducere.*

2. Nec nos aſſerere; *Quod omnes allatæ fuerint cauſæ talis defectus*; neque enim oſtendere intendimus, quod in illis omnibus peccatum ſit, licet peccari potuerit.

3. Pertinere maximè ad Socios videre; *an in illis omnibus, vel in earum aliquibus peccatum ſit, vel etiam in alijs*, & præcipuè in illis Regulis, quarum nos nullam explicitam mentionem fecimus, vt ſunt Regulæ, Examinatoris, Magiſtri Nouitiorum, Sacerdotum, Concionatorum &c. Regulæ ſtudiorum &c. Et ex earum quidem obſeruantia, vel tranſgreſſione poterunt ipſimet Socij etiam alias huius defectus cauſas *inueſtigare, & cognoſcere.*

4. Licet ſingulæ ex allatis cauſis non potuiſſent relaxationem in Societatis diſciplinam tum interiorem, tum exteriorem inducere; *attamen plures ſimul potuiſſe hanc habere vim.*

5. Quamuis aliquæ videantur ex allatis cauſis leues, attamen non ſolùm prout cum alijs grauioribus iunctas, verum etiam per ſe ipſas tantùm, talem defectum in Societatem importare potuiſſe. Hinc P. Claudius in litt. de Renou. ſpir. ad vniuerſam Societatem ſcriptis anno 1604. die 24. Iunij, monuit, cauendum *eſſe Socijs non ſolùm exacta*
c.335.c336 *omninò diligentia à mortalibus peccatis; verum omni etiam cura à venialibus, & imperfectionibus, præſertim grauioribus, quæ veluti morbi animæ, atque humores noxij, quaſi defluentes in neruos ſpiritus impediunt, retardant, prohibentque motus, ſenſusque vitales ab hoc ſpiritu venientes, quo viuificantur, vegetantur, & ſenſificantur animæ noſtræ.* Et in lit. ad Superiores eodem anno die 20. Auguſti eos peculiariter monet hiſce verbis. *Nec leuiter peccare ſe credant, ſi iniuria, vel negligentia ſua permittant, vt peccata, quamuis leuia, propagentur: quando his diſci-*
c.347.c343 *plina eneruatur, & religionis facies, ac nitor obducitur, dum neſcio qua ignauia, peruerſaque conſuetudine, quæ parui fiunt magno ſanè cum incōmodo, & noxa contemnuntur; qualia ſunt neglecti ſilentij obſeruatio, crebræ confabulationes, ſermoneſque rerum nouarum, murmurationes, & ſuſurrationes, litteras dandi, atque accipiendi impunitas, prolixa cum fœminis colloquia, inutiles viſitationes, & alia id genus: quæ quoniam quibuſdam in locis vſitatiora ſunt, Superiorum oculos, licet magno alioqui zelo videantur, non perinde offendunt. Et tamen ab hiſce defectibus grauiſſima interim damna conſequuntur: præfocatur ſpiritus, ac deuotio: minuitur affectus, et obſeruantia aduerſus Superiores: læditur ædificatio proximi, bonumq; nomen, ac fama Societatis:* vnio deniq; *& caritas fraterna labefactatur.*

PARS

PARS SEXTA.

In qua declarantur illa, in quibus Religio Societatis Ieſu præſenti indigere poteſt Reformatione, vel efformatione &c.

MAioris claritatis gratia Partem hanc in plura tribuimus capita;
illud ſupponentes *non Societatis ſpiritum tueri, ac viuificare,* c.4.98.& 99.
quòd chartis deſcriptæ ſint Conſtitutiones, ac Regulæ, ſed viuas, ac vigen-
tes ipſo vſu declarari, vt habet expreſsè P. Claudius Aquauiua in lib.
Ordin. initio c. 17. de aptis ad gubernandum; qui præterea initio c. 1.
Inſtruct. de ſpiritu ad Superior. ſapientiſſimè dixit. *Fruſtra ſiquidem*
libri Regulis, ordinationibus, ac viſitationibus implentur; ſi deſint ani- c.2.
mata inſtrumenta, quæ ſpiritum ſubminiſtrent, & viuidam illarum pra-
xim exerceant. Quibus conſona ſcripſit P. Mutius Vitelleſcus, qui non
ſolùm in litt. ad Superiores eos monuit vt ſocietatis Inſtituti crebra
Conſtitutionum, ordinationumq; lectione ſe peritos redderent, eæ
vt ſeruarentur potiùs, quam vt nouæ conderentur, ſtrenuè vnà, & ſua- c.425.et426
uiter curarent: Verùm etiam in litt. ad Patres Congregationum Pro-
uincialium, vbi recenſuit aliquot morbos, quibus tentari cæperat So-
cietatis corpus, hæc habet. *Tametſi aduerſus iſthæc, quæ ſtrictim atti-*
gi, mala, & incommoda non deſint remedia, eaque per Dei gratiam effi- c.447.
caciſſima, quæ petere liceat ex Conſtitutionibus, Regulis, Inſtructioni-
bus, & Ordinationibus, quas, vt dixi, multiplicare non intendo. præſer-
tim cum Negotij ſumma pendeat ab executione, quæ ſimiliter pendet à
Superiorum fortitudine, ac zelo; quando certum eſt Regularum praxim
fore ſatis, vt omnibus occurratur incommodis; nihilominùs tamen per-
nelim &c. Et in litteris Anno Societatis centeſimo ad vniuerſam So-
cietatem ſcriptis (quas Italico ſermone exaratas tantùm apud me ha-
beo) inquit. *E' veriſſimo, che la Compagnia in queſto ſecolo, oltre*
le Conſtitutioni, e Regole, che ſono vn'intiero teſoro di pretioſiſſimi an-
tidoti per ogni male, è anche ſtata prouiſta, & arricchita abbondante- ca.19.& 20.
mente di auuertimenti, ordini, & iſtruttioni sì ſaluteuoli, e preſenta-
nee in ogni genere di coſe; che voler'inuentarne, e proporne dell'al-
tre, ſarebbe più toſto confondere i ſani, & aggrauar gl'infermi, che
preſeruare gli vni, e ſanar gli altri. Vna ſola coſa può eſſere alle volte che
manchi, & è quella, ch'io pretendo quì di raccomandare, come faccio col
maggior affetto, e ſentimento che poſſo, deſiderando viuamente, che reſti
per ſempre impreſſa nell'animo di ciaſcun di noi per ſcendere, e communi-
carſi nell'occaſione alle mani. Queſta è la puntuale, & efficace eſecutio-
ne delli rimedij, & ordinationi, che habbiamo: il ſolo eſercitio della qua-

le manterrà sempre la compagnia giouane, e vigorosa non solamente in sæculum, ma anche in sæculum sæculi &c. Hinc e sententia quoque horum duorum Generalium non satis est ad hoc, vt dicatur Societatis corpus vegetum, & sanum, quod saluberrimis Constitutionibus, Decretis, Regulis, Ordinationibus, atque Instructionibus libri ad Societatis Institutum spectantes, referti sint; sed videndum, an iuxta illas Societatis corpus rectum fuerit, ac regatur; & si ex eo quod modò inciperet iuxta illas regi, pristinæ sanitati, siue antiquo robori redderetur, negari non posse quin societatis Iesu Religio reformata fuerit; tunc enim illæ Religiones Reformari dicuntur; cum à primæuis moribus, ac Institutis, quibus à Fundatoribus, Domino inspirante, atq; Apostolica Sede approbante primùm fundati sunt, antiquo morum, Institutorumque splendori restituuntur. Verum quia docere potuit experientia, ex hisce Institutis nonnulla esse minùs opportuna, vel etiam noxia, aucto maximè talium Religiosorum numero; fit vt Religionibus interdum necessaria sit nouarum aliquarum legum antiquioribus abolitis efformatio: Qua an indigeat Societas Iesu, sapientissimi Pontificis decernere partes erunt; *infirmitas enim huius Religionis ad commune Ecclesiæ damnum* (sic habet Greg. 14. in Bull. 1.) atq; *integritas ad eiusdem vtilitatem maximè pertinet*. Infirmum autem esset Societatis corpus, si multi ab illa perfectione spirituali degenerarent, quæ in ipsis requiritur; & multæ Prouinciæ, vel multa collegia laberentur (vt scribit P. Claudius in litt. de medijs ad conseruandam societatem, & de sollicitudine Superiorum) in multos defectus contra obseruantiam Constitutionum, Regularum, Decretorum, Ordinationum &c. adeoque remedio indigeret efficacissimo, ne reliqua membra inde inficerentur, & corrumperentur; & quod priuatim à singulis delinquitur, non solùm graui totius Societatis corporis malo, ac vulnere lueretur, verùm etiam periculosa imitatione serperet longiùs: ea *namque res* (verba sunt eiusdem P. Claudij in litt. de Perfectione, & caritate fraterna) *procliuiùs ad perniciem, cum semel cæpit, labitur*. An autem reuera coram Deo, multi saltem è socijs in his, quæ mox sequentibus afferentur capitibus, peccauerint, indigeantve peculiari Reformatione, siue Efformatione, e socijs pleriq;, & non pauci etiam ex externis perspectum habent; & vtinam non opus esset, vt ex his plurium praxis haud inducenda esset, vel non reuocanda.

In Bu.c.275

n.193.194. 345.& 346.

n.168.

Caput Primum.

De Reformatione circa votum Paupertatis &c.

1. Tomo. P.º SAnctum Ignatium velle, vt Paupertas, quam Religionum Propugnaculum appellat p. 10. §. 5. & mu-

rum g.

rum p.6.c.2.§.1. diligatur à socijs tanquam mater p.3.c.1.§.25. Huc reſpexit P. Mutius in litt. ad Patr. Cong. Prouincial. anno 1619. datis ſic dicens. *De Paupertate aliquid etiam dicendum eſſet; nec enim dubium, quin ea relaxetur, indeque debilitetur noſtræ Religionis munus, & re vera non ſe prodant in nobis ea grati animi, tenerique amoris ſigna, quæ huic virtuti, quam matrem agnoſcimus, iure debentur.* c.445.

2. *Pono* teneri vnumquemq; e socijs nulla re vti tanquam propria p. 3.c.1.§.7. Cum autem peculiariter dubitatum fuiſſet, an qui poſt emiſſa vota societatis ſimplicia poſſeſſione bonorum ſuorum nondum ſe abdicarunt, & rebus ſuis tanquam proprijs vtuntur, expendendo, donando &c. ſine facultate, contra votum peccent illi Conſtitutionum verbis expreſſum; Congregatio 5. approbauit declarationem factam à Patribus Deputatis pro dubitationibus circa Conſtitutiones, vt qui *vtitur rebus ſuis, quacumque ratione illis vtatur, tanquam proprijs, vel ea diſtribuat ſine facultate Superioris, faciat contra votum Paupertatis Societatis, & non contra Conſtitutiones tantùm*; & cum iterum dubitatum fuiſſet circa illa verba Deputatorum, *vel ea diſtribuant, ſine facultate Superioris*, Congregatio iterum Patrum Deputatorum iudicium approbauit. *Cong. 5. dec. 10. 50. & 59 ca. 281. 311. & 324.*

3. *Pono*. Nullum e socijs poſſe mutuo dare vel accipere, vel diſpenſare quidquam de ijs quæ Domi ſunt, niſi Superior conſcius conſenſum præſtiterit p.3.c.1.§.8. Hac autem Regula comprehendi etiam ſcripta in Scholis declarauit P. Claudius.

4. *Pono*. Quemcumq; teneri ſibi perſuadere ſui victus, potus, veſtitus, & lecti rationem fore, vt pauperibus accommodatam; quodque quæ viliſſima erunt ex ijs, quæ domi ſunt, ei tribuentur propter ipſius maiorem abnegationem, & ſpiritualem profectum &c. Exam. c.4. §.26. *cum enim* (inquit S. Ignatius) *qui primi in Societatem conuenerunt, per huiuſmodi indigentiam, ac penuriam maiorem rerum corpori neceſſariarum probati fuerint; qui poſt eos accedent, curare debent, vt quoad poterunt, eò pertingant, quò illi peruenerunt, vel vlteriùs etiam in Domino progrediantur.*

5. *Pono*. Nullum etiam Scholaſticum non ſolùm Domi verùm etiam nec foris apud alios poſſe tenere aliquid, quod ſubſit ipſius diſpoſitioni, niſi conſcio, & approbante superiore p.6.c.2.§.11. & L. H.

6. *Pono*. Vnumquemque teneri non ſolum reſecare ſuperflua p. 6. c.2.§ 11. verùm etiam aliquos Paupertatis effectus experiri p.3.c. 1.§.25.

7. *Pono*. Omnes paratos eſſe debere ad mendicandũ oſtiatim, quãdo obedientia, vel neceſſitas id exiget p.6.c.2.§.10.p.4.c.2.§.6.& Exam. c.4.§.27.& præcipuè teneri Profeſſos ire ad Miſſiones ſine pecunijs in itinere emendicando, ac viuere etiã in ijs locis ex eleemoſinis propter Chriſti amorẽ emendicatis exam. c.4.§.5.p.6.c.2.§.13.& L.I. & p.7. c.1.§.3.

c.1.§.3.L.E.Hinc Exam.c.4.§.27.iubetur, vt antequam Professi suam Professionem, & Coadiutores sua vota emittant, & (si superiori videbitur) scholastici antequam approbati censeantur, per triduum pro Christi Domini nostri amore mendicent, vt contra quam est communis hominum sensus, ad diuinum obsequium, & laudem magis se possint submittere, magisque in spiritu proficere ad gloriam Diuinæ Maiestatis: vt etiam magis sint dispositi ad id ipsum faciendum, quando illis iniunctum fuerit, vel conueniens, aut necessarium erit, *dum per varias mundi partes, iuxta quod eis præscriptum, vel constitutum per Summum Christi Vicarium, vel eius loco per Superiorem Societatis fuerit, discurrerent. Quandoquidem exigit nostræ professionis* ratio (inquit S. Ignatius) *vt parati, & in procinctu simus ad ea omnia, quæ quouis tempore in Domino nobis iniuncta fuerint, nec petendo, nec expectando præmium vllum in præsenti hac*, & *labili vita; sed eam, quæ vndecumque æterna est, ex summa Dei misericordia semper sperando.*

8. *Pono*. Non posse Societatem pro Missarum Sacrificijs, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vsius Sacramenti administratione, vel quouis alio pio officio ex ijs, quæ iuxta suum Institutum Societas potest exercere, stipendium vllum, vel eleemosinam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solent, admittere. Exam.c.1 §.3.p.6.c.2.§.7. & p.10.§.5. Et licet Cong.5.dec.39.noluerit statue-
c.191. re, An accipere aliquid pro ministerijs societatis, tanquam stipendium, vel eleemosinam in compensationem sit contra votum Paupertatis Societatis, An contra Constitutiones tantùm; prohibuit tamen, ne vllus Superior, ac ne ipse quidem Præpositus Generalis, in ea lege dispensaret. Declarauit autem P. Claudius, vt habetur c.1. Ordin. Præp. Gener.n.14. si *eleemosinæ ad (collegia mittantur ab ijs, quorum fi-*
n.14. *lij Scholas Societatis frequentant; & coniectura sit (sumpto iudicio ex circumstantijs personarum, ac modi dandi, & loquendi) mitti pro compensatione, vel intuitu ministerij, admitti non debere, donec planè intelligant, accipi non posse, nisi nomine eleemosinæ, secluso omni alio respectu, atque hoc eodem modo ipsi quoque largiantur. Idemque est iudicium de eleemosinis, quæ postquam Socij alicubi concionati sunt, ad Domos, vel collegia interdum mittuntur à Prelatis, vel à Ciuitatibus, aut alijs.* Et
in Bul.c.61. operum quidem caritatis exercitia gratis omninò exhibenba esse à Socijs habet formula Instituti Iulio Tertio proposita à S. Ignatio.

9. *Pono*. Vt omnis auaritiæ species euitaretur, præcipuè in pijs ministerijs, quibus ad animarum auxilium Societas vtitur, præscribi p. 6.c.2. §.8. ne vlla sit in Ecclesijs Societatis arca, in quam eleemosinæ ab ijs, qui ad Conciones, Missas, vel Confessiones, & reliqua spiritualia ad eam conueniunt, conijci solent. Cui legi consonum decretum
de.78.c.147 istud Con. 2.edidit. *Omni cura, labore, & diligentia curemus, ne arcula aliqua proponatur in nostris Ecclesijs ad eleemosinas accipiendas pro*

alijs, eum

alijs, cum pro nobis tam sit necessarium eas poni non posse, vt non rem tantum euitemus, quæ nobis prohibita est, sed rei illius omnem speciem.

10. *Pono*. Vt meliùs paupertatis puritas, & quies illa, quam secum affert, conseruaretur, non solùm particulares Professos, vel Coadiutores formatos hæreditariæ successionis non esse capaces, verùm nec Domus, nec Ecclesias, nec Collegia eorum ratione p.6. c.2. §.12. *Sic enim* (inquit S. Ignatius) *omnibus litibus, & controuersijs præcisis, caritas cum omnibus ad Dei gloriam meliùs conseruabitur*. Huc videtur respexisse Con.2. dec.55. quod sic habet. *Lites forenses, pro rebus præsertim temporalibus, fugiant Nostri omnes, & id curent Prouinciales efficere; ac primùm compromissione rem adnitantur componere. Quod si nulla ratione id possint assequi, tamen non intendat quiquam e nostris litem huiusmodi, nec omnino litem aliquam absque consensu Præpositi Generalis, aut eius, cui expressè suas vices ad hanc rem ille commiserit. Nostris autem si lis intendatur, curent Prouinciales primùm, vel à parte, vel à Iudice peti, vel id consequi per Principem, vt priùs possit consuli Generalis Præpositus, quàm liti respondere cogantur; nam fieri poterit, vt Generalis Præpositus iubeat cedere nostros liti, & potiùs detrimentum temporale pati, quam litibus dare operam, etiam pro re alioqui debita.* c.131.

11. *Pono*. In ijs Collegijs, quæ duodecim Scholasticos (præter Præceptores) ex proprijs redditibus alere possunt, ob maiorem populi ædificationem, non peti posse eleemosinas, nec illas, aut dona vlla oblata admitti p.4. c.2. §.6. Congregatio autem 3. declarauit, Quoniam finis istius Constitutionis est populi ædificatio, ad huius finis normam, tam intelligentiam, quàm praxim Cõstitutionis exigendam esse: iudicio autem, & arbitrio R. P. Generalis relinquendum, vt habita ratione finis, & Constitutionis vsum præscribere, & interpretari eamdem, & si opus esset, dispensare etiam posset. de.15. c.182.

12. *Pono*. In Vestitus ratione tria obseruanda ex p.6. c.2. §.15. Primùm, vt honestus ille sit; Alterum, vt ad vsum loci, in quo viuitur, accõmodatus. Tertiùm, vt Professioni paupertatis non repugnet. Videretur autem repugnare (subdit S. Ignatius) si sericis, vel prætiosis pannis vteremur; à quibus abstinendum est; *vt in omnibus humilitatis, & submissionis, debita ad maiorem Dei gloriam ratio habeatur.*

13. *Pono*. In ijs, quæ ad rationem victus, somni, ac vsus reliquarum rerum vitæ necessariarum, vel conuenientium spectant, habendam esse semper p.6. c.2. §.16. rationem *Humilitatis, Paupertatis, ac Spiritualis ædificationis, quæ semper nobis in Domino* (inquit S. Ignatius) *ob oculos versari debet.*

14. *Pono*. Quemcumque Professum, (etiam trium votorum iuxta declarationem P. Euerardi Quarti Generalis approbatam à Cong.4. dec. 54.) teneri post Professionem emissam vouere, quod nunquam aget quacumque ratione, vel consentiet, vt quæ ordinata sunt circa c.167

paupertа-

paupertatem in Constitutionibus Societatis, immutentur &c. Controuersum quidem est inter societatis Doctores, an illud votum sit vniuersale, an verò intelligatur tantùm de Paupertate pertinente ad Domos Professas; sicuti quoque est controuersum, An tenerentur professi in secunda Congregatione Generali coacti anno 1565. cedere Iuri, quod ex Concil. Trident. sess. 25. c. 3. de Regu. habere videbantur bona immobilia possidendi, An verò fuerit solùm voluntaria quædam cessio in dec. 33. Votum quidem hoc obligabat societatem ad non admittẽdos annuos perpetuos redditus Collegio alicui donatos cum onere partim illorum annuè Domui professæ dandi, & erogandi, vt ipsi Patres Cong. 7. dec. 50. dixerunt.

c.130. (margin)

c.447. (margin)

Horum autem, quæ sequuntur, vel inducenda, vel reuocanda, vel exactè seruanda praxis, vt Votum Paupertatis Societatis in sua puritate esse, ac seruari possit.

e l. Re. c. 25 P.° Nemo pecuniam apud se habeat iuxta Reg. 7. ex Comm. Omnis
In lib. Regu. autem pecunia quocumq; modo cuique socio tradita tradatur pro-
p. 217. e 221. curatori Domus, vel Collegij statim, & nulli alteri etiam Superiori: *tum quia* in Regul. Procur. Domus Professæ 6. dicitur eius munus esse *quascumque eleemosinas recipere, & quæcumque afferuntur domum, in libro quodam ad id designato quotidie scribere, &* 8. *Pecuniam vndecumq; prouenerit, si alicuius momenti fuerit, iudicio Superioris, in arca reponendam ad id designata, cuius clauem vnam Præpositus, & ipse Procurator alteram diuersam custodiat &c. Et si quando cogente aliqua necessitate pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti, et expensi summam semel in hebdomada in libro scribendam, ac si in ea reponeretur:* In Reg. autem 3. Procur. Collegij, & Domus Probationis habetur, ab *eo scribendas eleemosinas;* & in Reg. 5. haberi, quæ 8. Procur. Domus Professę: *tum quia* si Sup. riores seruent apud se pecunias (præterquam ad summum modicas pro eleemosinis pauperum ad ianuam accedentibus) euadere possunt auari, occupationes amare incipiunt rerum temporalium, ac Procuratorum munus sibi vindicare, erogare queũt pecuniam ad libitum &c. Hinc videri posset opportunum, vt Superiores iuberentur apud se non retinere pecuniã, & eam omnino pecuniam, quæ quocũq; modo illis traderetur, procuratori tradere, nec vllã eius partem expendere inconsulto procuratore; ipse enim est, qui ex Reg.
c. 218, et 221 11. Procur. Dom. prof. & Reg. 4. Procur. Coll. *Singulis mensibus dati, & accepti rationem Superiori reddere debet;* & ex Reg. 17. Procur. Dom. Prof. & Reg 8. Procur. Colleg. *Emptori pecunias* ad *quotidianos sumptus*
c. 19 & 222. *subministrare tenetur, & ab eo singulis diebus expensarum exigere rationem ex codice, summamque in librum suum referre.* Cum autem ex hac causa, maxima ex parte saltem, oriri possit, exigua cura rerum internarum, quam Superiores possunt habere, & circa se ipsos, & circa alios; consultissimum esset, vt Consultores de hac re nominatim scriberent

berent

berent ad Prouincialem, & Generalem; ac Superiores in hoc peccantes statim à munere gubernandi amouerentur.

2. Seuerè castigentur hi, qui rem quamlibet ex domo, vel ex alterius cubiculo sibi vsurpauerit: Reprehensibile quidem valde esset, si ex officinis, vel custodis vestium, vel Dispensationis, aut quando mensæ socij inseruiunt, aut vbi aliquis e Collegio Domove recedit, auferrentur aliqua, quæ ad Victum, vestitum, & cubiculi supellectilem opportuna viderentur inscio Superiore, maximè cum id etiam vetetur Reg. 9. Ex Commun. Quæ etiam vetat, ne quis *rem vllam (*intellige etiam libellum*) ab externo quomodo sibi, aut alteri accipiat (*mutuò etiam*)* sine Superioris licentia. In quam Reg. sicuti & in 7. quæ quoque vetat, *ne vllus apud alium*, nec *pecuniam*, nec *quidquam aliud habeat*, legendus Commentarius Iulij Nigronij ex Societate Iesu in Regulas hasce communes: Ex eo siquidem colligi potest, quinam fuerint mores, ac sensus antiquiorum societatis Patrum multis in rebus, qui iam videntur consuetudine abolitiæ apud complures saltem &c. c. 15.

3. Aedificia societatis sint quidem adhibitandum, & officia societatis exercenda vtilia, sana, est fortia, non tamen sumptuosa, aut curiosa iuxta dec. 103. Congreg. 1 Et hoc quidem, si voluerint socij efficaciter, suadebunt fundatoribus Collegiorum, aut Domorum, vel eorum qui proprijs sumptibus ea ædificant, vt in simili locutus est P. Vitellescus in litt. ad Patres Congregat. Prouincial. anno 1619. Et Obseruetur dec. 56. Cong 2. quod sic habet. *Quamuis autem ex eleemosinis viuat Societas, & opus bonum sit eleemosina societati collata, atque ad bona omnia inducere quosuis possimus: tamen ad maiorem ædificationem, & paupertatis nostræ sinceritatem, & puritatem: placuit præcipere nostris omnibus, vt nulli externo (nam de nostris in Constitutionibus, & Decretis dictum est) vt nobis potius, quam alijs pauperibus, dent eleemosinas: sed contenti simus, vbi petimus quotidianas eleemosinas, illas simpliciter, ac planè amore Dei petere. Ad donationes verò quascumque siue legata, simpliciter etiam, & planè possimus nostras necessitates tantùm explicare; definitionem tamen eius deuotioni relinquimus, à quo petimus has etiam eleemosinas: ac proponere tantùm illi possimus ad orationem, & alia media vt accurrat, quibus possit de donatione, vel legato constituere, iuxta id quod ipsi Dominus inspirauerit, & ratio recta suaserit.* Quantum autem detrimenti attulerit Societatis huius Decreti non exacta obseruantia, indicare videtur P. Vitellescus in litt. ad soc. superiores sic dicens. *Tertiò intelligant importunitate aliquorum in corrogandis eleemosinis atque nimietate, Dei obsequium maximopere interpelari, nostrasque functiones quam despicacissimas reddi; vt si Societatis munera vna quod aiunt, manu saeculares alliciunt, centenis hæc immoderatio manibus eosdem amendet, atq; propellat.* Præsenserat hoc idem incommodum P. Claudius, sic enim c. 31. & 32. c. 43. c. 139. c. 43.

Hh habetur

habetur c.4.lib.Ordinat. Gen.n.8. In eleemosinis petēdis modum habe-
a.48. ri oportet, ne nimij, aut importuni simus: alioquin fideles à nobis, & à
nostris ministerijs arceantur: vnde fructus spiritualis peribit, imò &
temporalis.
4. Exactè obseruetur dec. 61. Cong. eiusdem 2. quod ita habet.
a.141. Omnia, quæ speciem habent sæcularis negotiationis, in colendis vide-
licet agris, vendendis in foro fructibus, & similibus, intelligantur pro-
hibita esse nostris. Cum autem in Cong. 7. dec. 84. postulatum esset,
quænam essent illa, quæ negotiationis speciem habent, à quibus iuxta
hoc decretum socij abstinere debent, Censuit Congregatio, Varia
illa esse, neque omnia recenseri posse. Inter alia tamen numerari posse.
a.464.a.465 Conducere agros alienos, vt ex ijs lucrum, & quæstum facias. Emere ali-
qua, vt nostra postea industria cariùs vendantur. Tiphographiam in Col-
legijs habere, in qua libri excusi externis diuendantur. Tiphographiæ
sumptos proedendis nostrum libris suppeditare, exemplaque damno lu-
croque nostro diuendenda accipere. Quares (subdit Congregatio) licet
absolutè negotiatio Clericis interdicta non sit; nostris tamen videtur om-
nino interdicenda, nec nisi grauissimas ob causas à P. Nostro permitten-
da. Videtur autem vniuersaliter interdicendum vbique, quod Romæ
die 29. Augusti anno 1637, nominatim etiam societati interdixit sa-
cra Congregatio Apostolicæ visitationis, ne quis per se vel per alios in
Collegijs ac Domibus, vel alibi in quocumq; loco exerceat vllam ve-
nalem artem, siue Aromatariam, Pistoriam, Lanificinum textrinum,
aut aliam quamlibet, præterquam pro suorum religiosorum, aut alumno-
rum vsibus, nec vllo modo sæcularibus, aut alijs Religiosis, & Eccle-
siasticis pharmaca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomo-
cumque elaborata, & ornata vendat etiam prætextu amicitiæ, & fa-
miliaritatis absque speciali licentia Ordinarij, vel Nuncij, Legatiue
Apostolici: Ac præterea videtur vitandam sub ijsdem pœnis, quibus
vetitum est etiam ab Vrbano 8. in Bulla edita anno 1633. die 22. Fe-
bruarij degentibus socijs, vel mittendis ad Iaponiam, aliasque Insu-
las, ac Prouincias, ac Regiones Indiæ Orientalis, Vniuersaliter vbique
omnis, & quæcumque mercatura, seu negotiatio quocumque modo fieri
contingat, siue per se, siue per alios, siue proprio, siue Communitatis nomi-
ne, directè seu indirectè aut quouis alio prætextu, causa, aut colore. Et pu-
ritati quidem paupertas, ac Instituti societatis videtur repugnare, si
aliqui maximè in Domibus Professis degentes ex imaginum impres-
sione, ex venditione Coronarum, aliorumve pretiosorum in Italia, ac
medicinę opportunorum lapidum ex India delatorum, vel Crucum,
quas ex Hispania deportandas curarent, aliorumque similium, vel ex
opificijs acu elaboratis, vel ex picturis &c. lucrum reportarent non
minùs ac qui habent ad id officinas in Ciuitate publicas &c. Quod
idem dicendum si Autumni tempore emerētur vua prætextu quidem
implen-

implendi Vinaria Dolia quæ in Apotheca habetur multa, quæ tamen haud sunt necessaria, sed re vera vt vinusa ex illis expressum transactis aliquot mẽsibus maiori pretio vendatur; vel si ex occasione Aromatariæ necessariæ ad medicamenta sociorum, alia pharmaca conficerentur in maxima copia, quæ cuique venderentur, ingensque lucrum ex illis reportaretur &c. Vel si socijs librorum scriptoribus permitteretur, vt suppeditarent ipsi sumptus pro eorum librorum impressione, exemplaque damno, & lucro suo diuendenda acciperent, pecuniasque ad id non solùm tractarent; verùm etiam apud se haberent &c. Superiores enimuerò debent *esse certi non vnquam alios nobis* (sic loquitur P. Mutius in litt. ad super. anno 1617.) *commonstratoribus cursum ad cælum instituturos, si nos terrenis rebus affixos adhæreſcere animaduertent.* Grauiter etiam, nec immeritò offenderentur hæretici, dùm socios Euangelicam Legem contemptum diuitiarum suadentem proponentes audirent ex vna parte, viderentque ex alia eosdem adeò sollicitos per media religiosos minimè decentia in amplificandis redditibus, vel in exaggeranda re familiari &c. c.413.

5. Cum Seminariorum, siue Conuictorum curam gerunt Socij, *res nummaria Oeconomo tradatur;* quod videtur voluisse Cong. 4. dec. 13. videtur enim esse alienum ab Instituto societatis, quod superiores, & maximè Professi, apud se pecuniam detineant, exerceantque officium procuratoris, & præcipuè pro externis; & sollicitè magis horum Conuictorum, siue Alumnorum in spiritu, & litteris profectui inuigilarent socij; & videtur fore vt magis horum seminariorum, vel Collegiorum temporalis status etiam vigeret, si Oeconomus à Cardinalibus Protectoribus, vel Nuncijs Apostolicis in illis institueretur, qui tamen in singulos mentes saltem teneretur dati, & accepti rationem reddere alicui Viro fideli, & in Oeconomia versato, qui exactè omnia dispiceret &c. c.249.

6. Exactè obseruetur dec. 37. Cong. 3. quod ita habet. *Ad religiosam disciplinam, & paupertatis rationem pertinet,* vt *in peregrinationibus, & profectionibus nostri, quos ipsorum Superiores id præstare posse iudicauerint, pedestri itinere in toto, vel in parte, vtantur. Et ob eam causam R. P. Generalis eam hac in re moderationem per se, & suos Prouinciales adhibebit, quæ Societatis nostræ Instituto consentanea sit: curabitque, vt in equitando solius necessitatis, siue personæ, siue negotiorum (quam Superiores mittentes indicabunt) ratio habeatur.* Et P. quidem Claudius olim scripsit, ne Coadiutores rheda in itineribus veherentur. Vtque exactissimè obseruetur grauissima illa Constitutio ad maiorem ædificationem, & *Paupertatis Societatis sinceritatem, ac puritatem retinẽdam,* (vt ait Cong. 5. dec. 39.) *pernecessaria,* ne aliquid pro ministerijs Societatis tanquam stipendium, vel eleemosina in compensationem admittatur. Quare recijciantur à Collegijs, ac Domibus dona missa c.188. & 189 c.891.

Hh 2 quæcum-

quæcumque si *coniectura sit ea mitti, darique intuitu ministerij* à socijs
In lib. Ordin. c. 1. n. 14. exerciti iuxta declarationem P. Claudij, de qua etiam supra.

7. Puniantur omnes, qui quidquam accipiant à principibus, vel Magnatibus, vel pęnitentibus, vel deuotis, vel consanguineis, amicis &c.
c. 360. ad proprium vsum, & dispositionem: & si *quid alicui particulari mittatur* (vt habet Cong. 6. dec. 21.) *id iuxta regulas in Communem vsum accipiatur, & dispensetur &c.*

8. Non permittatur, vt socij dum retinent suorum bonorum proprietatem, ex annuis prouentibus sola voluntate sua in proprios, aut so-
c. 417 & 418 ciorum vsus aliquid conuertant, aut certo alicui Collegio, multoque minus loco, in quo resident, donent; vt habet dec. 17. Con 7. n 3. Imò nec permittatur, vt in dispositione bonorum legent aliquos redditus ad *suam ipsorum vitam, & loco particulari, in quo ipsi pro tempore fuerint.* Sic censuit P. Claudius anno 1606. qui etiam anno 1584 iusserat, ne Superiores permitterent, vt illi, qui adhuc bonorum dominium retinent, in suas vtilitates aliquid disponerent, sed *ita se tractarent, ac si nihil haberent.*

9. Exactissimè obseruetur Reg. 90. Prouincialis, quæ ita habet. *Non*
In lib. Regu. c. 54. *ferat nostros quidquam patere à parentibus, cognatis, vel amicis: sed omnia eis necessaria à Societate prouideantur.* Iubeantque Consultores certiorem facere Generalē, si aliquis superior contra eam peccauerit.

c. 58. 10. Exactè etiam seruetur Reg. 102. Prouincialis *Efficiet, vt in Festis, quæ à nostris præcipuè celebrari solent, ornatus nostrarum Ecclesiarum sit moderatus, ac Religiosus, & quoad eius fieri poterit, sine nimia distractione nostrorum, & molestia externorum.* Et quidem Visitatores missi à Generali anno 1590. & 1620. viri pietate, ac doctrina illustres hanc attendentes Regulam numerum etiam certum pręfixerunt Candelis, quæ in Expositione Sanctissimæ Eucharistiæ accendendæ essent. Non videtur certè posse Deo grati sumptus, qui fiunt etiam in Ecclesijs, si sint supra vires Collegiorum, ac Domorum; quæ non rarò grauissimo ære præmuntur, quod priùs ex iustitia soluendum est, & in graues inciderunt necessitates, itaut socijs consuli non possit de consueto victu, ac vestitu: Certè Deo gratissimum ante cætera erit, vt superiores obligationi suæ satisfaciant subditorum Consulendi necessitatibus: nisi enim illis prospiciant maxima damna importantur disciplinæ Religiosæ, maximè circa Paupertatem. Neque satis ad dicere, *Hosce magnificos apparatus fieri ex eleemosinis externorum.* Dico enim 1. Cur eleemosinæ istæ non conquiruntur potius, à deuotulis maximè, ad soluendum æs alienum, & ad prospiciendum necessitatibus subditorum? Dico 2. Cum possit etiam esse vitium prodigalitatis in huiusmodi apparatibus, eas, si ad hunc finem tantùm illæ donarentur, reijciendas; & maximè cum non pauci amoueantur à præbendis etiam copiosioribus eleemosinis Collegijs, ac Domibus, quibus quandoque

posset

possit solui æs alienum, & commodè prospici consuetis necessitatibus subditorum; neque enim possunt sibi plerique persuadere Socios non abundare diuitijs, apud quos vident tales apparatus, nec censere possunt eos premi ære alieno, cum ipsi præsertim doceant, eo obstrictos pro illo soluendo teneri etiam ad aliquam imminutionem in suo statu &c. Accedit, quòd huiusmodi apparatus adeò magnifici, & expensæ adeò graues maximè, dum cantantur Missæ, vel Vespertinæ preces, non fuerint in vsu antiquiori societatis tempore. Accedit prætere a, quod magis in Dei honorem redundaret, quod socij eo tempore, quod insumunt in huiusmodi apparatibus, insumerent in oratione, alijsque deuotionis, ac pietatis exercitijs; illis diebus, in quibus recolitur memoria S. Fundatoris, S. Xauerij &c. maiori cum animi sensu ad sacramenta accederent, maiora caritatis signa exhiberent, imitarentque sanctos, ac Beatos suos in Oratione, humilitate, obedientia, Paupertate, & alijs virtutibus magis, quam alijs diebus. Et vtinam horum apparatuum, ac festorum sit verè finis maior Dei gloria, proximorumque salus, & non humana gloria, æmulatio cum alijs maximè Regularibus, ocij vitatio per collocutionem cum externis, quorum opera indigent, vel qui ad Ecclesias accedunt &c.

11. Exactissimè obseruetur dec. 17. Cong. 2. & 82. Cong. 7. n. 1. *ne plures alantur quam ali possint, siue ex redditibus, siue ex eleemosinis consuetis, & pauciores etiam*. Dum enim plures aluntur, præter sollicitudinem maximam, quam id ingerit superioribus, qui operam, quam collocare deberent in cura rerum internarum tum ad se tum ad sibi subditos spectantium, impendunt in excogitando remedio aliquo, eoque etiam applicando ad prospiciendum subditorum necessitatibus; si subditi norint sibi non prospici de consueto victu, vestitu &c. ad Ius naturale recurrere possunt, ac dicere, se ad talem Paupertatis modum, qui erat in societate consuetus, se obligasse; ideoque si a superioribus sibi tali modo, & consueto etiam in alijs societatis locis non consulatur, posse tuta conscientia sibimet proprio marte consulere, petendo & accipiendo aliqua à pœnitentibus, Scholaribus, Consanguineis, amicis &c. Quod quam grauia possit importare incommoda societati, maximè circa Paupertatem, quisque norit. Opportunum autem foret, si Superiores violantes Decretum hac de re etiam Apostolicum iuberetur deferri ad Eminentissimos Principes Præpositos Negocijs Regularium. c. 117. et 481

12. Obseruetur exactè n. 14. c. 4. Ordinat. General. quod sic habet: *Nulla ratione permittatur, vt nostri apud se habeant, secumve ferant quædam, quæ pauperibus, quales nos sumus, minime conueniant, vt sunt horologia rotata, & affabrè facta, imagines multi valoris, reliquiaria curiosa, & pretiosa, quæ aurei vnius valorem excedant, aliaque id genus.* Imo nec permittatur, vt socij iter agentes huiusmodi horologia ab c. 41.

vllo mu-

vllo mutuò accipiant; vel ea, imaginesq; pictas non parui valoris reti-
neant in cubiculis, licet externorum sint.

13. Seuerè exigatur obseruantia Reg. 22. Sacerdotum, quæ sic habet:
n.195. *Nemini aut petere, aut accipere quidquam liceat, sine ab ijs, quorum con-
fessiones audierit, siue ab alijs, quod vel in pauperes distribuat, vel alteri
satisfactionis nomine restituat; nisi Superior, cum opus esset, secus facien-
dum iudicaret.* Id verò non possit concedere superior, nisi ex communi
planè Consultorum, vel saltem Prouincialis consensu.

14. Nulla ratione permittatur, vt socijs iter agentibus *pecunia detur*
n.40 & 41 *ad superflua coemenda, & quæ religiosæ paupertati minimè consonant, vt
sunt curiosa, & pretiosa; multòque minùs, vt ab externis, seu consangui-
neis, cum ædificationis iactura conquiratur: vt habet n. 13. c. 4. Ord. Gen.*
Imò vetetur, ne socij aliò profecturi pecunias accipiant à consan-
guineis, vel amicis ad emendas imagines, Reliquiaria, Coronas &c.
quas ad conciliandam sibi beneuolentiam adolescentum, fœmina-
rum, aliorumque emunt: sed si quid aliquid huiusmodi donandum
sit alicui externo, id solius superioris munus sit.

15. Non solùm non permittatur Aeditue, multoque magis Ianitori,
c.143. vel alijs officialibus Coadiutoribus, habere apud se pecuniam etiam
ad vsum templi, vel Missæ sacrificia ab externis Sacerdotibus facien-
da; quam etiam, si sponte offeratur ex Reg. 19. Aeditui Ecclesiæ Præ-
fecto tradere tenetur; verum etiam exactè seruetur Regul. 29. ipsius
Præfectis iubens, *Cum pecuniæ alicuius momenti summa dabitur, aut col-*
c.179. *ligetur, eam deponat apud Procuratorem in scrinio aliquo; cuius clauem
vnam Superior habeat, & alteram diuersam ipse Præfectus.*

16. Solerter inuigilandũ, ne Coadiutores *quid sibi capiant, alijs dent,*
c.238. *commodent, mittant, aut quidquam faciant in hoc Paupertatis genere abs
que expressa licentia Superioris; præsertim Reliquiaria, Cruces, Agnus
Dei, lapides Bezuarios, & id genus* alia, vt habet Reg. 7. Coad. Temp.
quæ addit, *sibique persuadeant, posse in ijs rebus grauiter contra votum
peccari.* Et illis quidem præcipuè negotiatio omnis interdicẽda, quam
cũ publicè exerceant aliquando, moraliter impossibile videtur, quod
illa conscio superiore non exerceatur.

17. Exactè seruetur Reg. 5. Custodis Vestium, vt *Vestes duplices, in-*
c.351. *strumenta itineris, & similia in Vestiaria officina custodiantur,* & hoc
absque nota alicuius nominis; quæ etiam alijs, pro quibus illa non
fuerunt empta, aut confecta, à superiore commodentur, ne socij vi-
deantur habere peculiare aliquod ius in illa. Cum autem illi, qui vo-
ta tantum biennij emiserunt horum possint habere dominium; illo-
rum vsus prohibendus his foret, nisi saltem liberum esset superiori ea
cuiuis commodare &c.

18. Socijs iter agentibus *necessario Viatico debito cum amore, & cari-
tate prouideatur;* exigaturque ab illis ratio exacta expensarum, quas

in itine-

in itinere faciunt; & *reliqua omnia*, quæ *ad iter necessaria sunt, magna caritatis significatione à Superiore eius loci, vnde mittuntur, subministrentur*, vt habet initium n. 13. c. 4. Ordin. Gen. & Reg. 87. Præpositi, & 85. Rectoris: & hoc peculiariter seruetur circa Concionatores, & eos qui ad Missionibus mittuntur: Nisi enim his, alijsque iter agentibus necessaria suppeditentur à superioribus, præterquam *(caritas ipsa læditur, occasio illis datur* (vt habet Instr. 14.*)* dum *aliunde inconsulto Superiore sibi prouidere coguntur, aliquid patrandi, quod proprietatem sapiat*: ideoque ibidem dicitur. *Quare Prouincialibus enixè incumbendum erit, vt in maioribus Collegijs, & proportione quadam in Minoribus, impensis Prouinciæ, vel aliqua alia ratione peculiaris quispiam locus sit, in quo huiusmodi res asseruentur: ex quo necessaria Concionatoribus*, atq; *iter agentibus abundè suppeditentur*. Quod dum executioni non mandatur à Prouincialibus; non mirandum si tanta difformitas in instrumentis maximè ad iter, & in Concionatoribus præcipuè, videatur; præterquam in his ea paupertatis species retinere facile non potest, quæ est conueniens Socijs, dum ipsi sibi pecunia à consanguineis, vel amicis accepta ea sibi comparant, quæ sunt necessaria ad iter &c. In lib. Ordi. c. 40. & in li. Reg. c. 52. & 113. In lib. Instr. c. 81. & 82.

19. Non permittatur, vt *Scholastici ob describendas ab externis scriptoribus lectiones*, cum *eas ipsi ob infirmam valetudinem scribere non possunt*, vel *ad similes vsus, à cognatis, vel amicis pecuniam conquirant* iuxta n. 6. Instr. 1. *quia hac occasione in alios vsus etiam non necessarios sæpe conniuentibus Immediatis Superioribus illam expendunt*, vt ibidem subditur; *sed id fiat pecunijs Collegij, in quo habitat ille*, qui *iudicio Superioris indiget lectionum scriptionem*. In lib. Instr c. 8. & 9.

20. Non permittatur, vt Socij bibliothecam construant in proprijs cubiculis; traditur enim Instr. 1. n. 8. *paucos esse debere, & certos quosdam libros*, quos de Superiorum licentia socij apud se habere debent; multoq; minus permittatur, vt illam construant ex libris, quibus inscribatur nomē alicuius externi; præterquam enim sub hoc latere potest aliqua fraus, datur occasio asportandi eos ex vno loco in alium: Quod non videtur congruere illi, quod habetur in fine Instructionis istius Primæ. c. 9. c. 14.

21. Vsus superfluarum commoditatum penitus tollatur iuxta n. 4. Instr. 1. & iuxta monitum P. Vittelleschi in lit. ad P. Cong. prouinc. nominatim excessus, multaque superfluitas iam apparens, in recreationibus, in vineis, alijsque oblectamentis. c. 7. c. 14.

22. Suauiter inducatur vbique mors, qui erat superioribus annis in societate teste ipso P. Vitellesco in lit. datis anno 1619. die 24. Decembris, vt occasione renouationis votorum (quæ bis in singulos annos fit ab ijs, qui non sunt Professi, vel Coadiutores formati iuxta p. 4. c. 4. §. 5.) simili; occasione omnes omnia planè superflua, etiam scripta, vltrò deferrent ad Superiorem.

23. Scrio

23. Serio tuerent prouinciales, ne in officinis necessaria desint iuxta
c.51. id quod habent in Regu.8 5.secus enim, vt habet P. Vitellescus in lit. datis anno 1621. die 24. Iunij, arripere possunt Coadiutores sibi facultatem vendendi aliqua ad extrahendam pecuniam ad emenda necessaria absq; superioris licentia.

24. Modus imponatur ornamentis Altarium, & Ecclesiarum, ita vt aliquando dicatur, *Satis est*. Legatur c. 38. Exodi. Laudabile esset, si in ijs religiosa etiam quædam paupertas appareret. Potior enimuerò semper in quacumque societatis Ecclesia habendo ratio mondiciei vestium quæ diuino inseruiunt culturi.

25. Seuerè interdicatur, ne absq; licentia saltem Generalis admittantur donationes vulgarium personarum, mulierum maximè, viduarum, virginum &c. iuxta id quod ad Italiæ Prouinciales scripsit P. Mutius anno 1616. die 30 Maij: ac seuerè puniendi sacerdotes, qui assisterent, dum hæ testamenta conficerent; quibuslibet enim testa-
c.196. mentis condendis interesse vetantur sacerdotes ex Reg.28. sacerd.
c.412. Cuius praxim enixè omnibus commendauit P. Mutius in lit. de Oratione &c. Quid si socij curarent, vt mulieres nonnullæ in Ecclesijs societatis testamenta conderent, ac legata relinquerent coram notarijs &c. an non seuerissimè puniendi?

26. Seruetur exactè ordinatio P. Claudij facta anno 1608 & confirmata à P. Mutio anno 1624. vt exacta peregrinationes ad normam Constitutionum in Exam.c.4. & morem, qui viguit maximè S Ignatij tempore, *non concedatur Socijs iter facere sub aliquo prætextu, aut titulo pietatis; sit enim excessus non solùm in recipiendis eleemosinis, quæ dantur, aut mittuntur, verùm etiam in postulandis illis ab amicis, consanguineis, & alijs sæcularibus cum parua eorum ædificationem; sed incedant non equo vecti, nec cum pecunia &c. Itineraq; fiant propter necessitatem, mutationem, & in beneficium Societatis: imò quando aliquò mittuntur, eant rectà, & non contorqueant iter ita vt regiones videant, variasq; Ciuitates ex curiositate*. Multi enimuerò sumptus vitarentur etiam, si hæc Ordinatio seruetur.

26. Sumptibus, qui fiunt sæpe non leues in excipiendis mensa externis, & quibusdam solemnioribus diebus in sociorum prandijs, vineis &c. moderatio aliqua adhibenda: sed præcipue vetádum ne qui Professionem emissuri sunt congerant à consanguineis, vel alijs externis pecuniam ad opiparam socijs exhibendam mensam. Quod in his, & similibus occasionibus extraordinariè parandum religiosa modestia suadet, à superiore subministretur: & pecunia quæ tum offerretur, in vtiliores, magisque pios vsus expendatur: Quod si abnuant socij, repudietur omninò.

27. Superiores locales alijq; Patres antiquiores haud habitent in duobus cubiculis, nisi hæc sint valde angusta; hoc enim videtur esse

præter

præter morem antiquum ſocietatis, ſicuti & habere circa ſcamna, in quibus ſtudent, vel orant, aut ad feneſtras, vel ad ianuam æſtiuo tempore telas coloris cærulei, aut viridis &c. Antiquiores quidem, & grauiores Patres, & ſuperiores etiam ipſi prælucere debent exemplo in tollendo vſu ſuperfluarum commoditatum, vt habetur in fine n.4. Inſtr. 1. Quædam etiam ornamenta in cubiculis, & Oratorijs priuatis maximè ſcholaſticorum, & Coadiutorum, quæ induci inceperunt, omninò tollenda. c.1.

28. Scamna, in quibus ſocij ſedent ad menſam, aliaq; ſimilia ad Infirmos etiã ſpectantia religioſã paupertatem redoleant: & in locis etiam Collegiorum publicis Imagines, ſiue Picturæ multi pretij nõ habeantur; nec pecunia ad hæc conſtruenda, vel obtinenda ab externo vltrò etiam oblata recipiatur; multòque minùs permittatur, vt ſocij eam corrogent ab amicis, conſanguineis, pœnitentibus aliove externo.

30. Non permittatur iuxta P. Claudij Reſponſum, ne ſocij iter facientes vtantur veſtibus breuioribus, vel tabaris, vt vulgo dicuntur, cuiuſmodi apud Prælatos in vſu eſſe ſolet; vel ducant ſecùm equos meritorios ad vehendas Bulgas, ſeu manticas, & alia veſtimenta ad iter accommodata; nec deferant ſecum vmbillas, & ſimilia.

31. Nullus ſocius hoſpes iuxta ordinationẽ P. Claud. anno 1610. die 27. Martij accipiat rem vllam ab externis pro ſuo Collegio, vel ſua Prouincia inconſulto ſuperiore illius loci in quo degit: curetque ſuperior, ne ſub hoc prætextu in vſu talis rei vllum proprietatis ſignum inducatur: ideoque enitatur, vt quam primùm talis res mittatur, ad locum, cui eſt applicata; & interea dum non mittitur, illius rei vſum alteri concedat, vt hinc appareant eum, qui rem accepit, haud illius eſſe Dominum.

32. Superiores in fine regiminis haud ſibi viaticum ſumant, ſed illud recipiãt a ſucceſſore iuxta præſcriptum à P. Claudio anno 1611.

33. Peculiariter inuigiletur; vt ſuperiores omnia planè neceſſaria tum ad veſtitum, tum ad iter abundè ſupeditent Concionatoribus iuxta Inſtr. 14. & litteras P. Mutij anno 1621. die 24. Iunij nec vlla ratione deſit caritatis ſignificatio, quam ſuperiores omnino exhibere debent erga eos, qui in hoc miniſterio laborant, vt reſpondit P. Claudius anno 1584 cuidam Congregationi Prouinciali; *ſic enim facilius* (ſubdit) *fiet, vt corrigantur abuſus, quos iam ſenſim irripere in Concionatores Congregatio proponit* &c. Hæc autem circa Concionatores ad praxim quam maximè, reuocanda eſſe videntur. P.° Vt nihil inſolitum appareat in eorum inſtrumentos ad iter; quædam enim ſunt tantummodo pro ornamentis, & pauperes religioſos haud decent. 2.° Etiamſi in loca remotiora concionaturi mittantur, præter equum ſuum, & ſocij, tertiũ pro ſarcinis ne addãt iuxta Reg. 24. ipſorum, 3. Sit eorum victus tenuis, & parcus, vt Religioſos decet, vt c.8. c.291.

Ii ibidem

ibidem dicitur. 4. In Victu, ac vestitu ea lautitia, illæ item singularitates, & exemptiones, quibus alij merito offenduntur, illis minimè concedantur, vt habetur in fine n. 9. Instr. 2. 5.° Non permittatur il-
c.14. lis vt eleemosinas in Concionibus, petant ad intentionem propriam, multoq; minus vt eas quæ ex concionibus colliguntur, distribuant; sic statuit P. Mutius anno 1628. statuit autem P. Clandius anno 1608. vt omninò eleemosinæ, quæ à socijs concionantibus in alienis Ecclesijs petuntur ex suggesto, per externos notos, ac fideles viros distribuantur. 6.° Nonnisi viaticum necessarium pro solo itinere admittant iuxta Reg. 24. ipsorum, & hoc cum contentu & scientia superioris; cuius etiam quod superest reuertentes ad collegium, ex quo discesserunt, aut alium locum, in quo moram facturi sint, dent superiori, vt scripsit P. Mutius anno 1628. die 26. Augusti. 7. Ne Coadiutori, vel cuique alteri socio donent pileos, horologia, gladiolos &c. iuxta ordinationem P. Claudij anno 1599. die 21. Augusti, qui addidit, hūc abusum forsan oriri ex eo quod ad arbitrium suum Concionatores partem viatici expendant. 8.° Non permittatur, vt hi quod Quadragesimæ tempore, quod est dicatū Pœnitentiæ, quā ipsi quoq; populo proponant, habeant in arca reposita ad manum multiplicia genera vinorum, dulciariorum, & aliorum gulæ irritamentorum, quæ possint socijs, & multò minus, externis dare pro arbitrio &c. 9.° Omnes planè eleemosinæ, quæ ipsis vltrò offerrentur à quibusuis etiam Principibus pro eorum iudicio distribuendæ, vel etiam dandæ alicui ex ipsorum Consanguineis omninò non recipiantur absq; facultate superioris illius loci in quo degunt, nec liberum sit vllam partem earum, siue quorumcumque donariorum inde asportare absq; expressa facultate saltem Prouincialis, qui ad eam concedendam haud sint faciles. 10.° Extra Quadragesimæ tempus sit eorum victus etiam moderatior, dum Conciones habent semel aut bis aliquando in singulas hebdomadas; nec hoc tempore illis permittatur habere vascula dulciaria, &c.

34. Haud faciles se exhibeant superiores in facienda potestate acci-
c.73. piendi mittendique, præsertim generali iuxta n. 3 c. 5. Instr. 13. eaq; concedatur ad summū prouectioribus ætate, ac prudētia, & hæc circa minima, ac leuissimi prætij, nec sit accipiendi, dandi, vel retinendi pecuniam, aut comestibilia iuxta id; quod censuit P. Mutius anno 1638. die 22. Decembris.

35. Nulli scholastico saltem, aut Coadiutori detur facultas expendendi pecuniam, sed si qua re indigeat, Procurator necessitati cōsulat, conscio superiore.

c.261. 36. Enitendum, vt illi, qui ad missiones mittuntur, *Apostolico more bini progrediantur*; & vbi *peculiaris non postulabit necessitas, pedibus* (inquit P. Claudius in lit. de Iubilæo, & missionibus) *& vt veros pau-*

peres de-

peres decet, pergant non multis onuſti libris aut *grandi ſuppellectilis ſarcina grauati* &c.

37. Solerter inuigilandum Generali, ne socij, & maximè Prouinciales, viſitatoreſq; extraordinarias quaſdam commoditates amplectantur itineribus, & nominatim re aliqua ferant in itinere ſecum pro cibo, potuve, dum obuia ſunt hoſpicia, in quibus alij etiam nobiles viri contenti ſunt potu, ac cibo, qui illis in menſa proponitur: ædificationi enim nequit eſſe, quod socij tã ſeduli ſint in hiſce cõmoditatibus procurandis, augeturq; opinio, quod in Collegijs, ac Domibus opiparè viuant. Memores eſſe debent Prouinciales, ac Viſitatores, qualia paupertatis argumenta præbuerit B. Franciſcus Borgia inuiſens societatis Domos, ac Collegia ſita in prouincijs, quibus præerat, repoſita in eius vita Romæ impreſſa anno 1624. & tamen hic fuerat Gandiæ Dux, & maximam vitæ partem in regia magnificentia, ac lautitia traduxerat. Faxit Deus, ne cauſa propter quam creuerunt inter socios vitæ cõmoditates in itineribus, poſſit tribui Prouincialium, vel viſitatorum exemplo.

38. Prouinciales, sollicitè videant, ne in Collegijs lecticæ, ſiue Rhedæ retineantur, quæ vſui ſint superioribus, vel Procuratoribus, dum ſatis ſint equi; & ne plures equi alantur, quàm neceſſe ſit. Vetuit quidem S. Ignatius p.6.c.2.§.14. *vt modo conſentaneo debitæ paupertati procederetur, ne vllum in Domibus Societatis iumentum* ad *equitandum* ad *vſum alicuius ex ipſa Societate (ſiue Prapoſitus, ſiue ſubditus ille eſſet) ordinariè haberetur*, niſi id fieret propter aduerſam valetudinem continuam, vel neceſſitatem vrgentem &c. vt explicatur Lit.K.

39. Non permittatur, vt Magiſtri pecunia ab amicis, vel conſanguineis accepta emant prẽmia scholaſticis externis tribuenda; His quoque non tribuantur præmia, niſi leuiſſimi valoris; Superioreſque dent præmia illis tribuenda. Sic ſtatuit P. Mutius anno 1638. die 22. Decembris, qui optimè nouerat, quales exceſſus forent in hoc, maximè cum facile oriri potuerit æmulatio inter Magiſtros de tribuendis pretij maioris præmijs &c.

40. Circa Veſtitum reſecetur P.° quædam difformitas, quæ iam conſpicitur non ſolum in interioribus, verum etiam exterioribus indumentis, ac nominatim in pileis, pallijs, certiſque inſtrumentis ad equitandum &c. hæc enim quoque multum conferre dicitur p.8.c.1. §.8. ad caritatem, mutuamque vnionem. 2. Amputetur efficaciter quædam vanitas, ſaltem ſuperfluitas quorumdam ornamentorum, maximè in veſtibus, alijſque inſtrumentis ad iter agendum. 3. Amputetur etiam exceſſus in habendis pretioſioribus veſtibus, ſiue pallijs, quam paupertas societatis petat iuxta id quod anno 1599. die 6. Martij P. Claudius ſcripſit. Poſſunt autem non haberi veſtes alicubi non pretioſæ, quæ alibi pretioſæ habeantur, nec conuenientes Reli-

giosæ Paupertati. 4. Non erubescant socij vestibus detritis, & con-
412. sarcinatis vti iuxta iq quod monuit P. Mutius in lit. de Oratione: & ijs maximè vtantur illi, qui rarò cum externis versantur, vel sunt in infimo societatis gradu. 5. In Cingulis vestium, in Coronis, & sacris numismatibus, quæ appensa ad Coronas habent socij, in Calceis, eorumq; ligaminibus certus statuatur modus religiosæ paupertati consonus. 6. In qualibet saltem Prouincia vniformitas omninò obseruetur in qualitate pileorum, palliorum, lineorum, linteaminum pro lectis, mantilibus, mappis, vestibus interioribus, subuculis &c. & in consueto etiam victu, ita vt superiores illam non seruantes seuerè puniantur; graue enim & caritati, & paupertati etiam præiudicium infertur à difformitate in his, hisque similibus rebus.

Caput Secundum.

De Reformatione Voti Castitatis &c.

P.° *Pono*. SAnctum Ignatium velle p. 6. c. 1. §. 1. vt socij enitantur Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis munditia.

2. *Pono*. Teneri omnes p. 3. c. 1. §. 4. diligentissimè curare portas sensuum suorum (oculorum præcipuè, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione custodire.

3. *Pono*. Cuique curandum esse p. 3. c. 1. §. 5. in Refectione corporis, vt temperantia, modestia, & decentia interiùs, & exteriùs in omnibus obseruetur.

4. *Pono*. Honestatis, & decentiæ ratione vetari ne fœminæ ingrediantur Domos societatis, vel Collegia, sed tantùm Ecclesias, & ne Domi habeantur instrumenta rerum vanarum, cuiusmodi essent instrumenta ad ludendum, vel ad rem musicam, libri etiam profani, & alia id genus, vt declaratur lit. M.

5. *Pono*. Neminem posse ingredi alienum cubiculum sine generali aut speciali facultate superioris p. 3. c. 1. §. 4. L. D. vbi etiam dicitur; Et si cum ea facultate ingressus fuerit, ostium semper apertum maneat, quamdiu cum alijs ibi fuerit; vt & superior, & officiales ad id destinati, quandocumque eis visum fuerit conuenire, ingredi possint.

6. *Pono*. Non posse socios ex p. 6. c. 3. §. 5. mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcumque suscipere, vt ordinariè illarum confessiones audiant, vel ipsas regant.

Horum autem, quæ sequuntur, vel inducenda, vel reuocanda, vel exactè seruanda praxis, vt Castitatis Votum in sua perfectione esse, ac seruari possit in Societate.

In Not. Regu. c. 29. P.° Exactissimè seruetur Reg. 34. ex Communibus, *Vt memoralium*

etiam

etiam ioco tangat, preterquam in ſignum Caritatis amplexando, cum quis aut abit, aut redit peregrè, & maximè inter iuuenes, & a iuuenibus; cuius violatoribus publica etiam diſciplina imponenda eſſet, vt monuit P. Claudius anno 1610. die 11. Decembris. In quam Reg. legendus *Nigronius*.

2. Exactè ſeruetur Reg. 72. Præp. & 70. Rect. *Ne ſinant Socios mulieres inuiſere, aut ad eas ſcribere, niſi in neceſſitate, aut cum ſpe magni fructus; neque hoc quidem permittant, niſi viris valde probatis, & prudentibus*. c. 89. & 109.

3. Prouinciales iuxta Inſtr. 3. *deſignet mulieres, dum ſingula viſitat Collegia, auditis Conſultoribus*, quæ *inuiſi poſſint ſine offenſione; cæterasque omnes viſitationes ſuperfluas prohibeat:* id tamen officium præſtetur *(moderatè tamen, & circumſpectè, vt alijs exemplo præluceat)* à Superiore, & Confeſſario; & ſi quando Superior alios mittere cenſuerit, *ſint Viri ſerij, graues, & ſpirituales:* In *Viſitationibus* autem *Prouinciales inquirant, quomodo hæc omnia ſeruentur*, & *Generalem exactè moneant;* & *Conſultores in litteris ad Generalem*, ſiue *Prouincialem* ſcribendis *quomodo præſcripta circa Viſitationes haſce ſeruentur, certiores illos nominatim faciant* iuxta id quod habetur in fine n. 7. Inſtr. 15. n. 9. & 17. c. 20. & 21. c. 87.

4. Exactè ſeruetur Reg. 18. Sacerdotum. *Quando quis à Superiore mittetur ad Confeſſiones fœminarum audiendas, vel alia de cauſa eas adierit; Socius, quem Superior ipſi deſignabit, quamdiu cum fœminis Sacerdos loquetur, eo in loco erit, vnde videre eos, ſed non quæ ſecreta eſſe oportet audire poſſit, quantum loci diſpoſitio patietur; quod ſi non pateretur, curet omnino Sacerdos, ne oſtium ſit clauſum, nec locus obſcurus.* Et Regul. 5. Coadiut. Temporal. *Vt cum domum redierint, vltrò Superiorem admoneant, etiamſi ab ipſo non rogentur, ſi quid contra hanc regulam commiſſum ſit.* His autem Regulis comprehendi omnes, qui fœminas adierint, & qui Socij fuerint horum etiamſi non ſint Sacerdotes, vel Coadiutores, habetur ex n. 1. & 3. Inſtr. 15. Tanti autem fecit P. Claudius ordinationes factas circa viſitationes fœminarum, & circa obſeruantiam Reg. 18. Sacerd. quæ reponuntur modò in Inſtr. 3. n. 7. 9. & 10. & n. 1. 2. & 3. vltimæ partis c. 2. Inſtr. 15. approbatas quoque à Cong. 6. dec. 43. vt iuſſerit eas tertio quoque menſe legi; licet poſtea eam obligationem ſuſtulerit Con. 7. dec. 91. Iuſſit tamen P. Mutius poſtea aliquando publicè perlegi. c. 194. c. 238. c. 88. & 89. In lib. Inſtr. c. 18. 19. 20. & 21. 88. & 89. In lib. Decr. c. 420. & 469

5. Exactè ſeruetur Reg. 100. Prouinc. quæ ſic habet. *Det operam, vt Confeſſarij maturi ſint ætate, quantum fieri poteſt, ac multò magis ſpiritu, & moribus, præſertim, qui ad confeſſiones mulierum audiendas mittuntur.* Et biennium expectetur recens ordinatis, *antequam ad mulierum confeſſiones exponantur*, & eo tempore tantummodo Virorum Confeſſiones audiant iuxta n. 1. Inſtr. 3. c. 15.

6. Monitiones ſeriæ, & pœnitentiæ prima vice iniunguntur, & aliquando

quando etiam præceptum obedientiæ imponatur Confessarijs, vt ser-
uent præter Reg. 18. etiam 15. 16. & 17. & si adhuc non seruent, illi
statim à confessione fœminarum remoueantur, moneaturque Gene-
ralis, vt dispiciat, an tales in Societate retinendi sint, vtpote qui in re
graui, *periculosa*, & tam seuerè iniuncta parere noluerint. Sic habetur
expresse n. 7. Instr. 3. Iubentur autem Confessarij in 15. *ita audire pœ-*
c.18. *nitentes*, vt *mutuum aspectum fugiant*: & *si non tabula diuidens, sit ma-*
nus interposita inter faciem propriam, & confitentem, qui ad latus esse
debebit; mulierum verò confessiones non audiantur, nisi ad crates: Cui
c.16. additum est in Instr. 3. n. 2. *etiam in summa frequentia*, neque *excusatio-*
nes admittantur, etiamsi sint puellulæ. Has prostremas voces addi 15.
c.461. Regul. Sac. iussit Cong. 7. dec. 80. n. 12. Sic hæbet Reg. 16. Sacerdot. In
audiendis Confessionibus, fœminarum præsertim, seueros potiùs se, quam
familiares exhibeant &c. & Reg. 17. *Eos qui crebriùs confitentur, maxi-*
mè fœminas, breuiter expediant, nec de rebus ad confessionem non perti-
nentibus in confessionali loquantur: extra confessionem verò, si oportebit
eas alloqui, oculos modestè demißos habeant. Iussit autem Cong. 7. dec.
c.461. 80. n. 13. addi post *alloqui*, has voces, Id *fiat in loco patenti*, nec *longum*
sermonem &c. Illæ autẽ voces desumptæ sunt ex n. 3. Instr. 3. vbi etiam
n. 5. dicitur *constituendos Syndicos non modo Ædituos, et aliquos ex So-*
c.16. *cijs, sed nonnullos proximos Sacerdotes*, qui *obseruent, et Superiorem mo-*
neant tam de prolixis confessionibus, quam de colloquijs, quæ extra con-
c.17. *fessionem protraherentur.* & n. 6. *Quæ matutino tempore sunt confessæ,*
vel sequenti die manè confiteri debent, non permittantur à prandio acce-
dere prætextu confessionis; sed si accesserint, confessarij reijciant in diem
crastinum, si sunt communicaturæ; & si illo ipso die, quo accedunt, com-
municauerint, differant ad diem sequente confessionem.
c.87. 6. Vrgeatur iuxta Instr. 15. n. 9. obseruantia *Reg. 19* de non admitten-
da vllius pœnitentis obedientia; & 20. de potestate alios confessarios
adeundi libenter facienda, & de significando benignè sibi gratum
fuisse, quod pęnitens etiam non petita facultate alium adierit confes-
sarium; debent *enim Socij*, iuxta id quod ibi dicitur, *ab omni adhæren-*
In lib. Regu. ca. 194. 195. & 196. *tis affectus specie alienos se ostendere.* & 25. de non præscribendo ijs,
quorum audit confessiones, certum vestimenti genus, hunc aut illum
habitum, vel colorem.

7. Curandum sollicitè, ne confessarij pauperum mulierum iuuanda-
rum prætextu, maiorem quam deceat familiaritatem contrahant; &
vt eleemosinæ iuxta Reg. 22. Sacerd. cum consuetu superioris fiant,
atque aliena potiùs manu, quam per ipsos, quoad eius fieri poterit.
c.16. *Quantumuis enim* (inquit P. Claud. Instr. 15. n. 6.) *à caritate inchoetur,*
res tamen decursu temporis periculi plenæ, aut certis calumnijs obno-
xia fit.

8. Curandum, ne confessiones generales earum excipiantur, quæ se-

mel ge-

mel generaliter alicui confessæ sunt, nisi id exigeret manifesta Sacramenti necessitas ob confessiones inualidas. *Quod tamen* (inquit P. Claudius Instruct. 3. n. 4.) *in huiusmodi raro admodum probabile est posse* c.17.
contingere.

9. Si quæ fuerit mulier, quæ nimis crebrò, qualicumque prætextu, redire videatur, alius ei confessarius designetur, cureturque vt prior il- c.87.
lam à se dimittat iuxta n. 9. Instr. 15.

10. Mutentur interdum confessarij, maximè occasione Missionum c.21.
ex n. 10. Instr. 3.

11. Caueatur, ne mane intempestiuè, aut serius Vesperi (nisi forte cum magna est frequentia, & sufficientibus tum facibus accensis) *neque interdiu item à prandio recreationis tempore, aliove quo ire omnes non solent*, in Ecclesiam eant Sacerdotes, nisi nominatim accersantur; c.86.
præter eos, qui ad diem illum destinati sunt iuxta n. 5. Instr. 15.

12. Confessionalia patentibus locis constituantur; eaque ita inter se c.86.
collocentur, vt vnus confessarius sit quodammodo Socius alterius: visitentque subinde Superiores, ne suis locis moueantur, & vt crates integræ sint, atque minutę iuxta n. 4. Instr. 15.

13. Immediati Superiores vna cum præfectis Ecclesię, Aedituis, & Syndicis aliquibus secretis, seorsimve cum singulis exendant, quam c.87.
accuratè præscriptæ ordinationes in Ecclesia seruentur; & de hoc etiam scribant Consultores ad Generalem, siue ad Prouincialem iuxta n. 7. Instr. 15.

14. Seruetur ab ijs, qui in Missionibus versantur, exactè id quod n. 8. c.61.
Instr. 12. habetur. *Fœminarum Confessiones in templo semper audiantur loco non obscuro; eodemque modo iuuenum: studeantque ab eis personis, quam primùm expediri, quæ mouere possunt suspicionem*.

15. Diligenter curandum, ne Concionatores facilè admittant donaria, præsertim à fœminis iuxta n. 8. Instr. 2. c.14.

16. Non solùm Superiores identidem vocent Sacerdotum socios, qui eant ad inuiscendos externos, & maximè ad inuiscendas mulieres, ab ijsque curent exactè fieri certiores, an reliquerint Sacerdotem, vel alium quemcumque solum, an quamdiu Sacerdos cum fęmina locutus est, eo in loco fuerint, vnde eum videre potuerit; verùm etiam in assignandis socijs, qui sint etiam Sacerdotes impensior cura & delectus habeatur, vt scripsit P. Mutius anno 1622. die 30. Aprilis.

17. Omnes Superiores ab omni mulierum certis locis certisq; legibus inter se in vna domo conuiuentium directione, ac promotione abstineant, neq; suorum quemquam quocumque prætextu patiantur il- c.45.
larum se rebus miscere, sed circa illas eodem modo se habeant, quo circa alias templa societatis promiscuè frequentantes. Ita habet Cong. 7. dec. 56. quæ *censuit fortiter his initijs occurrendum, cum cura* In lib. Regu.
qualiscumque talium Constitutionibus p. 6. c. 3. §. 5. Regulisq; 47. Trappo- c.83. & 108.
sitis, &

ſiti, & 68. Rectoris ex profeſſo videatur aduerſari; periculiſque hæc res ſit non vulgaribus, multorumque oblocutionibus expoſita; maximè quod hæc cura alieniſſima ſemper à ſocietatis inſtituto, miniſterijſq; habita fuerit; Rogauitq; Congregatio R.P. Generalem, vt ſi quæ neceſſitas occurrerit, ſuam Sanctitatem de ſummorum Pon-tificum Pauli Tertij, & Iulij Tertij voluntate, deque grauibus ex hac re incommodis, damniſque meritò timendis, informare dignaretur; *ſimulq; omni ſtudio inuigilare huic malo, eaque remedia adhibere, quæ in hanc rem validiſſima, & certiſſima iudicaret.* Nullum autem eſſet validius, ac certius remedium, quam ſi ſocios, qui huiuſmodi fęminarum, maximè ſi ſint Virgines, ac Viduę, nec primariæ nobilitatis, domos erigendas curarent, in quibus, clauſura non eſſet, ſed illæ tenerentur quidem ad ſolas ſocietatis Eccleſias, adeundas, ad Confeſſionem apud aliquos e ſocietate, ægrotæ, vel alio ſimili impedimento doctrinæ à ſolis ſocietatis Religioſis inuiſerentur, vel haberent Oratoria in quibus ſoli ſocietatis Presbiteri Miſſas celebrare, conciones, ſermonesve habere, vel etiam excipere confeſſiones deberent; teneretur Præſidens illis reddere rationem eorum quæ fiunt in tali Domo, alicui e ſocietate; idemtidem Collegio, vel Domui ſocietatis, ſiue ſacriſtiæ dona quædam, nec vulgaris pretij ex conſuetudine darent; cum ægrotant ipſarum Confeſſarij victum ipſæ ſubminiſtrarent, huiuſmodi, inquam, ſocios qui tales domos erigendas curarēt, aut illis legis cōſcriberet, aut peculiari modo eas foueret, aut dirigeret, ſeueriſſimè puniret eos à talibus locis remouendo, illis præceptum etiam obedientię imponendo, ne ad illas quocumque modo ſcriberet, & in Indias quoque mittendo, ſi profeſſi quoq; ſint. Quod idem faciendum, ſi conſtaret aliquem e ſocij ſuaſiſſe alicui matronæ, vt ex bonis ſuis aliquam partem legaret ad conſtruendam domum, in qua tantùm Viduæ alerentur ibi collocandæ à ſocijs, & quibus victus, veſtituſq; ſubminiſtraretur à ſuperiore Collegij, cui redditus multos teſtamento reliquit, vt ex ijs partem in hoc opere inſumeret.

18. Non permittendum, vt ſocij interſint conſultationibus Piarum matronarum, quę curam Congregationis S. Vrſulæ, Doctrinæ, Chriſtianæ, atq; aliorum piorum operum gerūt, ſic P. Claudius anno 1587. qui etiam anno 1603 monuit, ne ſocij ſuſciperent curam iuuandi in ſpiritu mulieres, quæ Vrſulinæ dicuntur, ſuaderentque Epiſcopis petentibus id non eſſe ſocietatis Iuſtituto conforme, nec permitterent coronationem vllius ex hiſce fęminis in Societatis Eccleſijs.

19. Non permittendum, vt ſocij eant ad vllam Congregationem, aut cætum vllum fęminarum, niſi habendæ cauſa alicuius ſpiritualis exhortationis, dummodo tamen hæc in Eccleſia, & raro fiat, & abſq; eo quod ibi ſacerdos celebret, communionem præbeat, vel vllam reconciliet. Sic cenſuit P. Claudius anno 1590. die 29. Septembris.

20. Non

20. Non permittendum, vt vlli e socij sint veluti procuratores quarumdam fęminarum, earum negocia gerant, sistant se in tribunalibus pro illis, pecuniam exigant à debitoribus, illis ancillas proponant &c.

21. Non permittatur, vt à monialibus munera, vel elemosinæ, siue à priuatis siue à Collegijs ipsis recipiantur. Sic iussit P. Mutius anno 1626. die 4. Decembris: & ante illum P. Claudius anno 1599. die 24. Iulij.

22. Exactè omninò seruetur ordinatio P. Euerardi reposita n. 1. c. 2. in lib. Ordinat. General. *Libri veterum obscæni, non expurgati, quamuis in Indice prohibiti non sint, nostris tamen, etiam Magistris, nisi maturis, & qui sine periculo vti possint,* non *permittantur: Scholasticis autem nullo modo. Recentiores verò, quocumque idiomate scripti, nemini concedantur.* Et istius quidem Ordinationis obseruantiam enixè commendauit P. Claudius in fine litterarum, quas scripsit anno 1601. die 11. Decembris ad superiores pro recta Institutione Iuuenum Scholasticorum e Societate, Genus quidem aliquod librorum, vt ne attingerent quidem socij, optauit P. Mutius in lit. de Oratione; *E quibus* (inquit) *nunquam doctrinæ tantùm accedet, quantum vt castimoniæ decedat, in pro liui est, vt ob eam causam ne domi quidem habendos Constitutiones nostræ decernant.* c. 17. c. 400.

23. Interdicatur socijs, sed præsertim Scholasticis, ac Magistris Classium Inferiorum, carmina Italico sermone scribere, & multò magis imprimere sub alieno etiam nomine; ab eorum enim scriptione ea damna importari sociorum spiritui deprehendit P. Mutius, vt aliquando scripserit, si simplicem prohibitionem haud satis fore deprehenderet. *Se Italicorum Carminum scriptionem sub obedientiæ præcepto veti urum.* Multò magis vetandum est, ne in Collegijs, vel seminarijs cantentur carmina à socijs conscripta: nec vlla ratione permittendum, vt peccetur contra Reg. 13. Rect. in Rat. stud. sic dicentem. *Tragediarum, & Comœdiarum, quas nonnisi latinas ac rarissimas esse oportet, argumentum sacrum sit, ac pium: neq; quidquam interponatur, quod non latinum sit, & decorum: nec persona vlla muliebris, vel habitus introducatur.* Hinc seuerè puniendi essent illi Magistri, qui publicè deferrent in Scholas libros impuros Italico sermone conscriptos, vel scriptos ab auctore, qui inter impuros habetur; vt enim in simili dicitur p. 4. c. 14. §. 1. L. A. *Solet opus in causa esse, vt qui legit, ad auctorem afficiatur; & auctoritas, quam apud ipsum habet in ijs, quæ benè dicit, posset postmodum aliquid persuadere ex ijs, quæ malè dicit.* Nec sine acri pœna essent relinquendi illi, qui fęminam occasione comædiarum, vel Tragediarum in scenam inducerent, licet sub hominis habitu, & maximè tentatam, vel tentationes latè exponentem &c. c. 16.

24. Seuerè custodiatur Reg. 47. Magistrorum Class. Infer. quæ sic

habet; *Familiarem non se vni magis, quam alteri ostendat; cumque*
c.117.et 118 *ijs extra Scholæ tempus nonnisi breuiter, ac de rebus serijs, loco etiam*
patenti, hoc est, non intra Scholam, sed pro Scholæ foribus, aut in atrio,
aut ad ianuam Collegij, quò magis ædificationi consulat, colloquatur. Ac
Superioribus *inuigilandum, ne Magistri* (vt habet n.6.Instr.17.) in *col-*
c.97. *loquijs, quæ necessariò haberi debent cum externis suis Scholasticis,*
diutiùs commorentur, præsertim cum vno aliquo; tempusve inutiliter,
ac parum religiosè insumant. Nec Superiores fallat species quædam
pietatis, quam Magistri profiterētur sibi esse propositam in huiusmo-
di familiaritatibus; præterquam enim potest latere anguis in herba,
potestq; Magistros allicere species potiùs puerilis, vel iuuenilis aspe-
ctus, quam pietatis; negari non potest, quin res sit grauissimis obno-
xia periculis, & multorum, ac præcipuè cæterorum Scholasticorum
c.105. oblocutionibus peruia. Tenentur Magistri ex Reg.6. si quem e Scho-
lasticis cognouerint esse ad societatis ingressum propensum, ad Con-
fessarium reijcere.
25. Prohibeatur seuerè omnibus prouincialibus, ne hullum perfecto
c.82. Nouitiatus biennio Scholæ præficiat; quamuis enim in fine n.2.c.13.
Ordin. Gen. dicatur Scholasticos Iuniores ante expletum biennium
in Collegijs seorsim à cæteris Scholasticis, non esse educendos ad do-
cendum in scholis; quamuis firmos, ac stabiles in vocatione, expe-
rientia tamen patere potest, facilè in hoc dispensari à prouincialibus.
c.131. Vetuit Cong.5.dec.12. ne vllo in casu exerceri liceret facultatem dis-
pensandi in cōtrahendi biennij spatio, ad hoc vt quispiam ante exple-
tum biennium censeatur verus Religiosus societatis; quamuis eam
videretur concedere Declar.p.5.c.1.L.C. Imò constituatur, vt omnes
scholastici vsq; ad subdiaconatum sub peculiari præfecto rerum spi-
ritualium, ac peculiari Ministro detineantur iuxta id quod eo c. 13.
Ord. Gen. dicitur. Qui languor in spiritu irrepere possit in scholasti-
cos, qui Magistri munus obeunt, & per consequens quam facilè pos-
sint superari à tentationibus, quæ contra Castitatem insurgunt, sub-
ministratæ potissimun à maiori quadam libertate, quam habent, in
religiosa etiam disciplina, parua superiorum sollicitudine circa eo-
rum in spiritu profectum, & à consuetudine quam habent festis etiam
diebus cum pueris, & adolescentibus; prudens quisque iudicare po-
test. Neque dicatur, *pertinere ad gratiam vocationis, quòd hi iuuenes*
Magistri Castitatis votum non violent. Vnde enim id habetur id pe-
culiariter concedi societate! Cur peculiares leges circa Confessarios
cum mulieribus agentes, imo & circa hosce Magistros cum schola-
sticis loquentes conscriptæ! Si aliorum opera vti possunt Superiores
in scholis habendis, cur ea non adhibetur? Penuria hominum socie-
tatis initio compellere potuit superiores ad illud munus Adolescen-
tibus, Iuuenibusque socijs demandandum. Nunc est copia Sacerdo-

tum, qui

tum, qui otiosè etiam viuunt. Poſt abſoluta ſtudia, & vbi ſcholaſtici ad Sacerdotium promoti fuerint, humaniores litteras doceant. Cenſuit quidem Cong. 7. dec. 26. *Nullos certos in Societate annos, definitumve tempus, humaniorum litterarum profeſſioni obeundæ præſcribendum; multòq; minùs triennio illud concludendum: ſed à ſingulis Superioribus deſignandum in hac re tempus, quod ad maiorem Dei gloriam futurum iudicabitur. Theologos etiam poſt abſoluta Theologiæ ſtudia, ſiue ante illa litteras haſce profeſſi fuerint, ſiue non, pro Superiorum arbitrio illis applicandos. Quam rem Prouincialibus omnibus ſeriò commendatam eſſe voluit, vt in tam graui, tamquam vtili occupationum genere, non tam propenſionis cuiuſque, quam communis boni, & gloriæ maioris Dei rationem habeant, omni vel quo affectu ſe poſito.* Præterea cum in acceptandis Collegijs non ſeruentur Decreta, vel Ordinationes, nec ſuperiores vigilantiam, atq; ſollicitudinẽ præſcriptam, maximè in iuuenũ educatione, facilè adhibere poſſint, potiùs putaret aliquis Deum potiùs permiſſurum lapſus, nedum peculiare auxilium hiſce Magiſtris ſubminiſtraturum. Tentari potiùs videtur Deus. c. 43.

26. Non permittatur omninò, ſaltem duo Iuuenes ſint Magiſtri in Collegijs maximè infimis; hi enim extra Collegium, & in Collegio inter ſe ſoli degunt; neq; enim ſuperiores ſine grauiſſimis incommodis, & amaritudinibus vetare poteſt, quin illi ſimul extra Collegium eant, in Collegio multa familiaritatis argumenta præbeant &c. Nec permittendum quoque, vt vbi vnus tantum eſt Præceptor, ibi Iuuenis docendo præficiatur; melancolicum enim humorem, quem afferre facilè poteſt talis loci ſolitudo, Iuuenis facilè amouere poteſt media familiaritate minùs prudenti, ac religioſa ſuorum ſcholaſticorum &c.

27. Præfecti Cubiculorum, ac Repetitores in Collegijs, ſiue ſeminarijs externorum, & maximè nobilium, ſint omninò Sacerdotes, & ex maturioribus in ſpiritu, moribus, ac ædificatione: Et ſeuerè interdicatur cuique (excepto Rectore, Confeſſario, & Miniſtro, qui debe-rent quoque prouecti ætate eſſe) ne vlli ex hiſce iuuenibus in cubiculum dent aditum: ſi colloquendum ſit neceſſariò cum illis, in aula, vel ad ianuam, vel in alio patenti loco id fiat, vt dicitur in Reg. 47. Magiſt. Claſs. Infer. quæ multò magis à degentibus in hiſce locis obſeruanda foret.

28. Scholaſtici, & maximè amiciſſimi, in eodem haud habitent cubiculo. Penuria cubiculorũ potuit initio Societatis eſſe cauſa, propter quam duo, aut etiam plures in eodem degerent cubiculo: Id certè non habetur in Conſtitutionibus, imò videri poteſt potiùs aduerſari illis: Nam p. 3. c. 1. §. 4. L. D. dicitur, *Si duo* (notanda illa vox, *Si*) *in eodem cubiculo lectulos ſuos habeant, alter eorum huiuſmodi ſit, vt minimè dubitetur, quod alter eius Societate proficiat;* & *eamdem* ob *cauſam inter*

KK 2 *cubicu-*

cubicula, quæ seorsum vnicuiq; iuniorum assignantur, par est aliquos ex antiquioribus intermisceri. Minus periculis res obuia esset, si tres, aut etiam plures in eodem degerent cubiculo. Præscribitur quidem n.8. c.13. Ordinat. Gen. *Vt Iuniores Scholastici sint terni in recreatione, & cum foras eunt.*

29. Vsque ad Sacerdotium saltem nullus Scholasticus, si ingredi alienum cubiculum solum permittatur, loquatur cum vllo (exceptis Superioribus, Confessario, Præfectis studiorum, ac Professoribus Superiorum facultatum) nisi planè aperto, ac patenti ostio:

30. Scholastici haud simul associati, si duo sint tantùm, Domo egrediantur, sed cuiq; assignetur aliquis Sacerdos, vel Coadiutor; & si id fieri non possit aliquando, iuniori assignetur socius ætate, ac moribus maturior; Superiorq; inuigilet, ne cōcedat scholastico socium, quem alter scholasticus nominatim petierit; vel illi assignet pro socio eum, cum quo familiaritatem peculiarem habere videtur.

31. Familiaritates quædam, inter Iuuenes maximè, vt monuit P. Claud. in lit. de Instruct. Iuuenum datis anno 1610. die 11. Decembris, resecentur omninò; vix enim explicari potest, quam noxiæ sint illæ virtutibus omnibus, ac nominatim Castitati. Potiùs singulis iuuenibus præscribatur, cum quibus socijs illis colloquēdum sit; hoc enim videretur conforme verbis illis p.3.c.1.§.4. L.D. *Agent verò potiùs cum maturis, ac prudentibus,* qui *scilicet à Superiore cuique fuerit designati*; iuxta praxim quoque tempore S. Ignatij. Legatur Nigron. in Reg.27. ex Com.

32. Si peculiari aliquo affectu, etiam naturali, & veluti sympathia affici socium aliquem erga aliam deprehenderit Superior; curet statim superior, vt omnis extraordinaria communicatio abrumpatur, communiaque tantùm caritatis signa exhibeantur; vix *enim dici potest* (inquit P. Claudius in lib. Industr. n.9.c.8.) *quanta incommoda ob locutionum, detractionum, querelarum, delationum, suspicionum, inimicitiarum, conuenticulorum, munusculorum, & similium ex singulari, & extraordinaria communicatione oriantur.*

33. Non solum *schedulæ, & munuscula clanculum data, vel accepta,* (vt habet Instr. de spir. ad super.) diligentissimè cauēda; verum etiam peculiariter inuigilent Superiores, vt tollatur, quemadmodum monuit P. Claudius in lit. de Instit. Iuu. anno 1610. die 11. Decembris (vel nunquam in posterum inducatur) *abusus inter Iuuenes mutuò dandi, & accipiendi scripta, imaguncula, reliquias, & alia similia*: quæ, vt ille inquit, sub specie pietatis, solùm inseruiunt ad conciliandas peculiares amicitias; nunquamq; *concedant huiusmodi facultatem, nisi valde æqua, & ædificationis causa subsit*: ex hoc autem abusu tot oriri incommoda subdit, & eorum Catalogus texi posset.

34. Nunquam Iuuenes etiam in vineis vilisq; soli, maximè à prandio, cæ-

ctio, cœnave relinquantur, ſed ſemper aliquis ex grauioribus Patribus illis aſſiſtat, à cuius præſentia remoueantur à faciendis nonnullis, quæ haud religioſam grauitatem, modeſtiamq; decent. Expediens magis iudicari poſſet Iuuenibus concedere ludum pilæ, follis luſorij, alioſque ſimiles præſente aliquo graui Sacerdote quam illos dimittere ſolos in vineis, villiſque. Nec videtur permittendum ſcholaſticis vſq; ad ſubdiaconatum, vt ſoli inter ſe in recreatione etiam quotidiana degant, ſed illis ſemper adſit aliquis Sacerdos pius, ac ſpiritualis, qui ſermones ſanctos, & religioſæ recreationi conuenientes inducat, vt dicitur n. 6. Inſtr. 13. & tradita quidem in hac Inſtr. c. 9. de Recreatione quotidiana religioſè tranſigenda ſeruari facilius poſſent, ſi non ſolùm vno in loco quotidiana recreatio haberetur, c.78. quod deſiderare videtur Reg. 56. Præp. & 55. Rect. verum etiam ſi præſente aliquo ex superioribus, & aliquo Patre grauiori cuique Iuuenum conuentui. In lib. Regu. c. 85 & 105 Coadiutores quidem Temporalis in fine Reg. 3. ipſorum iubentur non coire inter ſe ſolos, nec à communi recreationis loco ſeorſim ſecedere; c.237. & Iuniorum ſcholaſticorum Miniſter iubetur n. 8. c. 13. Ordin. Gen. verſari vna cum iiſdeſin recreationibus quę in vinea aut domi fiunt, in loco à Rectore pręſcripto, à quo ſine eiuſdem facultate illi abſcedere non poſſunt. In lib. Ordin. c. 83. Optandum eſſet, vt hæc ſeruarentur cum omnibus ſcholaſticis vſq; ad ſubdiaconatum ſaltem.

35. Si in locis non obuijs ac patentibus ſi in locis haud luci peruijs, & ſimilibus deprehendantur ſcholaſtici ſimul colloquentes, vel cum quibuslibet alijs, nullus omninò ex his ſine graui reprehenſione, vel pœnitentia relinquatur; ſimulque inuigiletur maximè, vt peracto recreationis tempore omnes ſcholaſtici in cubiculum ſuum regrediantur, & ne dato ſine veſpertini examinis illi ſermones miſceant, vel vllius cubiculum ingrediantur, vt alicubi monuit P. Mutius.

36. Peculiariter ſtudeant Superiores, vt Procuratores Collegiorum maximè Domorumq; probationis ſint viri admodum ſpirituales. Quod ſi Inſtr. 8. de Coadiutoribus Temporalibus n. 4. dicitur, *Qui ad Vineas, agroſque procurandos mittuntur, ſint ex ijs, qui magis in ſpiritu, & religioſa diſciplina profeciſſe cognoſcentur. Neq; vnquam ſoli in eiuſmodi locis morentur, aut certè pernoctent, & quam minimùm fieri poteſt, in illis permaneant:* & n. 3. etiam habetur: Socij *autem Procuratorum, & emptores fœminas ſoli adire non permittantur.* Multò magis videntur hæc ſeruāda circa Procuratores, hi enim vt plurimum maiori egent diſciplina, vel ex eo quod illi minùs ſubiecti fuerint eo quod ætate iam maturi ingreſſi fuerint ſocietatem, breuique munus Procuratoris munus illis demandatum fuerit, aut quod non potuerint ſtudiorum curſum perficere ex ineptitudine, ſiue infirmitate; vel ex eo quod minùs, quam cæteri omnes habitent in Collegijs, Domibuſque, adeoq; viuant pro arbitratu: cum omni hominum genere verſantur,

fantur, quibus etiam multa beneficia cōferre queunt, nullumq; habent fermè, qui eorum actiones obseruet, habentque pecuniam semper paratam, ac facilè etiam superiores decipere possunt in reddenda Præposito, vel Rectori ratione dati, & accepti iuxta Reg. 11. Procur. Dom. Prof. & 4. Procur. Colleg. & ſic eo n. 4. Inſtr. 8. additur. *Quod ſi diutius, aut longius eos abeſſe oporteat, mutentur nonnunquam, aut idemtidem ad Collegium reuertantur, vt in vtroque homine reficiantur. Ea verò, quæ per externos in his locis curari poſſunt, ad ea noſtri ne adhibeantur;* an non curandum enixè superioribus, vt Procuratores idemtidem ad Collegium reuertantur, vt maximè in spiritu reficiantur, & externorum opera in multis adhibeatur. Neq; satisfit, si dicatur, *vtiliùs Collegiorum bona curari à Procuratoribus Socijs, quam ab externis:* tum quia contrarium patere potuit experientia; externi enim ſæpe ſunt peritiores Procuratoribus, quod munus non rarò demandatur nonnullis, qui solùm libros tractarunt, nullamve rerum externarum curam habuerant, vnde plura ab his Collegiorum bonis damna importata: tum quia commodis temporalibus nonnullis præferendum eſt ſpirituale ſociorum bonum, præferenda societatis fama; quæ negari non poteſt, quin expoſita ſit multorum oblocutionibus, imo & periculis; neque enim vetari poteſt, quin Procuratores, eorumq; socij soli incedant, soli non rarò pernoctent, eant quouis prohibito &c. Accedit, quod expenſæ quæ ſiunt in alendo Procuratore, eiuſque socio cum duobus equis ſatis ſorent pro mercede fidelis, ac peritiſſimi viri, qui vineas, agroſque procuraret, & qui emeret neceſſaria pro Domo extra Ciuitatem emerda. Poſſet autem superior ipſe, vel alius socius superioris nomine aliquando mitti ad diſpiciendum, quomodo ſe gerat hic externus &c. Nullus certè ex officialibus socijs facilius violare poteſt vota tria, quam Procurator Collegij.

In lib. Responſ. cap. 18. art. 11

37. Non permittendum, vt ij qui peregrè aliquò proficiſcuntur, vel concedunt, in itinere apud amicos, vel deuotus hoſpitentur: Sic cenſuit P. Claudius olim in reſponſione quadam data P. R. Multoq; minus permittendum, vt duo Coadiutores, vel duo ſcholaſtici, vel Sacerdos vna cum Scholaſtico, vel Coadiutore maximè Iuniore apud aliquam fœminam in Villa, vel alio ſimili loco licet illa pia, bonæq; exiſtim ationis cenſeatur, plurium dierum ſpatio detineatur, etiam, recuperandæ perfectæ ſanitatis cauſa, multoque minus recreationis, vel ad audiendas confeſſiones illius fœminæ &c.

38. Non admittantur inter famulos, qui degunt in Collegijs, ac Domibus, Iuuenes, decorique aſpectus, ſed ſint homines matura ætate, ac ſpecie potius indecora; nec inter Coadiutores admittantur à Prouincialibus, niſi qui vigeſimum ſaltem expleuerint annum.

39. Quando ad conſeruandam Caſtitatem omnes ſanctè, vitæque spiritua-

ſpiritualis Magiſtri vna voce aſſerunt, maximè conducere cum is affli-ctiones ſtatuatur, vt feria quarta cuiuſq; hebdomadæ abſtineant à carne omnes socij, & ab eadem quoq; abſtineant tempore Aduentus ſi non iudicetur ſaltem ter in hebdomada tunc ieiunandum; & in loco certo omnes scholaſtici ſe flagellis cedant; quamuis enim in Exam. c. 1. § 6. dicatur, societatem nullas ordinarias pœnitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habere, & id in formula Inſtituti Iulio Tertio propoſita exprimatur; attamen iam inducta fuit conſuetudo abſtinentiæ in sexta feria, & approbata in Reg. 5. ex Comm. nec tales leges repugnarent ſubſtantialibus Inſtituti, vt p. 2. huius libri explicatum eſt. Si primigenius in societate ſpiritus vigeret, ſatis eſſent illæ, quas ſibi quiſque cum approbatione superioris ad maiorem ſui ſpiritus profectum aſſumeret, & quas propter eumdem finem Superior, vel Confeſſarius, vel alius nomine superioris illis imponeret, vt dicitur ibidem & L. C. eſſet enim certitudo moralis, quod hæ penitentiæ aſſumerentur, & non amitterentur: imò *potiùs contrahendæ eſſent habenæ*, vt loquitur P. Claudius in litt. de oratione, & pœnitentia anno 1599. datis qui præter cætera addit, *in ea reparandarum vitium neceſſitate Socios verſari, vt potiùs neceſſe ſit languorem, ac inertiam in* corporis afflictionibus vſurpandis cauſſari, quam feruorem nimium criminari, vt fieri poterat S. Igatij æuo. Certè videtur omninò reſecandus *exceßus, ac multa ſuperfluitas*, quæ *apparet in recreationibus, in vineis, alijſq; oblectamentis*, teſte P. Mutio in lit. ad Patr. Cong. prouinc. qui antecedenter dixerat. *Neceßitas occupationum, quæ periculo ſunt obnoxiæ, occaſiones variæ, ac multiplices, defectus orationis, internæ recollectionis, ſtudijſq; ambulandi ſollicitè coram Deo, nonnullorum otioſitas, aliorum denique nimiæ commoditates, non leuem nobis metum incutiunt*, ne *optimo Societatis auro* (Caſtitatis ſcilicet) *aliquantiſper obſcurato, amariſſimi huſus cauſas præbeatur ei, qui aliquo tangatur zelo nominis Societatis, & diuino honoris; neue liceat cum ſignificatione doloris, & conqueſtionis exclamare: Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Nec permittendum, vt exceptis infirmis, vllus quidquam ſeruet ſiue ex dulciarijs, ſiue ex vllo eduliorum genere in cubiculo ſumendum pro libito, & multo minùs mutuò dentur, & accipiantur huiuſmodi dulciaria; maximèque puniendus quicumque aliquid ex his donaret scholaſtico, & cuilibet iuniori: & ſi quid ex his alicui offeratur, ſi iuſtis ex cauſis recuſari non poſſit, ad superiorem referatur pro infirmis, vt innuit etiam n. 2. c. 8. Induſtr. vel in communem vſum recipiatur, & diſpenſetur iuxta Reg. 64. Præp. & 60. Rect. Vetuit quidem P. Mutius anno 1638. die 22. Decembris, ne vlli *plane concederetur facultas accipiendi, dandi, vel retinendi conueſtibilia*.

In Bull. c. 67. In lib. Regu. c. 84.

c. 445.

c. 446.

c. 56. In lib. Regu. c. 89. et 106.

40. Obſeruetur exactè id quod c. 5. Inſtruct. de ſpiritu ad ſuper. Ex-

preſsè

presse monuit P. Claudius. *Vt familiaritas tenuiorum, & ignobilium fœminarum, vt quæ suspicioni, ac periculo magis exposita sunt, procul*
es.40.& 41. *modis omnibus habeatur. Earum cura, & patrocinium ad temporalia subsidia conquirenda, nec suscipi, nisi magno delectu, & cautione permittatur; nec tractari sine peculiari cum Superioris communicatione, atque ita dumtaxat; vt nec incommoda inde vlla, nec sinistræ suspiciones nasci possint. Illi qui minùs spirituales sunt, & distractionibus magis obnoxij, periculis obijciantur, nec hi promoueantur ad speciosa concionum, lectionum, & alia id genus munia, quæ opinionem, famamq; conciliant, & caros externis illos faciunt, si quid vsquam acciderit, quamuis id leue sit quod minùs rectum videatur, Superiores commonefaciant, corrigant, & remedium statim admoueant. Ne Confessarij, ex pia quadam opinione, quam habent de Socijs, venialia omnia, aut leuia, atq; extra periculum esse ducant* &c. Quibus addi potest ex lib. Industr. c.8.n.6. *Vt Silentium diligentissimè seruetur; vix enim credi potest, quantum, hæc disciplina silentij conferat siue ad vitandas innumeras maculas, quas ex inordinata locutione contrahimus; siue ad libertatem quamdam, quæ sensualitatem nutrit, coercendam.*

Caput Tertium.

De Reformatione voti obedientiæ &c.

P.º *Tono.* EXcepto expresso voto, quo societas Summo Pontifici pro tempore existenti tenetur, ac tribus alijs essentialibus Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, nullas Constitutiones, Declarationes, vel vllum ordinem viuendi, posse obligationem ad peccatum mortale, vel veniale inducere ex c.5.p.6. nisi superior ea in Nomine Domini Nostri Iesu Christi, vel in virtute obedientiæ (siue æquiualentibus) iuberet. Monetur autem Præp. Regul. 9. &
en.89.& 94. Rect. Reg. 9. quod quamuis in virtute obedientiæ iubere possit, nonnisi rarissimè, & ex graui, ac vrgenti causa id faciat. Quamuis autem Minister in Virtute sanctæ Obedientiæ præcipere non possit; Coadiutores tamen, siue alij, qui ministro clarè dicunt, *Nolo facere*, incurrunt in quartum casum reseruatum inobedientiæ expressæ, vt ordi-
c.22. nauit, siue declarauit P. Claudius vt habetur n.18.c.2. Ordin. Gener.
c.445. cuius ordinationi, siue declarationi standum esse censuit Congreg. 7. dec. 45.

2. *Tono.* Voluisse S. Ignatium, vt in hac virtute præ cæteris excellerent socij, & vt hæc virtus tum quoad executionem, tum quoad iudicium, ac voluntatem in illis perfecta foret, vt copiosè cap. 2. p. 1. huius libri declaratum & habetur p.6.c.1.§.1. & L.C.

3. *Tono*

3. *Pono* p.4.c.10.§.9.& p.6. c.1. ita promptos esse debere socios audita voce superioris, & signo constitutis horis, vt statim litterā imperfectā relictā ad id, quod illis iniungitur, vel ad quod vocantur, se conferant.
4. *Pono*. Satis esse signum voluntatis Superioris ad hoc vt debeat subditus obedire p.6.c.1.§.1.
5. *Pono*. Teneri vnumquemque obedire non solùm Superiori Domus, vel Collegij, verum etiam officialibus subordinatis, qui ex illo auctoritatē acceperunt Exam.c.4.§.31 p.3.c.1.§.24. & p.4.c.10.§.8.
6. *Pono*. Non considerandū, cui obeditur, sed propter quem Exam. c.4.§.29.p.3.c.1.§.24.in Epist. Obedientiæ à S. Ignatio conscripta n. 3.& 4.& c 4. Instr de spir.ad sup. *In lib Epist. ca 13 & 14. In Instr. ca. 34 & 35.*
7. *Pono*. Quamuis subordinatio in obedientia diligenter seruanda sit p.1.c.1.§.vl.& p.8 c.1 §.4 & p.10 §.9. posse tamen Prouincialem, & Generalem sibi aliquem immediatè subdere p.8 c.1.§.4. L.E. vetatur tamen Prouincialis Reg. 31 vllum ab obedientia Superiorum immediatorum inconsulto Generali eximere &c. *In lib. Regu. c.39.*
8. Obedientiæ exemplo maximè prælucere Primores societatis debere p.8.c 1.§.3.& qui alijs præsunt p.4.c.10.§.8. Quod notauit quoque P. Claudius in fin c.4. Instr. de sp. *c.35.*
9. Quemcumque teneri ad implere quasuis pœnitentias, quæ propter defectus, & negligentias suas, vel quiduis aliud etiam propter defectum non culpabilem iniungerentur Exam. c.4. §.35. Quare quiuis tenetur ex regula subire pœnitētias impositas pro violatione cuiuslibet Regulæ, etiamsi culpa Theologica ibi non intercesserit.
10. *Pono*. Præter excommunicationes, censurasve in libro Constitutionum repositas per quinquaginta fermè annos societatem non habuisse ordinationes vllas ortas siue ex potestate Dominatiua, siue ex potestate Iurisdictionis obligantes ad peccatum mortale. Cong. 5. condidit dec 28. obligans sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & dec. 89. obseruantiam iniunxit in Virtute sanctæ obedientię, & sub pœna inhabilitatis ad quæuis officia, & dignitates, seu prælationes &c. P. Claudius nonnullas Ordinationes condidit obligantes sub peccato mortali ab vtraque potestate ortas; quem secutus enim Pat. Mutius, quamuis anno 1619. die 7. Martij professus fuisset in litteris datis ad Patres Cong. Prouinc. *Non esse suæ mentis nouas edere ordinationes, siue illas multiplicare*. Censurarum, & præceptorum sub Obedientia iam in societate promulgatorum Catalogus scriptus est, & per multorum manus vagatur. *c.291. c.336* *c.444. c.447*

Horum autem, quæ sequuntur, vel inducenda, vel reuocanda, vel exactè seruanda praxis, vt Obedientia Votum in sua perfectione conseruari, vel esse possit in Societate.

P.° Obedientia Pontificijs decretis exhibeatur non minùs exactā, quam Constitutionibus societatis, vel Ordinationibus Generalium;

ac non minùs saltem superiores inuigilent, vt illis, quam istis obsequentes se exhibeant Socij. Legatur c.2.p.1. huius libri: hic enim non videntur repetenda, quæ ibi dicta sunt.

2. Seruetur exactè Regula tota Procuratoris Generalis sic dicens; *Regulas Cancellariæ habeat, Bullasque & Breuia, quæ à Summo Pontifice fiunt, emat; in eisque animaduertat, quid noui contineatur. Quod si in*
c.115. *Cœnæ Domini Bulla aliquid adderetur, aut mutaretur, eam statim ad omnes Prouincias transmittat: Motus etiam proprios Vniuersales, conscio tamen Præposito Generali, Prouincialibus mittet.* In omnibus enimuerò Societatis Bibliothecis reponendum esset Bullarium Pontificium postremis hisce annis impressum cum omnibus Bullis, quæ in dies eduntur.

3. Decreta quoque Congregationum Eminentissimorum Principum multi fiant semper, nec eorum approbatæ auctoritati quidquam detrahatur.

4. Seuerè puniantur, qui palam præcipuè obloquerentur contra Pontificem, illiusque Leges, vel Eminentissimorum Decreta &c.

5. Seriò inuigilandum, vt qui ad ostium domus cum externis loquuntur, vel in templo fuerint (nisi audiendis pœnitentibus operam dent, aut aliud grauitas negotij, aut personæ deposcat) audito examinis si-
c.341. gno, ad cubiculum se recipiant iuxta n.2. dec.25. Cong 7. Idemq; fiat à Magistris Class. Inf. vbi Missa celebrata est.

6. Exactè seruetur Reg. 21. ex Commun. quæ sic habet. *Quæ à Superiore circa administrationem agenda sunt, nemo curiosè ab alijs exquirat;*
In lib. Regu. c.1.26. & 27. *aut coniecturam faciendo de ijs sermonem misceat: sed vnusquisque sibi, ac muneri suo attendens, quicquid de se, atque alijs constituendum erit, tanquam de manu Dei expectet.*

c.156.c.158 7. Exactè seruetur Reg. 13. Consultorum sic dicens. Si *quis cum eis de difficultate aliqua sua, aut perturbatione agat; ita eum suis monitis, et consilio iuuare studeant, vt semper, quãtum possint, existimationem Superioris tueantur.* Et Reg. 7. Admonitoris.

Caueat, ne occasione sui officij debitam subordinationem, & obseruantiam subditorum erga suos Superiores, al qua ex parte imminuat, aut debilitet.

8. Patres antiquiores, ac seniores à patrocinijs tum Scholasticorum, quam aliorum e socijs quorumcumque sibi temperent iuxta id quod
c.34. & 35. dicitur n.3. Instr. 7. sed seruent præscripta de vitandis huiusmodi intercessionibus, in libro scilicet Ordin. General. c.4 n.12. Hi ætate pro-
Ial. Or. c.39. uecti, grauesque auctoritate Patres, Consultores etiam, ac Præceptores ad *Sanctam obedientiam in primis, ad parem in omnia animi nutum,*
c.407. *ad se Moderatoribus permittendos, Deique arbitrium ex eorum petendum oraculo quà consilio, quà exemplo iuuent*, vt monet P. Mutius in lit. de Oratione.

9. Præfecto rerum spiritualium, siue sociorum Confessario, proposita

sit in

sit in primis obedientia, & erga superiorem amor subditorum. Ac si quando hæc aut minui senserit, aut intepescere, se se Angelum pacis interponat: hinc deiectos subditorum animos ad perfectionis, mortificationisque studium erigendo, & auctoritatem, bonamque de Superiore opinionem pro viribus tuendo; hinc superiorem priuatim de rebus illis admonendo, quæ vel expedire, vel impedire iudicauerit: sic habetur in n. 13. Instr. 10. *In lib. Instr. c. 54.*

10. Illorum, qui externorum, imo & sociorum opera vtuntur ad aliqua à superioribus obtinenda, nunquam desiderijs annuant Superiores; caueantque sedulo studio, ne dicatur, illis qui habent patronos siue in Societate, siue extra societatem, licet minùs dignis demandari munera speciosa, alijs vero, licet dignioribus eo quod similes patronos non habeant, haud ea committi: & illi quidem, licet cæteroqui digni, eo nomine repellendi forent à muneribus hisce. Monito quidem P. Claudij obtemperandum est à Superioribus. *Si quando vulgares personæ* (inquit n. 4. c. 4. Instr. de spir. ad Super.) *intercedant, quæ priuata potiùs beneuolentia, humanoque instinctu moueantur, quam quod ad eos hæc cura pertineat; reijci à Superioribus debent, suauiterque moneri, ad ipsos non spectare, vt se se in talia ingerant. Quod si graues sint personæ, vt Consultores, alij ve alicuius nominis Patres, benignè illos audiant: deinde verò si animaduertant leuioris esse momenti; quod proponunt, hortentur, vt obedientiam potiùs ipsi promoueant, animum ijs addendo, pro quibus intercedunt. Vbi autem sæpius repugnando, modum egrederentur, aut interponerentur etiam externi, tum disertè doceant sibi hoc ipso constringi manus, ne aßentiri poßint.* Seruetur que ad id Dec. 20. Cong. 7. cuius ferme obseruantiam sub præcepto obedientiæ *mandauit P. Mutius anno* 1642. *die* 7. *Febr.*

11. Exactè obseruetur Instr. 18. pro executione vrgenda, præsertim à n. 7. ad 12 in quo reposita nominatim præ oculis habenda; & c. 4. Instruct. de spir. ad super. *In lib. Instr. à c. 94.*

12. Sint tales superiores, quales eos requirunt leges societatis, & maxima saltem ex parte minuetur difficultas in obediendo: nam ferè quales hi fuerint, tales & eorum subditi erunt, vt dicitur p. 10. §. 8. & pro qualitate superiorum experientiam docere in Collegijs, aut Domibus maiorem, vel minorem disciplinam, obseruantiamque vigere sæpissimè habet P. Mutius in litt. Anno centesimo soc. datis. Si Superiores *suaui, siue pia*, ac *paterna imperandi ratione vti fuerint, quam Institutum Societatis deposcit*, vt expresè ait P. Mutius in lit. ad Super. Subditos sibi magis obsequentes in posterum experientur. *c. 23.* *c. 420.*

CAPVT QVARTVM.

De Reformatione Doctrinæ, quæ traditur in Scholis Societ. Iesu, ab ea euulgatur Libris, eiusve efformatione &c.

Pono. P.° SAnctum *Ignatium Fundatorem Soc. Iesu* sub *Dominicanorum Patrum disciplina Theologiæ operam dedisse* (vt habet Maff. in vita eiusdem Ignatij in fine c.19.lib.1) adeoq; *S.Thomæ Doctoris Angelici* doctrina imbutum fuisse.

Pono 2. Per plures annos S.Ignatium sub disciplina eorumdem Dominicanorum: Patrum fuisse: nam in Bulla Prima, qua Paulus Tertius Institutum societatis Iesu, quod primò recognitum, & probatum fuit à Thoma Padia sacri Palatij magistro, ac deinde Cardinali, iussu Pauli Tertij, quando illi formula Instituti à S. Ignatio per Cardinalem Co ntarenum oblata fuit ex Hist. soc. lib.2.n.82.) primò approbauit cũ restrictione numeri ad personas sexaginta dumtaxat anno 1540. 27. Semptembris, & in Bulla secnnda; qua concessit facultatem, quosuis idoneos ad scietatem admittendi, & Constitutiones condendi anno 1543. 14. Martij affirmat *Ignatium fuisse in Artibus magistrum* in *Vniuersitate Parisiensi graduatum* & *in Theologicis Studijs per plures annos exercitatum*. Nullibi autem legitur Parisijs Theologiæ operam dedisse, nisi in Cænobio Patrum Dominicanorum, qui scilicet ex instituto Doctrinam S. Thomæ profitebantur.

Pono 3. Hinc ortum habuisse id, quod Cardinalis Franciscus Maria à Monte in Relatione de vita, & Miraculis B. Ignatij habita coram Greg. 15. in Consistorio secreto ad declarandam, confirmandamq; eius fidei magnitudinem, & excellentiam protulit, *NOVAS OPINIONES HAVD VNQVAM ADMISIT, & in THEOLOGIA SCHOLASTICA DOCTRINAM DOCTORIS ANGELICI SEQVVTVS EST.*

Pono 4. S. Ignatium exhibuisse se quidem gratum erga omnes benefactores suos, sed præcipuè erga Dominicanos Patres, à quibus primò Manresæ, quo è monteserrato pœnitentiam ibi acturus venerat, exceptus hospicio fuit teste Ribadeinrin Vita Ignatij lib. 1.c.6. ac Parisijs humaniter, & perhonorifice tractatus fuit à Matthæo Ori ibi quæsitore ex lib.1. Hist. soc. n.70. & 98. & Maff. lib.1. c.20. & cuius exercitia spiritualia à Ioanne Aluaro de Toleto Cardinali Burgensi Ordinis Prædicatorum, atque Aegidio Fescarario sacri Palatij Magistro (quibus à Paulo Tertio petente Francisco Borgia tunc Gandiæ Duce postea Religioso, ac Generali societatis Iesu anno 1546. inspicienda fuerunt tradita ex lib. 6. Hist. n.75.) mirificè commendata fuerunt.

fuerunt, vt videre eſt initio eius libelli, qui primus editus fuit in ſocietate anno 1548. Etenim cum Martinus Olaus, qui Collegio Romano annos aliquot magna cum laude præfuit, excellenti vir ingenio, doctrinaq; theſes aliquot propoſuiſſet, in quibus erat Caput (verba ſunt Maff. in vita Ignatij lib. 3. c. 9.) de Immaculato, vt appellant Conceptu Beatæ Virginis, licet, ea de re Ignatius pro ſua egregia in Deum, & Virginem pietate minime dubitaret (adde, licet in Vniuerſitate Pariſienſi iuxta aliquorum ſententiam ſe illum ſemper propugnaturum iuraſſet) tamen ne Fratres Dominicanos, qui ad diſputationem inuitabantur, ægrè ferrent, ſeque nominatim procurari putarent (contrariam enim ſententiam auctore D. Thoma tuetur pleriq;) eam Theſim, quamqam ingemeſcente Olauio, induci, tolliq; omnino imperauit.

Pono 5. Ex S. Ignatij monitu complures ex ijs, qui in schola ſticorum approbaturum numero recenſebantur, ſtuduiſſe maximè in Hiſpania Artibus, ac Theologiæ ſub Magiſterio Patrum Dominicanorum; neq; enim aliam doctrinam filios ediſcere videbatur æquum ab illa quam primò didicerat eorum Parens.

Pono 6. S. Ignatium voluiſſe, vt ſocietas, Collegia, & aliquando etiam vniuerſitates, vel Studia Generalia amplecteretur; in quibus & ſcholaſtici, qui bonum ſui ſpecimen in Domibus (probationis ſcilicet) dum probarentur præbuerunt, nec tamen doctrna ad ſocietatis inſtitutum neceſſaria ſatis inſtructi acceſſerunt, in ea & in alijs rebus, quæ ad iuuandas animas conferunt, inſtruantur & externi ſcholaſtici cum litteris mores etiam Chriſtianos hauriãt, ac meliores reddantur in dies, moueanturq; ad obſequium, & amorem Dei, ac virtutum, quibus ei placere oportet. Sic habet ipſe p. 4. Conſtit. in Proem. c. 7. §. 2. & c. 16. §. 3. & 4. Quare Doctrinæ, quæ in ſocietate addiſcitur, hunc ſcopum eſſe voluit S. Ignatius, *ſuis, & proximorum animis Dei fanore aſpirante prodeſſe*, vt ipſe expreſsè ait eadem p. initio c. 5. & *ex qua menſura* ſubdit, *ſtatuendum, quibus facultatibus addiſcendis Socij incumbere, & quouſque in eis progredi debeant*.

Pono 7. Cũ litteræ quę in ſocietate & tradũtur, & diſcuntur, *iuuare debeant ad magis cognoſcendũ, magisq; ſeruiendũ* Deo *Creatori, ac Domino Noſtro* ex Proemio p. 4. hinc. S. Ignatiũ iuſſiſſe in Conſtit. tum vt in ſocietate euitetur *doctina ſuſpecta* p. 4. c. 14. §. 1 & quæ *differat à communi ſenſu Doctorum Eccleſiæ* p. 3. c. 1. O. tum *vt in Societate teneatur illa*, quæ eſt non *ſolum ſana* p. 1. c. 2. §. 6. & p. 3. c. 1. §. 18. *ſolida* p. 10. §. 3. *& exacta* ibid. verùm etiam *magis communis* p. 8. c. 1. K. *magis approbata* p. 4. c. 5. § vlt. *magis ſecura* ibidem & c. 14. §. 1. *magis ſolida* ibid. *Melior* p. 8. c. 1. K. *magis conueniens* ibidem ac præterea ſpeciatim iubeatur p. 3. c. 1. O. ne *nouæ opiniones admittantur*, & curetur, *vt in opinionibus etiam*, in *quibus Catholici Doctores variant* inter *ſe vel contrarij*

ſunt,

sunt, conformitas in Societate sit; Imò ibid. *§.* 18. vbi dixit, *Idem sapiamus, idem, quoad eius fieri possit, dicamus omnes iuxta Apostolum*, adeo que *Doctrinas differentes non admittendas*, nec *verbo in concionibus*, vel *lectionibus publicis, nec scriptis libris*, post pauca subdit; *Vnionem, & conformitatem mutuam diligentissimè curandam*, nec *quæ ei aduersantur permittenda*, quo *iuncti inuicem fraterna caritatis vinculo, meliùs & efficaciùs possint se diuino obsequio, & auxilio proximorum impendere*: & p. 8. c. 1. *§.* 8. ait, *multùm etiam conferre ad vnionem consensionem in doctrina*: Et K. ibidem subdit. *Cum ijs, qui adhuc litteris operam non dederint, curandum est, vt omnes (vt plurimum) eamdem doctrinam, quæ in Societate fuerit electa, vt melior, & conuenientior nostris, sequantur*. Qui *autem Studiorum cursum iam peregit, aduertat, ne opinionum diuersitas coniunctioni claritatis noceat*: & *quoad eius fieri poterit, doctrinæ in Societate communiori se accomodet*: & p. 10. S. 9. iterum repetit, ad vnionem membrorum huius societatis inter se & cum suo Capite, adeoque ad conseruationem boni illius status multum iuuare voluntatum vinculum, mutuumque amorem, *qui habetur ex eadem doctrina* &c. Ex quibus tàm sæpe repetitis à S. Ignatio verbis optimè colligetur, quinam sit modò mutuus amor inter socios.

Pono 8. Eundem S. vbi c. 14. p. 4. initio docuit generatim in Vniuersitatibus prælegendos libros illos, qui in quauis facultate solidioris, ac securioris doctrinæ habebuntur, nec attingendos illos, quorum doctrina, vel auctores suspecti sunt; subdere §. 2. *IN THEOLOGIA LEGETVR VETVS, ET NOVVM TESTAMENTVM, ET DOCTRINA SCHOLASTICA S. THOMAE, & in ea, quam positiuam vocant, eligentur ij auctores, qui ad scopum nostrum magis conuenire videbuntur*, Et §. 3. in *Logica, & Philosophia naturali, & morali, & Metaphisica doctrina Aristotelis sequenda est, & in alijs Artibus liberalibus, & in Commentarijs tam huiusmodi Auctorum, quam humaniorum Litterarum habito eorum delectu, nominentur ij, quos videre discipuli, quosque ipsi Præceptores præ alijs in doctrina, quam tradunt, sequi debeant. Rector autem in omnibus, quæ statuerit procedet iuxta id, quod in vniuersali Societate magis conuenire ad Dei gloriam iudicabitur.*

Pono. 9. Theologiam esse magis propriam societatis, quam reliquas scientias, vt habet idem S. Ignatius initio c. 12. p. 4. Sic dicens. *Cum Societatis*, atque *Studiorum scopus sit proximos ad cognitionem, & amorem Dei*, & *salutem suarum animarum iuuare, cumque ad eum finem medium magis proprium sit facultas Theologiæ*; in *hac potissimùm Societatis Vniuersitatis incumbent, ac diligenter* per *Idones admodum Præceptores, quæ ad scholasticam doctrinam*, & *Sacras Scripturas pertinent, ac etiam ex Positiua, quæ ad hunc finem nobis præfixum conueniunt (non attingendo tamen eam partem Canonum, quæ Foro contentioso inseruit) pertractabunt*.

Pono.

Pono. 10. Eumdem S. ibidem §. 3. hæc subdere. *Quoniam Artes, vel Scientiæ naturales ingenia disponunt ad Theologiam, & ad perfectam cognitionem, & vsum illius inseruiunt, & per se ipsas eumdem finem iuuant, qua diligētia par est, & per Eruditos Præceptores, in omnibus sincerè honorem, & gloriam Dei quærendo tractentur.* Et ibidem L. C. addere *Tractabitur Logica, Physica, Metaphysica, Moralis scientia, & etiam Mathematica, quatenus tamen ad finem nobis propositum conueniunt.* Hinc in Reg 1. Professor Philosophiæ iubetur ita tractare Philosophicas Quæstiones, vt adiutores suos, ac potissimū Socios ad Theologiam præparet, maximèque ad cognitionem excitet sui Creatoris. *In libro, quē inscrib. Ratio Studiorum c. 74.*

Pono. 11. Eumdem S. Fundatorem tanti etiam fecisse studium Theologiæ, vt etiam absoluto Theologiæ Studio per quadriennium aliquibus selectis à Superioribus concesserit duos integros annos ad eam priuatim repetendam, habendosque actus p. 4. c. 6. §. 14. 16. 17. & c. 15. § 3 de quibus fit mētio in Reg. Prouin Reg. 52. & in Rat. Studiorum Regul. Prouinc. 10 hosque docetur ibi debere esse in primis probatæ virtutis, & ingenio pollere: Et pro his haberetur Regul. quatuordecim in Rat. Studiorum. *In lib. Regu. c. 45. In lib. Rat. Studior ca. 8. & 153*

Pono. 12. Ab eodem S Fundatore imperatum p. 4. c. 14. §. 2. L. B. vt prælegeretur in Academijs, & Vniuersitatibus societatis Magister sententiarum: imò & permissum, quod si videretur temporis decursu alius auctor studentibus vtilior futurus, vt si aliqua summa, vel liber Theologiæ scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus accommodatior videretur, graui cum consilio, & rebus diligenter expensis per viros, qui in vniuersa societate aptissimi existimentur, cum que Præpositi Generalis approbatione prælegi posse. Dicitur autem in Hist. Soc. tom. 1. lib. 13. n. 17. idem s. Fundator commisisse id negocium P. Iacobo Laynez, qui fuit præpositus Generalis societatis immediatè post s. Ignatium: nunquam tamen legitur huiusmodi summa confecta fuisse ab eodem P. Laynez, & licet confecta illa fuisset, nunquam tamen fuit approbata a societate; sed semper sanc. Thomæ summa prælecta fuit, eiusque doctrinæ societas adhæsit.

Pono. 13. In 3. Congregatione Generali habita anno 1573. fuisse ab eadem Congregatione P. Generali, qui electus fuerat, Euerardo Mercuriano vni ex primis nouem socijs s. Fundatoris, commendatum magnoperè, *vt Præceptores Societatis, qui interpretantur Aristotelem, non nisi cum magno delectu interpretes eos legerent*, qui *contra Christiana dogmata scripsissent, & maximè ad ea impugnanda, quæ Christianæ veritati aduersarentur*; & ita *Philosophiam interpretarentur, vt vera Theologiæ Scholasticæ, quam Socijs commendant Constitutiones, ancillari, & subseruire faciant*: Ex quibus habetur, & S. Fundatoris, & eorum qui fuerunt proximiores temporibus illius viuentis, mentem fuisse, vt non aliæ in Philosophia prælegerentur opiniones, quam, quæ confor- *dec. 47. & 181*

conformes essent principijs Theologicis, vel saltem illis non aduersarentur, & cum in Theologia amplectenda esset iuxta Constitutiones doctrina S. Thomæ, illæ opiniones proponerentur in Philosophia, quæ conformes principijs eiusdem S. Thomæ Theologicis. Repositum est
c.45. illud Decretum in Reg. 53. prouinc.

dec.31.c.215 *Pono.* 14. In 4. Congregatione Generali habita anno 1581. P. Claudium Aquauiuam tunc electum deputasse duodecim Patres, ad conficiendam Formulam Studiorum: Cum autem durante Congregatione Generali non potuerit illa confici, deputati sunt postea sex Patres, qui hunc studiorum librum conficerent: Quod cum præstitissent, li-
Ex Proem. l. Rat. Stud. ber ille semel, atque iterum in prouincijs sedulò examinatus, & experientia probatus, impressus fuit; sed post extremam manum adhibitam iussu Quintæ Congregationis Generalis anno 1599. reuisus, ite-
dec.41.c.299 rumque impressus anno 1616. & rursus anno 1635. fuerunt autem aliqui Patres in 5. Congregatione deputati ad Rationem studiorum recognoscendam.

15. In Quinta Congregatione Generali habita anno 1594. P. Cum nonnulla dubia proposita fuissent circa ea, quæ docent Constitutio-
de.6.c.279.e dec.50.c.309 nes in Exam. c. 3. § 2 & p 3 c. 1. § 18. lit O. de Opinionibus; declaratum fuisse Tria velle Constitutiones. *Primum;* Vt socij non inducant nouas opiniones. *Secundum;* Vt si quando contra communem senserint, sequantur quod societas inducauerit. *Tertium;* vt in controuersijs, in quibus neutra opinio, est adeo communis, redigantur ad conformitatem, vt sic idem sapiamus, & idem dicamus omnes iuxta Apostolum.

Pono. 16. Cum in eadem Congregatione deputati pro ratione studiorum recognoscenda post accuratam discussionem, & multorum dierum collationem suam sententiam retulissent circa partem speculatiuam, & delectum opinionum; Congregationem iudicium illorum probasse. Et primo loco vnanimi omnium consensu illa statuit, *doctrinam S. Thomæ in Theologia Scholastica, tanquam solidiorem securiorem, magis approbatam, & consentaneam Constitutionibus sequendam esse à Professoribus:* Et postea iussisse, *vt exactè seruarentur Regulæ,*
d.41.c.299 *quædam ab ijsdem Deputatis confecta pro delectu Opinionum, tam in rebus Theologicis, quam Philosophicis;* & hæ sunt.

Regulæ pro delectu Opinionum pro Theologis.

1. Sequantur nostri Doctores in scholastica Theologia doctrinam S. Thomæ; neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoueantur,
c. 90. nisi qui S. Thomæ bene affecti fuerint. Qui verò eiusdem Auctoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, à docendi munere repellantur. De Conceptione autem B. Mariæ, ac de solemnitate votorum, sequantur sententiam, quæ magis hoc tempore communis, magisque recepta apud Theologos est.

2. In do-

2. In docendo corroborandæ primum fidei, alendæq; pietatis cura habeatur. Quare in ijs quæſtionibus, quas S. Thomas ex profeſſo non tractat, nemo quidquam doceat, quod cum Eccleſiæ ſenſu, receptisq; traditionibus, non bene conueniat: Quodque aliquando ſolidæ pietatis firmitatem minuat. Quò pertinet, vt nec receptas iam, quamuis congruentes tantùm rationes, quibus fidei res probari ſolent, noſtri refellant; nec temerè nouas excogitent, niſi ex conſtantibus, ſolidiſque fundamentis.

3. In ijs etiam, in quibus nullum Fidei, pietatiſq; periculum ſubeſt, nemo in rebus alicuius momenti nouas introducat quæſtiones; nec opinionem vllam, quæ idonei nullius Auctoris ſit, ijs, qui præſunt inconſultis; nec aliquid contra Theologorum Axiomata, communemve ſcholarum ſenſum doceat. Sequantur potiùs vniuerſi probatos maximè Doctores, & quæ, pro vt temporum ætas fuerit, recepta potiſſimùm fuerint in Catholicis Academijs.

4. Quæ opiniones cuiuſcumq; auctoris ſint, in aliqua prouincia, aut Academia Catholicos grauiter offendere ſcientur, eas ibi nemo doceat, aut defendat. Vbi enim, nec fidei doctrina, nec morum integritas in diſcrimen adducitur prudens Charitas exigit, vt noſtris ſe illis accomodent, cum quibus verſantur. c.30r.

5. Si quando vel ambigua fuerit S. Thomæ ſententia, vel in ijs quæſtionibus, quas S. Thomas ferè non attigit, Doctores Catholici inter ſe non conſenſerint; licebit noſtris quamcumque partem ſequi; dummodo in ijs ita defendatur vna pars, vt alterius etiam partis, ac multò magis prioris profeſſoris, ſi contrarium docuerat, exiſtimationi modeſtè, ac beneuolè conſulatur: quin etiamſi conciliari poſſunt auctores, id ne negligatur, optandum eſt.

Regulæ pro delectu opinionum pro Philoſophis.

1. Philoſophiæ profeſſores in rebus alicuius momenti ab Ariſtotele non recedant; niſi quid incidat à doctrina, quam Academiæ vbiq; probant, alienum: Multo magis ſi ortodoxæ fidei repugnet; aduerſus quam, ſi qua ſunt illius, aliuſve Philoſophi argumenta, ea ſtrenuè refellere ſtudeant, iuxta Lateranenſe Concilium.

2. Ariſtotelis interpretes de Chriſtiana Religione malè meritos, non ſine magno delectu, aut legant, aut in ſcholam proferant; caueantque, ne erga illos nimiùm afficiantur auditores. Eam ob rem nec Auerrois (idem de huiuſmodi alijs iudicium) Digreſſionis in ſeparatum aliquem tractatum conferant; & ſi quid boni ex ipſo proferendum ſit, ſine laude proferant, & ſi fieri poteſt, id eum aliunde ſumpſiſſe demonſtrent. c.3 e2.

3. Nulli sectæ, vt Auerroiſtarum, Alexandrinorum, & ſimilium, vel ſe, vel ſuos addicant, nec Auuerios, aut Alexandri, aut cæterorum errata diſſimulent; ſed inde acriùs eorum auctoritatem deprimant.

Contra verò de S.Thoma nunquam non loquantur honorificè; libentibus illum animis, quoties oporteat sequendo; aut reuerenter, & grauatè, si quando minus placet, deserendo.

4. Nullas nouas introducāt Quæstiones, nec opinionem, quæ idonei nullius auctoris sit ijs, qui præsunt, inconsultis; nec aliquid contra Philosophorum Axiomata, Communemque Scholarum sensum defendant. Intelligant quoque, si qui fuerint ad nouitates proni, aut ingenij nimis liberi, eos à docendi munere sine dubio remouendos.

5. In ijs Quæstionibus in quibus liberum est quamcumque partem
c.303. sequi ita defendatur vna pars, vt alterius etiam partis, ac multò magis prioris Professoris, si contrarium docuerat, existimationi modestè, ac beneuole consulatur. Quin etiam cum conciliari possunt, id ne negligatur, optandum est.

Cum autem ab hisce Patribus Deputatis confecta fuissent quædam fundamenta, seu Præludia, ad maiorem harum Regularum intelligentiam, eadem Congregatio voluit inseri illa diligentiùs ab ijsdem
de.48.c.303 & dec.56.c. 320.321.& 322. Deputatis recognita Actis Congregationis, ita tamen vt non euulgarentur in manus omnium, sicut Regulæ, sed tantum vsui esse possent Superioribus ad maiorem lucem habendam, Et ad cognoscendum sensum Congregationis, quem habuit in instituendis illis Regulis, & ad illarum praxim exercendam sic autem se habent.

Præfatio ad Regulas de delectu opinionem à Deputatis pro ratione studiorum confecta.

Patres deputati ex varijs Nationibus pro libro de Ratione studiorum recognoscenda, cum de delectu opinionum primo loco tractandum censuissent, actanquam fundamentum proposuissent, doctrinam societatis esse debere vniformem, securam, & solidam iuxta Con.p.3.c.1.§.18.& p.4.c.5.§.4. post accuratam discussionem, & collationem multorum dierum, statuerunt communi consensu, quæ sequuntur.

1. Nostri omnino S. Thomam, vt proprium Doctorem habeant, eumq; in scholastica Theologia sequi teneantur: tum quia Constitutiones eum nobis comendant p.4 c.14.§.1. & Summus Pontifex Clem.8.id se capere significauit: tum quia cum vnius scriptoris doctrinam in societate eligenda Constitutiones moneant p.8.c.1. Lit. K. nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior, aut securior; vt non immeritò S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.

2. Non sic tamen S. Thomæ adstricti esse debere intelligantur, vt nulla prorsus in re recedere liceat; cum illi ipsi, qui se Thomistas maximè profitentur aliquando ab eo recedant; nec arctius nostros S. Thomæ alligari par sit quam Thomistas ipsos.

3. In Questionibus merè Philosophicis, aut etiam in ijs, quæ ad Scripturas, & Canones pertinent; licebit sequi etiam alios, qui eas facultates

cultates magis ex profeſſo tractauerunt.

4. Cæterum ne fortè ex ijs, quæ dicta ſunt, ſumat aliquis occaſionem S. Thomæ doctrinam facilè deſerendi; præſcribendum videtur, vt nullus ad docendam Theologiam aſſumatur, qui non ſit verè S. Thomæ doctrinæ ſtudioſus: qui verò ab eo ſunt alieni, omnino remoueantur. Nam qui ex animo S. Thomæ fuerint addicti, certum erit eos ab eo non receſſuros, niſi grauatè admodum, & rariſſimè.

Ex Regulis autem ſuprapoſitis R. 1. pro Theologis repoſita eſt in Reg. 2. & 3. profeſſ. Theolog. & in Reg. prouinc. Reg. 9. §. 2. Reg. 2. in Reg. 5. profeſſ Theolog. Reg. 3. in Reg. 5. profeſſ. ſuper. facult. Reg. 4 in Reg. 6. eorumdem Profeſſ. Theolog. Reg. 5. in Reg. 5. eorumdem etiam profeſſorum. Regula autem 1. pro Philoſophis in Reg. 2. profeſs. Philoſoph. Reg. 2. in 3. & 4. eorumdem Profeſſorum Reg. 3. in Reg. 5. & 6. eorumdem Reg. 4. in Reg. 5. profeſs. ſuper. facult. & Reg. 5. in Reg. 5. eorumdem & Reg. 16. prouinc. ex Præludijs verò 2. & 3. in Reg. 2. & 3. profeſs. Theolog.

Pono. 17. In eadem 5. Congregatione cum fuiſſet propoſitum, vt *auctoritati Congregationis conficeretur aliquis curſus Philoſoph cus, quo Socij in ſocietate vterentur omnibus communis;* placuiſſe Congregationi, vt id P. Generalis iudicio relinqueretur. *de.70.c.331*

Pono. 18. In ſeptima Congregatione habita anno 1615. Cum propoſitum fuiſſet, *placeretne Congregationi, aliquibus Societatis Theologis; & Philoſophis committere, vt certas in vtraque ſcientia Summas conficerent, quæ maximè receptas Societatis opiniones e D. Thomæ, Patrumque noſtrorum ſcriptis deſumptas ſolida* & *paucis complecterentur,* ne *tanta Socij libertate, per* varia *Theologorum, ac Philoſophorum, placita vagarentur;* Cenſuiſſe, nihil hac in re pro ſententiarum ob varias, graueſque à multis in medium allatas cauſas ſtatuendum, nec videre nunc idoneum huic rei tempus eſſe. *de.83 c 464*

Pono. 19. in Reg. prouinc. 9. §. 2. ſic habere. *ILLVD autem in primis meminerit non eſſe ad Cathedras Theologicas promouendos, niſi, qui erga S. Thomam bene affecti fuerint;* qui *vero ab eo alieni ſunt vel etiam eius parum Studioſi à docendi munere repellantur.* Et in Reg. 16. hæc etiam haberi *Philoſophiæ Profeſſores (niſi grauiſſima neceſſitas aliud exigat) opportet non modò curſum Theologiæ* abſoluiſſe, *ſed eamdem biennio repet iſſe, vt eorum doctrina* tutior *eſſe poſſit, magiſq; Theologiæ deſeruiat.* Si qui *autem fuerint ad nouitates proni, aut ingenij nimis liberi,* hi à *docendi munere ſine dubio remouendi.* *c.8.*

Pono. 20. In Reg. 4. præfecti ſtudiorum haberi; *ſedulò curet obſeruandas à Profeſſoribus regulas, præcipuè,* quæ *ad doctrinā S. Thomæ Theologis, & de delectu opinionū Philoſophis præſcribūtur,* & in hoc præſertim inuigilet, cum Concluſiones defendēdæ, maximè verò cum imprimēderentur; & in Reg. 30. vt cuiq; Theologo ſummam S. Thomæ tribuat. *c.30 & 36*

Mm 2 *Pono.* 21.

Pono. 21. In Reg. 2. profess. Theol. haberi (præter dicta) hæc. *Se-*
•48.51.52. *quantur omnino nostri in Scholastica Theologia doctrinam S.Thomæ, eum-*
& 53. *que vt Doctorem proprium habeant, ponantque in eo omnem operam, vt auditores erga illum quam optimè afficiantur:* Et Reg. 9. §. 2. in *Controuersijs aduersus hæreticos pertractandis, quoties in S.Thomæ partibus occurrerit, seruandam esse potius Scholasticas, quam historicam rationem* &c. & Reg. 10. Si *quando S.Thomas eamdem difficultatem in plures distrahat articulos, præsertim diuersarum Quæstionum,* posse vel *in vnam disputationem,* vel *etiam, si res ipsa longiorem non exigat explicationem,* in compendium articulos illos redigi &c. & Reg. 11. hæc scribi. *Faciles percurrant articulos. Itaque prælecto titulo mox, vel indicent breuiter conclusionem S.Thomæ, vel dicant, S.Thomas respondet negando, vel affirmando. In difficilioribus verò progrediantur hoc fermè modo, atq; ordine. Explicetur Primum articuli titulus, si quid habet obscuritatis, tunc exponatur distinctio, si qua est, ex cuius membris conclusiones nascuntur: mox Conclusio primaria S.Thomæ, atque aliæ deinceps ponantur; singulisque conclusionibus, nisi perspicuæ sint, adijciatur aliqua eiusdem ratio: quæ etiam ita explicetur, vt intelligant auditores in distinctionibus, ac rationibus S. Thomæ maiorem inesse vim, quam prima fronte aliquando videatur:* & Reg. 12. *Explicato quolibet articulo, si res exigat, quæstionem instituat; non tamen longiorem vllum tractatum, nisi in ijs materijs, quæ vel in S.Thoma non habentur, vel habentur quidem, sed vtiliùs explicantur compendio:* & Reg. 13. Non *satis est Doctorum Sententias referre, & suam reticere; sed defendat opinionem S. Thomæ, vt dictum est, vel Quæstionem ipsam omittat.* Subijcitur autem ibi Catalogus aliquarum Quæstionum ex 1. p. ex 1. 2. ex 2. 2. & ex 3. p. quæ vel debent omitti à
•50. Theologiæ Professore, vel in opportuniorem locum reijci Reg. autem 7. proponuntur Quæstiones quas debent intra Quadriennium ex S. Thomæ partibus explanasse singuli ex duobus, vel tribus Theologiæ professoribus.

Pono. 22. In Institutione eorum, qui per biennium priuato studio
•154.•151 Theologiam repetunt n. 5. haberi, vt *studeant etiam proprio ingenio capita quædam, & principia Theologiæ, vnde præcipuarum quæstionum series pendeat, disponere, seruatis tamen, quam diligentissimè ijs, quæ de doctrina S. Thomæ sequenda à Societate constituta sunt:* & n. 10. addi: *liberum eis sit in actibus à Magistrorum suorum sententijs discedere, suasque, si libeat tueri, dummodo nulla ratione alienæ sint à S. Thomæ doctrina* ex 5. *Congregationis decreto* &c.

Pono. 23. Philosophiæ Professorem ex Reg. 9. 10. & 11. teneri mul-
•75.76.77. 78.& 79. tos textus Aristotelis explicare, aliquos breuiter, aliquos verò magis latè, ac diligenter, & Reg. 12. hæc haberi. *Summoperè conetur Aristotelicum textum bene interpretari,* in eoque *nihil minus operæ, quàm in quæstionibus collocet. Auditoribus etiam persuadeat mutilam valdè, ac*

manc am futuram Philosophiam eorum, quibus id studij in prætio non sit. Et Reg. 13. iubet, *accuratè perpendi textus aliquos admodum celebres*, & *iactari sæpe solitos in disputationibus*: & Reg. 14. *questiones*, quæ *oriuntur ex occasione alicuius Axiomatis, quod Aristoteles obiter inter disputandum vsurpat, si in alijs locis proprium locum non habent*, continuò post *textum ipsum, in quò se obtulerint, explicandos*: & Regul. 15. *quæstiones*, quæ *per se ad materiam*, de *qua disputat Aristoteles pertinent, non tractandas ante explicatos textus omnes*, ad *propositam rei summam pertinentes; siquidem vna, aut altera lectione possint expo ni &c.*

Pono. 24. Non solùm teneri vnumquemque Professorem superiorum facultatum ex Reg. 7. ad alienas materias non digredi, aut e suis alias fusiùs, quam res postulat alias alieno loco pertractare, verum etiam peculiariter præcipi Theologiæ Professoribus Reg. 9. §. 3. ne Philosophicas res ex instituto tractent, nec tam disputent, quam vel ab alijs, vel à se explicatas indicent. c. 39. c. 52.

Pono. 25. Reg. 54. Prouincialis ita habere. *CVM OPINIONVM NOVITAS*, vel *Diuersitas non modò finem ipsum, quem Societas propositum habet, impedire possit; sed etiam ipsum Societatis statum maximè labefactare; necesse est ingeniorum licentiam in opinionibus, vel introducendis, vel sectandis certa aliqua Lege coercere: Quare diligentissimè curent Prouinciales iuxta mentem Constitutionum ea exactè ab omnibus nostris, & præcipuè à Professoribus, obseruari, quæ in Ratione Studiorum præcipiuntur.* In lib. Regu. c. 45.

Pono. 26. Ex c. 18. Libri Ordin. Gener. de promouendis ad gradus Societatis p. 3. n. 3. debere illum, qui de sufficientia litterarum examinatur; Vt ad Professionem quatuor Votorum admittatur, tueri quatuor saltem assertiones ex quatuor partibus S. Thomæ, & tres ex cursu Philosophico, quarum vnaquæque tria membra, aut puncta saltem habeat. c. 18.

Pono. 27. P. Claudium Aquamuiuam anno 1611. die 18. Iunij litteras dedisse ad vniuersos Europæ Prouinciales, quibus iubebantur, vt coacto certo præcipuorum Theologorũ numero examinarent, quid præstandum foret, vt re ipsa executioni mandarentur illa, quæ circa tutam, solidam, & vniformem doctrinam Constitutiones præcipiunt. Cuius iussis cum obtemperassent Prouinciales, iudiciaque Theologorum ad Vrbem misissent, post fusas ad Deum preces, oblataque sacrificia, & consultationem accuratè habitam cum Patribus Assistentibus hasce litteras dedit; quæ hic inseruntur Italico sermone conscriptæ.

M. R. P.

Per le cagioni, che si scrissero nella nostra delli 18. di Giugno dell'1611. giudicammo necessario far alcuna diligenza per la sicurezza, & soli-

& ſolidità, & vniformità della Dottrina, che ſono le due coſe neceſſarie raccommandate dal N.B.P. nella 4. p. delle Conſtitutioni, e tanto importanti per la conſeruatione, della Compagnia à ſeruitio di Santa Chieſa. A' queſto effetto s'incaricò à tutti li Prouinciali di Europa, che ragunato vn numero de principali Theologi eſaminaſſero quel, che ſi potea fare; e ci mandaſſero il loro giudicio. Hora eſſendo venuti li pareri delle Prouincie, habbiamo con molta noſtra conſolatione veduto, che tutti conſpirano à vn medeſimo intento, e deſiderano l'iſteſſa coſa; e ſe bene in alcuni mezzi propoſti ſi propongono coſe varie, nelle quali tutti non conuengono; nondimeno in molti concorrono varie Prouincie, & in alcune anche tutte. Mà de rimedij propoſti alcuni ſarebbeno lõghiſſimi; altri impoſſibili à metterſi in prattica; altri con molto ſtrepito non ſarebbeno di gran giouamento; altri vn poco aſpri, & inſoliti nella Compagnia, come per eſſempio imporre à Lettori, e Reuiſori precetto d'vbbedienza, ò far loro fare giuramento di tener queſto, ò ſchiuar l'altro. Finalmente dopò hauer raccomandata à N. S. la Coſa con ſacrificij, & Orationi, & fattaſi diligente conſideratione, e conſulta con li P. Aſſiſtenti, habbiamo giudicato, che ſe ſi guarderà bene il Libro de studij ſarà ſufficientemente rimediato ad'ogni inconueniente, per quanto la coſa comporta; onde ſi incarica con ogni efficacia à Prouinciali, che guardino eſattamente le loro Regole de studij, che ſono ben copioſe, e chiare, & le Regole del ſuo officio al c. 6. coſi anche i Rettori guardino diligentemente le ſue; il medeſimo li Prefetti de studij, e tutti i Profeſſori delle Facoltà superiori, maſſime quelli di Teologia ſcholaſtica; che ſe ciò faranno con diligenza, le coſe anderãno, come ſi deſidera. E per quel che ſi ricerca di ſolidità di Dottrina, ſeguitando s. Tomaſo, com'ordina il Decreto della Congregatione Generale, ſaremo ſicuri; ne ci mancherà vniformità baſtante, ſe tutti ſeguitiamo il medeſimo Auttore; e queſti due fini preteſe la Congregatione in quel Decreto: Ne ci ſturba il dire, che non ſempre ſi sà, qual ſia la mente di s. Tomaſo; perche con effetto nel Decreto è prouiſto ad'ogni coſa; perche s'è chiaro, che vna dottrina è contra s. Tomaſo, non accade eſaminare, ſe quella è ſolida, già che non dobbiamo ſeguitarla: eſſendoui varij Tomiſti Dottori graui, & antichi, che lo dicchiarano diuerſamente, ſi poſſono ſeguitare con quelli Auttori quelle, che altri terrà più probabili ſenza colpa di diſcoſtarſi da s. Tomaſo. Mà quì biſogna auuertire, & molto ſeriamente, che quando l'huomo da ſe è affetionato ad'vna Dottrina, per farla parere di quel Santo, non vada mendicando alcune parole ſparſe per le opere di lui, e tirandole al ſuo ſenſo dica, che è di quel Dottore; mà auuertiſchino di pigliar la Dottrina, e ſenſo da que'luoghi, oue ex profeſſo hà trattato quella materia, e non doue ad altro propoſito, quaſi di paſſaggio, ne tocca qualche coſa.

Hora

Hora presupposto questo, nō si vede alcuna necessità di far Catalogo di opinioni probabili, ò nō probabili da tenersi ò nō da tenersi; perche seguitãdo vn'Auttore, la fatica è fatta; ne però si restringono li ingegni, mà si raffrenano, perche possino fõdare, illustrare, e promouere la Dottrina di quel Dottore; in che harãno assai campo senza scostar da lui; e se bene l'esẽpio nō è del tutto simile, mostra però assai quel che diciamo, la Verità, & ampiezza di tanti Santi Dottori, che hãno scritti infiniti tesori, senza scostarsi punto dalla scrittura, che hanno commentata. Hanno però dubitato alcuni, che possa nuocere all'vniformità la varietà de opinioni, che in diuersi Auttori de nostri si scorge, pensando forsi alcuno di esser libero à seguitar qual vogliono de nostri Scrittori, già che sono stampati, i loro libri con licenza, & approuatione de Superiori: Mà questo s'è dichiarato assai chiaramente da Noi, che non per questo si dà libertà à Maestri, e Scrittori, che vorrano discostarsi da S. Tomaso. Che se qualche opinione è passata ne' Libri stampati fino à questa hora probabilissima, e difesa anche da huomini dotti; questo difende bene quell'opinione da ogni errore, nouità, e temerità; mà non fà già, che sia lecito à Noi di seguitarla, s'è contraria à S. Tomaso: che delle dubie già s'è detto.

Sarà bene ogn'anno ne' principij de' Studij, che si legga à Maestri ragunati à questo fine la lettera Nostra scritta della solidità, & vniformità della Dottrina, e che li Superiori ne' seminarij, doue sono Lettioni di Filosofia, ò Teologia nello stesso tempo faccino vn'esortatione incaricando seriamente il Decreto della Dottrina di S. Tomaso, e l'osseruanza di tutti li ordini dati da Noi, ò stabiliti nel Libro de Ratione studiorum, affinche si guardino esatamente.

Li Prouinciali con ogni diligenza, e rigore guardino le Regole loro intorno à non applicar à leggere, se non quelli che sono affettionati alla Dottrina di S. Tomaso, & inimici delle nouità, tanto nella Teologia, quanto nella Filosofia: e quando pure vi fossero posti, e ne riuscissero tali, e cercassero pretesti di trauiare con qualche apparente probabilità, si leuino pur liberamente da questo officio, e si occupino in altri Ministerij della Compagnia. Quelli, che insegnassero opinioni contrarie à questo santo Dottore, ò nelle cose di Filosofia andassero introducendo nouità, ò di sua testa, ò con pretesto di qualche Auttore poco nominato, e seguito; si faccino retrattare quelle opinioni quanto prima, e non si aspetti, ò al fine del corso, ò dell'anno; perche oltreche le cose s'inuecchiano, ò si moltiplicano li scholari, che non ne veggono altra dimostratione per tutto l'anno, si confermano in quelle nouità. Ne si deue ammettere à Prefetti scusa di non hauerlo saputo; perche in questo mancano all'officio suo, & hanno obligo di saperlo, e molti modi di venirne in cognitione. P.° Andando secondo l'officio suo per le schuole à sentir varie Lettioni, 2. Col visitar

tal vol-

tal volta le Repetitioni; con esser presenti alle dispute e publiche, e priuate di Casa; con dimandar li scholari le materie che si leggono; e finalmente con riueder li loro scritti: Che se faranno queste diligenze, non potranno lasciar di saper i mancamenti: Et all'hora si mostri con penitenza, capelli, con farli ritrattare, e far loro alcune parlate molto serie in Camera, che si fà douero, e nô pro forma; e che in questa materia la Compagnia, & i Superiori premono grandemente, come *quella, che al fine della Nostra Religione, al bene della Chiesa, e seruitio Diuino importa più di quello, che si possa credere*; Onde li Prefetti deuono esser più tosto seueri, che rilasciati; e se in alcune opinioni fosse dubbio, ò li Maestri le volessero pure con troppo pertinacia difendere; all'hora il Prefetto, e Rettore per farlo con più auttorità, e soauità insieme la consultino, è facciano studiare da altri Nostri Dottori, e poi ordinino al Maestro, che si quieti, e si lasci gouernare, poiche Noi Leggiamo per far cosa grata alla Diuina Maestà, la qual non accetta quel che se l'offerisce contro la volontà dell'Obbedienza.

Si auuertisa, che vn Collega non morda, & impugni l'altro; mà se in alcune cose, le quali douranno esser poche seguitandosi vn medesimo Dottore, fossero di vario parere, si trattino con quella modestia, & honore scambieuole, che conuiene.

Quando il Prouinciale visita, faccia seria inquisitione sopra questa materia, & applichi il rimedio conueniente, & efficace, rimouendo come s'è detto, e sospendendo della lettione, chi non si accommodasse alla mente della Congregatione Generale, & nostra, anzi del N. B. P. che tanto hà incaricato questo punto della solidità, & vniformità della Dottrina: & auuertisca, con diligenza che nella Filosofia le opinioni vadino subordinate alla Teologia; e si tenga anco particolar conto di seguitar Aristotele, doue egli non deuia dalla Dottrina Diuina.

Nelle cose, che S. Tomaso non hà trattato, e che non si può sapere, qual sia la sua opinione, auuertiscano primieramente, qual opinione si caui da suoi principij e sia colerente col rimanente della sua Dottrina; perche ancorche non l'habbia trattata, s'è contraria à suoi principij, e non hà connessione con la dottrina di lui, non si deue insegnare: 2. Che quando anche questo non si potesse auuertire, non è però lecito inuentar di sua testa cosa nuoua senza che siano Auttori graui, e riceuuti, à quali si appoggi la tal Dottrina; perche non conuiene in modo alcuno nelle strade poco tritte seguitar il proprio senso principio di poter trauiare, e precipitarsi di mano in mano.

I Prefetti de studij si eleggano segnalatamente affettionati alla Dottrina di questo Santo Dottore; e per varij rispetti non conuiene, che siano insieme Lettori.

Se alcuno de Nostri dopò l'emendatione de Libri secondo la Censura de Re-

de Reuisori aggiongerà senza licenza, e senza che sia reuista, alcuna cosa, sia punito grauemente, perche questo è vn'ingannar la Compagnia in materia di tanta importanza.

Auuertischino anco diligentemente, che indebolisce molto la sodezza della Dottrina, e confonde più di quello, che si può credere, li ingegni, l'esser li Maestri molto Problematici nel difender ogni opinione, come probabile, ne li scholari sanno, doue fermar il piede: Però siano auuertiti li Maestri nell'eleggere le opinioni più solide, e quelle difendano.

E perche vno de' più importanti ponti di Dottrina, in cui vogliamo s'osserui l'vniformità da Nostri, è la materia della Gratia; per questo habbiamo fatto il Decreto, che V. R. vedrà annesso à questa lettera, quale ordiniamo che si notifichi à tutti i Maestri, e Teologi nostri, acciò si osserui esattamente. Conche finisco raccomandandomi à suoi Santi Sacrificij.

Roma 14. Decembre 1613.

Seruo in Christo
Claudio Aquauiua.

Ex qua Epistola colligere licet P.° Quinam fuerit denuo sensus præcipuorum in vnaquaque Prouincia Theologorum circa Doctrinam S. Thomæ 2. A nullo sociorum prudenter dubitari posse, an Doctrina S. Thomæ sit solida, & vniformis. 3. Dummodò sint Thomistæ graues, & antiqui, qui in vario sensu explicant s. Thomam, posse Professorem, & scriptorem sequi opinionem, quam putat probabiliorem; secus verò minimè. 4. Si in summa s. Thomas ex professo de aliqua materia non egit, posse illius mentem ex libris, quos conscripsit in Magistrum sententiarum, alijsque Opusculis, in quibus ex professo de multis agit, indagari, si tamen hæc non repugnent principijs, ex quibus conclusiones colligit in summa. 5. Sicuti ingenijs frænum haud est impositum, eo quod à pluribus ab hinc sæculis omnes Academiæ, scholæq;, Catholicæ vnicum in Philosophicis sequantur Aristotelem; multo minùs id euenturum, licet vnicus s. Thomas societati vniuersæ, tanquam Doctor proprius assignetur, à cuius certis placitis non liceat discedere. 6. Mirandum esse, quod post hanc Epistolam adhuc Societatis, & Professores, & scriptores Thomisticæ Doctrinæ parùm se propensos re ipsa ostenderint ostendantque; & præcipuè permittatur, vt principia opposita Doctrinæ S. Thomæ in Academijs societatis in Italia etiam sustineantur, vt quod detur v. g. distinctio scotistica inter attributa Dei &c. sed cum executioni mandata non fuerint præscripta à P. Claudio, haud meritò id mirandum. 7. Cum in paucis possint esse discordes Theologiæ Professores, si vnicum sequantur D. Thomam; quomodo in eadem Academia duo Theologiæ Professores toto Cœlo sunt inter se discordes? Reuera necesse est, vt

alterutrum non amplectatur D.Thomæ Doctrinam. 8. Non posse laudari eos Professores, qui vbi explicarunt, docueruntque s.Thomæ Doctrinam, etiam contrariam sententiam, siue sit scotistarum siue Nominalium, siue quorumcumque aliorum, vt probabilem, proponunt discipulis tuendam. 9. Cum s.Thomæ Theologia supponat Aristotelis philosophiam, qui ab hac alienus est, vel parum illi propensum, non posse non esse alienum à Theologia s.Thomæ, vel parum illi propensum. 10. Non posse docere opinionem vllam à Theologiæ Professoribus, quæ sit contraria illius principijs, vel non cohęreat Doctrinæ ab ipso traditæ, licet s.Thomas de tali Quæstione haud egerit, vel explorari nequeat, quæ nam fuerit illius mens.

Tomo. 28. Decretum de Gratia, de quo meminit in hac Epistola P. Claudius, esse huiusmodi.

Cum ad eam, quæ in Constitutionibus tantopere commendatur, animorum coniunctionem, ac vniformitatem, soliditatemque Doctrinę, vel ad bonam societatis apud externos existimationem plurimum referat in rebus, præsertim grauioribus, nostris, quantum fieri potest, occasiones præscindere nouas subinde opiniones excogitãdi; Re diù, multùmque cum Patribus Assistentibus considerata, ac Domino diligentissimo commendata, Visum est nobis seriò statuendum, grauiterque mandandum, quod præsentibus pro officij nostri auctoritate, & obligatione statuimus, & mandamus; vt in tradẽda Diuinę Gratiæ efficacia Nostri eam opinionem sequantur, siue in Libris, siue in Lectionibus, siue in publicis disputationibus, quæ à plerisque societatis Nostræ scriptoribus tradita, atque in Controuersia de Auxilijs Diuinæ Gratiæ coram sũmis Pontificibus piæ memoriæ Clem. & Santifs. D.N. Paulo 5. tãquã magis cõsentanea S.S. Augustini, & Thomæ grauissimorum Patrum iudicio explicata, & defensa est. Nostri in posterum omnino doceant, inter eam Gratiam, quæ effectum re ipsa habet, atque efficax dicitur, & eam quam, sufficientem nominat, non tantùm discrimen esse in actu secundo, quia vna ex vsu liberi arbitrij etiam cooperantem gratiam habentis effectum sortiatur, altera non item: sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium ex efficaci Dei proposito, atque intentione efficiendi certissimi in nobis boni, de industria ipse ea media selegit, atque eo modo & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, alijs vsurus, si hæc inefficaria præuidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficij plus aliquod in efficaci, quam in sufficiente Gratia, atque in Actu primo contineri: Atq; hac ratione efficere Deum, vt re ipsa faciamus, non tantùm, quia dat Gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum de Perseuerantia, quæ procul dubio demum Dei est. Romæ 14. Decembris 1613.

Ex quo Decreto habetur, si ostenderetur sententiam asserentem in Deo

Deo ſcientium conditionalium, vel excludentem phyſicum quid diſtinctum in Gratia efficaci, & ſufficiente, eſſe repugnantem S. Thomæ, qui ſuam Theologiam maxima ſaltem ex parte collegit ex ſanc. Auguſtini placitis, nō poſſe ſocietatis Theologos nec ſcientiam conditionalium tueri, nec ſolum morale quid diuerſum ponere in Gratia efficaci, & ſufficiente, ſi Decreta Congregationis 5. ſuasque Regulas ſeruare vellent. Verum quia id clarè adhuc non oſtenſum aſſerunt; ideo ſententiæ, quæ primò ante cæteros explicata eſt latè à P. Molina, adhærent.

Pono. 29. P. Mutium Vitelleſcum non ſolum anno 1619. die 7. Martij datis litteris ad Patres Congregationum Prouincialium conqueſtum eſſe, quod aliquis in ſocietate laxiores in materia Paupertatis Religioſæ ſententias publicet, ſic dicens. Sed *aliud item eſt, quod me pungit acerbiùs, & ob id Reuerentiarum veſtrarum Conſilium,* & *opem imploro & expoſco. Reperitur nempe, qui laxiores in hac materia* (pauptatis ſcilicet) *euocet opiniones, ac diuulget; atque vtinam illæ pariter non aduerſentur veritati:* Verum etiam anno 1617. die 4. Ianuarij litteris datis ad ſuperiores inter ſeptem, quæ impensè commendauit ſuperioribus, hoc reponit. *QVARTO NONVLLORVM EX SOCIETATE SENTENTIAE, in rebus præſertim ad Mores ſpectantibus, plus nimio liberæ, non modo periculum eſt, ne ipſam euertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei Vniuerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque Studio perficiant, vt qui docent, ſcribunt ve, minimè hac Regula, et Norma in delectu ſententiarum vtantur; Tueri quis poteſt, Probabilis eſt; Auctore non caret: Verùm ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ grauiorum, maiori ſque nominis Doctorum ſuffragijs ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queunt, non vaſtare, non perdere. Quoniam verò Conſtitutiones, Decreta, Regulas probè callent de S. Thoma ſequēdo, de non promouendis ad Cathedras, aut etiam remouendis, qui eiuſmodi Doctrinam parui facere, aut cordi non habere præſeferunt, præſertim ſi nouitatum amantes deprehendantur, qui nulla ratione ſunt ferendi, reliquum mihi præterea nihil eſt, niſi vt hæc ipſa ſeruentur, Vti MAXIMI REM MOMENTI QVAM ARDENTISSIMÈ POSSVM VRGERE.* c.445. c.432. c.433

Pono. 30. Fuiſſe ſenſum cōmunem Patrū in aliquibus Cōgregationibus Prouincialibus coactorū à quinquaginta fermè etiam ab hinc annis, vt non ſolū confeſſarijs præſcriberentur certæ opiniones ſequendæ in quibuſdam grauioribus materijs, verū etiam in huiuſmodi practicis opinionibus, in quibus periculoſiùs erratur, certè vniuerſaliter ſtatuerentur nonullæ opiniones, à quibus diſcedere non liceret: & cùm id propoſitum fuiſſet P. Claudio Acquauiuæ, reſpondiſſe, Primò; Vt mitteretur Catalogus opinionū, quas vellent definiri, & ſe cōſideraturum quid fieri debeat. ſecundò; Durum eſſe, vt difficilè certas opiniones

in vniuersum statuere: quod si in nonnullis Capitibus id operæ prætium videretur, posse P. prouincialem peritis aliquot in Prouincia demandare, vt suas de singulis sententias præscriberent, & has deinde ad se mittere; Vt dispiceret, an proponi omnibus deberent. Quid præstiterint Prouinciales, ignoro: illud non ignoro, hasce sententias in practicis Quæstionibus non fuisse hactenus nec Confessarijs, nec alijs propositus.

c38. *Pone.* 31. Non solum teneri vnumquemque professorem superiorum facultatum ex Reg. 6. sequi probatos maximè Doctores, & quæ, pro vt temporum vsus tulerit, recepta potissimùm fuerint in Catholicis Academijs; verùm etiam peculiariter teneri Professorem Casuum Conscientiæ amplecti doctrinam tutiorem, & probabiliorem, vt collig. ex reg. 5. & 9. eiusdem. Idem dicendum videtur de illo, qui iuxta

c.72.& 73. In lib. Regu. c.46. In lib. Epist. c.438.c 453 reg. 57. à Prouinciali in singulis Domibus, & Collegijs constituendus est, vt difficultatibus in Casibus Conscientiæ occurrentibus Domi, & foris satisfacere possit. Hoc sensit enimuero P. Vitellescus, vbi supra.

Pone. 32. In Cong. 5. vt habetur dec. 9. Quæsitum fuisse, *An quod habetur.* p. 3. c. 1. Const. §. 18. *De editione Librorum, extendendum esset*

c.280. *ad eorum etiam scriptionem; itaut sicut edi, sic nec scribi possint absq; Præpositi Generalis Facultate.* Et licet tunc non placuerit Congregationi, vt eiusmodi extensio fieret; possunt tamen occurrere circumstantiæ, propter quas eiusmodi extensio facienda sit, vt si experientia pateret, vbi aliquis conscripsit Librum, omnem adhibere operam, vt ille imprimeretur, licet cæteroqui impressione dignus non foret, & vt id impetret à Generali, externorum etiam ope vti &c.

His positis, circa Doctrinæ Reformationem in Societate hac statuenda esse inter cætera videri possent; siue horum reuocanda, vel exactiùs seruanda praxis.

P.° Conficiatur cursus Philosophicus omnibus communis iuxta id,

n.70.c.332 quod propositum fuit in Cong. 5. in quo iuxta Constitutiones, & Decreta Congregationum Aristotelis Doctrina (si non repugnet Fidei) proponatur omnibus amplectenda, nec liceat defendere contrariam tanquam probabilem, dummodo mens Aristotelis sit certa. Hæc autē certitudo haberi potest ex celebrioribus eius Interpretibus, & recepta interpretatione ab omnibus Academijs Catholicis: Dum vero ambigua fuerit illius mens, liceat lectori, & scriptori vtramlibet partem sequi, nisi sint præsupponenda quædam Aristotelis Principia ad Theologiam, quam ex S. Thoma debent postea tanquam ex proprio Doctore haurire Auditores Philosophi, dum Theologiæ vacabunt. Quare hic cursus Philosophicus maximè ex principijs S. Thomæ eruendus erit Philosophicis: Si enim per se licet in rebus Philosophicis ab hoc S. Doctore discedere, cum paucæ sint conclusiones in summa S. Thomæ, quæ innitantur duabus præmissis de Fide, vel vni de Fide, & alteri

alteri cognitæ lumine naturali, in paucis etiam adhærebunt huic S. Doctori: Si enim v.g. licet in materia de vniuersalibus admittere distinctionem ex natura rei siue Formalem, vt volunt Scotistæ; quot Conclusiones contrariæ sensui s.Thomæ eruentur fermè necessariò in Theologia? sic perfectè obseruabitur Reg. 1. Profess. Philosophiæ, in qua ille iubentur ita tractare Philosophica, aut auditores suos, ac potissimum socios, præparet ad Theologiam. Illud præstitit inter cæteros ex ipsa societate *P. Antonius Ruuius*. Mens autem s. Thomæ poterit haberi ex ijs, quæ collegit P. *Alemanius*, & ex communi sensu Thomistarum: Qui enim fuerunt vel contemporanei vel etiam æmuli doctrinæ s. Thomæ, vel fuerunt proximiores temporibus s. Thomæ viuentis, vel qui versati sunt cum eius Auditoribus, proximisque illius Doctrinæ sectatoribus, inter cæteros illius mentem optimè potuerunt callere: Et si s. Thomas deducit aliquam conclusionem in summa posito aliquo principio Philosophico, quæ posito alio non deduceretur, quis dubitare potest, an ita senserit s. Thomas in Philosophicis. c.74.

2. Quisque Lector Philosophiæ obseruet exactè id quod præcipitur in Reg. 12. 13. 14. & 15. & antiquiores Philosophiæ Doctores, licet doctissimi, fuerunt vsque ad postrema hæc tempora in societate; & si textus id patiatur Aristotelem interpretetur in fauorem Fidei Dogmatum; cum enim in summo prætio sit apud Academias Catholicas (nisi forsan excipiantur Academiæ societatis) Aristotelis Doctrina, eam non habere aduersam Fidelium mentibus valde expedit. Quod si textus contrarius Fidei dogmatibus non sit clarus, declaretur totis viribus illius textus imbecillitas ad decernendum, certò in Aristotelis philosophia dogma philosophicum contrarium dogmatè Fidei. c.78. & 79

3. Non detineantur Philosophiæ auditores tamdiù Metaphysicis quibusdam subtilitatibus, vel quibusdam Chymericis quibusdam conceptibus. In physicis maximè agatur de physicis, siue de ijs, quæ habentur experientia, & non totum fermè tempus insumatur inuestigandis essentijs rerum; & præcipuum studium collocetur, vt Auditores ea, quæ pertinent ad Libros de Cœlo, Meteororum, ac nominatim libri Quarti, ac de Anima optimè intelligant; atque in Metaphysicis agant de Deo, ac Intelligentijs iuxta id quod lumen naturale, ac philosophicum docet. His omnibus satis erit triennij tempus, si omittantur tam longi tractatus de Ente Rationis, de Vniuersalibus, de Natura Logicæ, de Vniuocatione, de Materia prima, de Quantitate &c. Si tàm diuturnum tempus haud insumatur in refellendis sententijs, & maximè in refellendo professore priore, qui idem sæpe sensit, sed ex alia ratione &c. Si haud fiat temporis iactura in exponendo latissimè in explicando sensu Particulæ v. g. *Ex* appositæ in definitione principiorum Physicorum &c. Si auditor quisque habeat apud se Toletum v. g. vel Ruuium, vel similem, & in multis ad auctorem illum reijciatur; quid

tur; quid

tur: quid enim opus est dictare illa, quæ in promptu sunt apud auctorem illum? *Et hoc quidem præcipitur in Reg.10. Sup. Facul.* Si talia iaciat fundamenta suarum conclusionum, vt ex ijs facilè possint solui obiecta, nec multiplicare hæc sit necesse scribendo, vt *in Reg.7. dicitur:* si paucæ rationes, vel etiam vna solidissima tamen afferatur, vt innuitur eadem Reg.

ca.19.&40.

c.39.

4. Philosophiæ Professor abstineat ab ijs quæstionibus, quæ solum innituntur Principijs Fidei supernaturalis: Corroboret quidem, si potest, rationibus etiam Philosophicis ea quæ habentur ex lumine Fidei. Ex. gr. Disputatur in Physicis, an *Mundus fuerit ab æterno, vel cœperit in Tempore:* Cum ex Fide habeamus cœpisse Mundum in tempore, sintque præter auctoritates etiam rationes id suadentes ex lumine naturali deductæ, Philosophiæ Professoris erit has corroborare, non verò infirmare, imo & alias ingenio suo excogitare. Cum verò non habeamus ex Fide, *quod Mundus non potuerit esse ab æterno;* habeatque Philosophus ex lumine Naturali: quod concedendum sit Causæ Primæ posse ipsam præstare, quidquid manifestè non implicat contradictionem, eiusdem Philosophi videtur esse munus stare pro possibilitate mundi ab æterno. Disputatur etiam in Physicis, An cognoscatur lumine Naturali Creatio, Immortalitas Animæ &c. Munus Philosophi erit rationes id suadentes corroborare, alias excogitare &c.

5. Theologiæ Professor non tractet res Philosophicas, nec tam disputet, quam vel ab alijs, vel à se explicatas indicet iuxta Reg.9. §.3. in Reg. Prof. Theol. Cur enim Theologus agens de omnipotentia, & cognitione Dei integrum tractatum de Infinito; agens de Intensione Caritatis tractatum de compositione continui; agens de præsentia Christi in Eucharistia tractatum de vbicatione, agens de Incarnatione tractatum de vnione inserit? Id enimuero e Theologi dignitate haud quoque est.

c.52.

6. Idem Theologiæ Professor curet corroborare sententias suas auctoritate Scripturæ, Conciliorum, Patrum, Pontificiorumq; Decretorum communiter receptorum: hi enim sunt præcipui, atque intrinseci Theologici loci & vt horum peritos reddat auditores, potissimum insudet; sibiq; ante mentis oculum semper propositum habeat, eas conclusiones, quæ ex vna præmissa tantum probabili deducuntur, non esse propriè, ac simpliciter Theologicas. Id quidem illa præstare poterit, si non detineat auditores in audiendis, scribendisve proprijs sensibus Professorum præcedentium, qui examinati non raro nihil fermè solidi continent, vel redargutionibus doctrinæ traditæ ab antecessore, siue ab alijs scriptoribus, vel impugnatoribus rationum, quas alij attulerunt ad probandum illud idem, quod sentit ipsemet quoque. Si hæc enimuero præstent Theologiæ Professores reuera Auditores suos reddent Theologos, & quadriennij tempore tractauissent omnes fermè illa-

me illustres, celeberrimasq; apud omnes Academias quæstiones, quorum vel ieiuni sunt auditores, vel leuissimam ad summum notitiam habent. Ad quid enim Theologiæ auditori conducit exactè cognoscere, An *Deus, & quomodo cognoscat entia Rationis, Priuationes, negationesque*, & ignorare illa, vel rudius scire, quæ ad mysterium Trinitatis attinent? Exactam habere notitiam diei, qua Christus Azima comedit, & nescire illa, quæ pertinent ad Eucharistiam, prout sacrificium? optimè scire, An vnio Hypostatica dicenda sit substantialis, An Accidentalis, in quo potest esse quæstio de mero nomine, sicuti quoq; An verbum esse vnitum Humanitati dicenda sit denominatio Intrinseca, vel extrinseca, & nihil ferme scire de Adoratione, quæ debetur Humanitati Christi?

7. Cum in varios sensus, qui videntur alieni à mente Angelicis Doctoris, pertrahant eius verba societatis scriptores, ac Professores non rarò; statuendæ videntur conclusiones, in quibus conuenire debeant, ita vt non liceat contrariam tueri. Quis autem credat, societatis homines tantùm S. Thomæ sensum assecutos, & non celeberrimos antiquiores Thomistas?

8. Quandoquidem tenentur Theologiæ Professores ponere in eo omnem operam, vt auditores erga S. Thomam quam optimè afficiantur *c.48.* ex Reg. 2. videtur decernendum, vt singuli Professores in singulos dies aliquem articulum ex S. Thomæ summa explicarent. Hoc quidem redundaret etiam in maximam Auditorum vtilitatem; & præterea aliqua ratione viderentur satisfacere Reg. 10. 11. & 12. quas habent *ca.52.&53.* circa explicationem articulorum S. Thomæ.

9. Maiorem quoque operam ponat Theologię Professor in stabiliendis fidei Dogmatibus maximè aduersus Hæreticos, quam in confirmandis sententijs, quæ inter Catholicos controuersæ sunt; has enim agitari conceditur, non solùm vt veritas aliquando elucescere possit, verum etiam vt ex hoc mutuo certamine Theologi alacriores reddantur ad tuendam fidem Catholicam contra Hæreticos: Magisque studeat solidos, quam ingeniosis quibusdam rationibus Fidem, pietatemq; adere, ita vt possint auditores ethnicis etiam, & illis, qui vel non intelligunt, vel satis non intelligunt fidei Principia, conclusionesque & illis certò deductas, hæc facilè suadere, ac respondere obiectis. Hinc etiam illud commodi reportarentur; quod tanquam apertè mendaces redargui possent illi, qui scholasticam Theologiam reprehendant, quasi illa tantùm doceat cauillos amet contentiones, proprij sensus tenacitatem, clamores in circulis, minuat caritatem inter Catholicos &c. Hoc enimuerò haud vitium illius scientiæ est, qua nulla Ecclesiæ vtilior, sed plurimorum ea abutentium.

10. Casuum Conscientiæ, siue Theologiæ moralis Professionibus certæ statuantur sententiæ, vel certus designandus Auctor, vt ex antiquioribus

quioribus Siluester, (demptis illis, quæ communi iam planè Doctorum sensu, vel aliquo Concilij, siue Pontificis decreto improbabilia reddita fuissent) sicuti in Theologia scholastica designatur S. Thomas: cum maiora Ecclesiæ damna afferre possint opiniones in Theologia morali, quam scholastica secundum id quod de facto hæc docetur in scholis. Illis verò practicis conclusionibus, quæ habentur ex S. Thoma, decernendum esset vt Professor adhereret, nisi illa obstarent, de quibus mox dictum est.

11. Amoueantur omnino à legendo illi, qui non sequuntur probatos
c.38. maximè Doctores contra Reg. 6. Profes. super. facult. Et qui non accedunt ad sententias, quæ tutiores, quæ grauiorum, maiorisq; nominis Doctorũ suffragijs sunt frequentatæ, quę bonis moribus conducũt, quæ deniq; pietatem alere, & prodesse queunt, non vastare, non perdere, vt iubet P. Mutius in litt. ad superiores, de quibus etiam supra.
c.432.

12. Quoniam ex vna parte Professores, & scriptores societatis in afferenda probabilitate opinionum sunt faciles, & ex alia putant communiter, licere sequi probabilem solùm opinionem relicta probabiliori; statuendum videtur, vt nemo Lector publicè legat aliquam opinionem esse probabilē, cuius probabilitas tantùm habeatur ex assertione, vel scriptione alicuius recentioris, nisi illa tanquam probabilis approbetur à quatuor saltem Theologis pijs, doctis, ac prudentibus à Generali ad hoc deputatis; penes quos sit etiam iudicium, an illa sit probabilis practicè, & an illis probabilitatem afferere sit expediens &c.

13. Hi Theologiæ moralis Professores sint viri qui vel Theologiam scholasticam ante docuerint, vel saltem sint apti ad eam cum laude docendam: polleant potiùs iudicio, quam ingenio: non sint proprij
c.302. sensus tenaces, multòq; minus nouitatis amantes. Et si ex dec. 41.
In Rat. Stu. c.10. Cong. 5. reposito in Reg. 16. Prouinc. in Rat. stud. Philosophiæ Professores ad nouitates proni, aut ingenij nimis liberi à docēdi munere sine dubio remouendi sunt; multò magis id præstandum circa moralis Theologiæ Professores, cum maius inde periculum immineat.

c.099. 14. Sicuti ex eiusdem dec. n. 1. in Reg. pro delectu opin. pro Theol. re-
In Rat. Stu. c.8. posito in Reg. 9. prouinc. §. 2. ad Cathedras Theologicas non sunt promouendi, nisi qui erga S. Thomam bene affecti fuerint; qui verò ab eo alieni sunt, vel illius parum studiosi à docendi munere sunt repellendi: ita si quis antequam promoueretur ad Theologicam Cathedram studiosum se ostendisset doctrinæ Angelici Doctoris, post promotionem verò haud tale studium præseferret, amouendus sine dubio à Theologica Cathedra; sicuti etiam, qui ingenij acumine pollentes (quorum tamen non pauci recta iudicandi facultate destituti sunt) volunt videri Auctores, habentq; plausus eorum opiniones, vel rationes quas proponunt, apud imperitos, futilisq; nouitatis amantes iuue-

tes iuue-

tes iuuenes, adulterantq; enimuerò Theologiam (vt de concionatoribus nonnullo loquens P. Claudius in lit. de Fel. Progr. soc. eos dixit c.119.
adulterare verbum Dei) remouendi absq; dubio. Submouendi etiam, qui vbi euecti sunt ad Cathedras Theologicas, maximis laudibus S. Thomæ doctrinam efferunt, vt externis, qui tunc accedunt ad Gymnasia eos præsantes audituri suadeant, Societatem S. Thomæ doctrinam amplecti, & se peculiariter in illam propensos: sed paulò post ostendunt se ab ea alienos; si quid erratum fuerit ab Angelico Doctore, si aliquid minùs consonum decretis postea editis, vel à Concilijs, aut à Pontificibus, prolatum ab eo fuerit, libentibus animis, & cum plausu indicant etiam Auditoribus &c.

15. Promoueantur ad Theologicas cathedras solùm illi, qui solidiori, cõmuniori, ac securiori doctrinæ Philosophiam docendo adhæserint.

16. Puniatur seuerè Præfectus studiorum superiorum, qui non obseruat Reg. 17. ex suis, Audiendi *nimirum semel in mense singulos præceptores, & interdum commentarios legendi à discipulis exceptos*; vt In Rat. Stu. c.33.
possit certò cognoscere, An præceptores suas seruent Regulas, & maximè Decreta quintæ Congregationis circa delectum opinionum: & amoueatur, si negligens in hoc fuerit; & Rector quoque à gubernatione remoueatur, si nõ puniret Præfectum, quem in hoc negligentem deprehenderet.

17. Iubeantur omnes superiorum facultatum Professores retractare opiniones, quas docuerint contrarias placitis S. Thomæ, aut sententias nouas, aut ab aliquo parum idoneo Auctore allatas, statim ac esse rauisse in hoc fuerit deprehensum: hoc enim est consonum menti P. Claudij explicatæ litteris, de quibus supra, anno 1613. die 14. Decembris datis. Si autem dixerint Professores, *se non posse contrariam tueri opinionem*; eorum loco substituantur alij, qui ingenij acumen ostendat in Doctoris Angelici placita tuendo, in refellendis obiectis, quæ contra Communiorem, solidiorem, ac securiorem doctrinam excogitata sunt, & excogitãtur &c. Si pro re nata hęc executioni mandarentur à Prouincialibus, & multò magis si Generalis Prouinciales in re tanti momenti desides ab officio amoueret, publicaretque propter hanc numero causam illos amouere, haud tanta foret libertas in opinionibus Doctorũ societatis, maior vniformitas appareret &c.

17. Acris decernatur pœna in eos, qui inconsulto saltem Generali, erunt Arbitri, & quasi Iudices, an *hoc sit licitum nec ne an possit fieri sine peccato, nec ne* &c. in controuersijs, quæ vertunt inter partes vnius Ciuitatis, vel Regni, & multo magis inter partes eiusdem Christianę Reipublicę, ac pręcipuè inter Principes Ecclesiasticos, ac sæculares. Nec Generalis consensum ad id præstet, nisi ad hasce consultationes, in quibus de huiusmodi Controuersijs agitur, vocentur etiam alij, & maximè Regulares, quibus primus in dicendo locus conceda-

tur omninò iuxta ordinum antiquitatem. Quod si petatur aliquod consilium pertinens ad tales controuersias, & non possit deferri vsque ad Generalis responsum; à nullo etiam Confessario, casuumq; lectore præbeatur inconsulto superiore; qui teneatur quoque adhibere in concilium grauiores tum pietate & doctrina, tum prudentia Patres, & decernatur ad plura suffragia, *An præbendum sit Consilium, & quale*. Quicumq; autem e socij petenti tale consilium, licet pœnitens fuerit, teneatur dicere, sibi non licere illud exhibere inconsulto superiore, qui quoq; obligatur ad adhibendas in consilium alios, vt videatur, an præstandum illud sit, &c. Si hæc fierent, prudentiora consilia, & salubriora ipsi societati etiam consilia præberentur; vel certè plures abstinerent à talibus petendis Consilijs; Quod quoque esset societati ipsi commodum.

18. Cum grauiter offendantur non pauci, qui tantum opinionum diuersitatem in socij experiuntur, cum in eodem Templo etiam ab vno Confessario reiecti absoluantur ab altero, qui potest esse quoque imperitior; statuendæ videntur quædam opiniones pertinentes v. g. ad materiam de Restitutione, vsura, cambijs, similibusq; contractibus, in quibus omnes conuenire debeant. Et Reg. quidem 12. Sacerd. sic habet. *Confessarij inter se ipsos, & in modo procedendi cum pœnitentibus, conformes esse curent*.

In lib. Reg. c. 193.

19. Cum ex n. 3. c. 18. Ordin. Gener. qui de sufficientia litterarum examinantur, vt ad Professionem quatuor votorum admittatur, quatuor Assertiones ex quatuor partibus S. Thomæ debeat, quarum vnaquæq; tria membra, aut puncta saltem habeat; statuendum videtur, vt illi non liceat tueri opinionem vllam, quæ sit contraria menti Angelici Doctoris.

20. *Circa librorum, qui à Socijs imprimuntur, Doctrinam hæc videntur statuenda*.

P.° Exactissimè seruentur illa, quæ circa opiniones opinionumq; delectum habentur in Constitutionibus, Decretis, ordinationibus, Regulis, ac Instructionibus: & preter amotionem ab officio alia grauiori pœna afficiantur afficiantur librorum recognitores, qui approbarint libros, in quibus scriptor aliqua ratione circa illa errauit.

2. Librorum recognitores sint viri omni exceptione maiores in pietate, doctrina, ac prudentia (neq; enim satis est vnum, vel alterum ex his) & qui dum superiores facultates professi sunt, Regulas suas exactè seruauerint, & maximè spectantes ad opinionum delectum; fuerint, sintque propensi in doctrinam S. Thomæ; & non sint infensi Aristotelis Philosophiæ &c.

3. Quædam quæstiones inter Catholicos controuersæ penitus non agitentur; solent enim aliquæ potius incommoda, quam commoda Ecclesiæ importare ipsi, etiamsi in fauorem etiam Ecclesiasticorum

scriberen-

scriberentur; aliæ verò minuunt caritatem, quæ inter Religiosos vigere debet præcipuè.

4. Non imprimātur tot libri, qui idem ferme docent ac alij iam editi. Illi tantùm euulgentur, in quibus reponuntur non pauca peculiari cura examinata, & quæ in alijs libris iam editis non reperiuntur. Vt aliqua fulciatur doctrina minùs sana, fieri posset, vt permitteretur compluribus, etiam leuis litteraturæ hominibus, plures edere libros; cum enim sic auctoritates multiplicentur; videtur magis durum, ac difficile postea talem damnare opinionem, vel minùs probabilem asserere &c.

5. Nulla ratione permittendum, vt scriptori iam mortuo appinguatur Doctrina, quæ illius reuera non est, vel etiam contraria ipsius placitis. Minor quidem fides modò habetur nonnullis libris posthumis in societate editis, vbi deprehensum est aliquem illorum haud sincera fide æditum.

6. Non exponantur tantùm libris, qui imprimuntur, placita Theologorum, vel Philosoporum, qui e societate scripserunt, vel hæc tantùm ibi exactè discutiantur, quasi modò soli soc. Iesu Doctores primas partes obtineant in Philosophia, vel Theologia; id quidem non potest non inuidiam excitare in socios; ac præterea nequit multùm commēdari liber, qui vnius Auctoris, licet celeberrimi, vel plurimum etiam illustrium e societate tantummodo doctrinam vel tuetur, vel impugnet, omissa discussione, vel propositione fundamentorum præcipuorum, quæ habent præcipuæ siue Philosophorum, siue Theologorum scholæ.

7. Cauendum diligenter, ne Libri titulus præferat Commentarios, siue Disputationes in Aristotelis Philosophiam, vel summam S. Thomæ; ac postea ex professo eorum principia impugnentur, vel eneruentur rationes &c.

8. Omni studio enitendum, ne ex doctrina, quæ publicatur aliquando in societatis, illiusque Instituti fauorem, aliæ Religiones meritò offendantur, certè odium excitaretur maximum in scriptorem, qui assereret societatem esse omnium Religionum sanctissimam, ac perfectissimam.

9. Interdicendi omninò libri, licet iam editi ad tuendā Societatem à nonnullorum calumnijs, ac dicterijs, si in ipsis verbis haud conspiciatur moderamen inculpatæ tutelæ; practicè enim hi docere possunt, licitum esse vindicare Iniurias; nec horum librorum approbator decipi se sinat à prętextu maioris boni &c.

10 Cum iuxta Reg. 6. super facult. collectam ex dec. 41. Cong. 5. *Quæ opiniones cuiuscumque auctoris sint, in aliqua Prouincia, aut Academia catholicos grauiter offendere scientur, eas ibi nemo doceat, aut defendat; vbi enim nec fidei doctrina nec morum integritas in discrimen* *In Rat. Stu. c. 38. In lib. Decr. c. 302.*

adducitur prudens caritas exigit, vt nostri se illis accomodent, cum quibus versantur: Multò magis id præstetur in Doctrina, quę libris euulgatur: ad quid enim publicandæ sunt opiniones, quæ grauiter aliquando offendunt Principes Ecclesiasticos; aliquando Principes sæculares; aliquando Clerum; aliquando Populum; aliquando superiores, aliquando subditos &c. cum certo incommodo, incertaque vtilitate, & pluremq; saltem cum maioribus incommodis, quam commodis?

Caput Quintum.

De Reformatione circa Multitudinem Collegiorum &c.

P.° Pono. POst S. Ignatij mortem repertam fuisse extra librũ Constitutionũ Constitutionem huiusmodi, quæ legitur in lib. Decret. Congreg. 1. dec. 73. *Cum experientia, nos docuerit, quod in nostris Collegijs, vbi necessarij sunt duo, vel tres Sacerdotes, qui vacent ministerio Sacramentorum, ac verbi Diuini; & quatuor, vel quinque praeceptores, qui Iuuentutem in litteris, & bonis moribus instituant; necesse est alios ibidem versari, qui eosdem iuuare possunt, vicemq; eorumdem supplere, si in morbum inciderent, ne lectionum series interrumpatur; atque etiam, vt Societas aliquid percipiat emolumẽti in alendis aliquot Scholasticis, qui litteras discant, quandoquidem tam multi occupati sunt in obsequio, & auxilio communis boni; statuimus, ne per decem annos proximè futuros, incipiendo à 1553. admittatur Collegium vllum, vbi non possint Duodecim saltem de Societate sustentari, cũ duobus alijs, qui rebus corporalibus inseruiant. Quia etiam videmus, quàm sit incõmodum, quantumq; impediatur Diuinum obsequium, cum Domus, et Ecclesia exercitijs nostro Instituto consentaneis non habetur: cumque nostri necesse habent occupationes spirituales relinquere, vt vacet victui, et rebus temporalibus ad studium necessarijs quærendis: similiter statuimus, ne vllum mittatur Collegium ad locum aliquem, vbi Domus conueniens ad nostrorum habitationem, & ad Scholas tenendas, & Ecclesia ad spiritualia exercitia in proximorum auxilium tractanda non assignetur, siue proprietatem eius, siue vsum liberum relinquant. Non item mittatur, si salutem ad vnum annum, quæ necessaria sunt ad quatuordecim personarum sustentationem non dabuntur. Elapso enim anno, si communitati Collegium vtile non inuenietur, poterit nos certiores facere, & inde nostri aliò commigrare poterunt. Si contra, prouidebit illa etiam de rebus necessarijs in alterum annum, vel etiam plures, aut de perpetuitate, vel fundatione Collegij aget, prout melius ad Dei gloriam; & communis boni vtilitatem indicabi-*

ca 55. & 56

iudicabitur. Hactenus Constitutio; quæ placuit Congregationi, vt extra corpus Constitutionum, velut edictum ad tempus, haberetur.

2. *Tono*. In 2. Cong. propositum fuisse (vt habetur dec. 8.) An multiplicitas Collegiorum per aliquod tempus moderanda esset, & An quędam non satis benè constituta essent dissoluenda, nisi post certum tempus benè fundarentur iuxta Constitutiones; & an manentibus Collegijs scholæ saltem essent auferendę. Et cum res per triduum disputata esset, Patribus diligenter suas sententias dicentibus die 12. Iulij anno 1565. Sic rem constitutam fuisse. *In primis placuit, in posterum moderationem adhibere; & plurimis, maximique momenti rationibus in medium adductis, rogauerunt R. P. Generalem Præpositum, & seriò commendauerunt, vt potiùs applicaret animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia iam admissa, quam ad noua admittenda:* & *si quæ admittenda existimaret ex ijs, quæ offerrentur, eiusmodi essent, & eis in locis, & cum talibus circumstantijs, vt ad commune bonum Ecclesiæ Dei magnum momentum habitura videantur; & quoad eius fieri possit, ita dotata, vel eam rerum vitæ necessariarum commoditatem habentia, vt non tantùm operarij sustentari possint, sed & is etiam numerus Scholasticorum, qui pro Seminario sit eidem Collegio futurus, vt ex eo operarij prodire possint ad id conseruandum: nec admittatur, licet hæc omnia suppeterét, si non haberet Societas Rectores ac Magistros, ac demum operarios in vita, & doctrina idoneos, vt huic muneri posse satisfacere, auditis Assistentium sententijs iudicaret,* & *quidem sine aliorum Collegiorum detrimento.* Eadem autem Cong. dec. 71. censuit etiam, *Si quæ Collegia sint hactenus absque sufficienti dotatione fundata, in quibus nostri nec legant, nec Scholasticos alant; poterunt tamen illa hac ratione retineri, si ex fructibus videlicet eorum per publicam personam conseruatis, detur opera, vt plenè fundentur, quemadmodum de Collegio maioricensi potest dici. Nostri tamen interim bonis illis non vtantur, sed ex eleemosinis viuant, ac simul dent operam, vt prædicta Collegia sufficienter etiam aliunde dotentur.* c. 113. & 115.; c. 144. & 145.

3. *Tono*. R. P. Iacobum Laynez socium S. Ignatij, eiusq; successorem in Generalatu confecisse formulam acceptandorum Collegiorum, de qua fit mētio Can. 6. Cong. 2. & quæ reposita est in fine Decr. eiusdem Cong. 2. post Vicarij officium. In hac autem apertè haberi huius pijssimi, ac doctissimi Generalis sensum fuisse, vt *Minimum Collegium ex viginti Socij constaret*; ex quibus tres essent prçceptores litterarum Humaniorum, quartus, qui illis substitui posset; tres Sacerdotes, e quibus vnus esset Rector, reliqui duo vtilitati seruiant animarum; totidem item scholastici, vt hoc opus perpetuum esse queat, vt ibidem dicitur, succedentibus his in Sacerdotum, ac Præceptorum locum, vbi aut morte, aut ægritudine, aut alijs de causis non possent officio suo fungi; ac prætærea Minister cum quisque Coadiutoribus, videlicet

In li. Canon. Cong. Gener. c. 18. In libr. Decr. ca. 157. 158. &c.

videlicet Ianitore, sacrifta, Coquo, Emptore, & quodam alio, qui eos in omnibus adiuuet: *Medium verò conflaret ex triginta Socijs*, Quinque fcilicet Præceptoribus ad Humanas litteras Latinas, Grecas, & Rhetoricam profitendum, duo fubftituti, quatuor, quinqueve Sacerdotes, e quibus vnus lectionem cafuum Confcientiæ pro Sacerdotibus illius regionis profiteri poffet, totidemque Scholafticis refpondenti numero magiftrorum, ac Sacerdotum, minifter etiam vnus cum fex Coadiutoribus: Adderentur autem his alij viginti partim Præceptores, partim Difcipuli, fi hoc Collegium Artium liberalium curfum fufciperet. Supremum verò, in quo fcilicet præterea lectio haberetur Theologię Scholafticæ, & sacrę scripturę, conflaret faltem feptuaginta socijs: nam expediret, vt plures adhuc in hac vniuerfitate, fiue Generali ftudio alerentur.

4. *Pono*. Cum in Cong. 3. anno 1573. propofitum fuiffet, An Domus Profefforum in magnis Ciuitatibus, quæ societatem defiderant, erigi deberent; & an curandum, vt plures Domos, & pauciora Col-
de.17.c.176 & 177. legia haberent socij: Congregatio totum hoc negotium R. P. Generali commifit, eiq; commendandum cenfuit, vt erigendis huiufmodi Domibus applicaret animum; ipfius tamen prudentiæ tempus, & locum, & modum reliquit, quo id effici deberet, *eiq; interim ferio commendauit, vt iuxta Dec. 11.* (eft 9. in lib. Decr.) *Cong. 2. poft electionem potiùs applicaret animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia iam admiffa, quam ad noua admittenda*. Et cum in eadem Cong propofitum fuiffet iterum, An Decreto aliquo multiplicitas Collegiorum deinceps interdicenda foret, faltem ad aliquod certum tempus, *quandoquidem ex multitudine Collegiorum magna incommoda oriri experientia docuerat*, vt habetur dec. 20 Re diligenter difputata, ftatuit Congregatio, nihil noui iam effe decernendum, fed
c.175. ferio *Rogandum effe R. P. Generalem* (hic erat P. Euerardus Mercurianus vnus e socijs nouem S. Ignatij, ac B. Francifci Borgiæ, fucceffor in Generalatu) *& illi ftudiosè commendandum (quemadmodum etiam rogauit*, & *commendauit)* vt *dec. 11. Cong. 2. poft electionem deinceps feruari curaret*.

4. *Pono*. Cum in Cong. 5. formula acceptandorum Collegiorum à P. Claudio Acquauiua facta tradita fuiffet Deputatis pro detrimentis
c.289. societatis cognofcendis, vt eam reuiderent, & ad Congregationem
c.330. referrent, vt habetur dec. 25. eam propofitam, & diligenter examinatam tandem à Congregatione dec. 79. probatam, nempe, *vt deinceps nullum Collegium admitteretur, in quo litteræ humaniores docerentur, nifi ea fundatione dotatum effet, vt faltem triginta è socijs in eo ali poffent. Quod fi præterea tres Philofophiæ curfus addi fundatores vellent; eiufmodi effet, vt ex proprijs redditibus faltem fexaginta è Socijs fuftentari poffent. Vbi verò Societas alicuius vniuerfitatis, aut Generalis*

ftudij

Studij curam susciperet, ac supradictis Scholasticam Theologiam, & Sacram Scripturam adiungeret; ita commodè prospectum esse deberet, vt minimùm centum è Socijs nutrire valeret: Cum autem excipisset in hoc Indicas, ac Transalpinas Regiones; *nihilominùs circa multiplicitatem Collegiorum Congregatio commendauit P. Præposito, quod Decretis Secundæ, & Tertiæ Congregationis continebatur,* Formula hæc confecta à P. Claudio, & ab eodem iuxta hoc decretum explicata reponitur in 16. ordin. præp. General. in qua videre est, ipsum sensisse, vt *infimum Collegium quadraginta Socios aleret.* c.93.

5. *Tono.* In dec. 18. Cong. 6. haberi, *Curandum esse omninò, vt Collegia incoboata perficerentur,* quò vel socij scholastici aliquot ibi ali, vel, si commodius societati fuerit, in aliquibus seminarijs ex eorum contributione sustentari, vel alia aliqua ratione prospici posset &c. c.355.

Vt autem multiplicitas hæc Collegiorum, ex qua si non ex omni, saltem ex maxima parte importata sunt damna Societatis spiritui, quæ modò experitur, in posterum diligentius vetaretur, hæc quæ sequuntur, possent ad praxim reuocari, vel diligentiùs seruari.

P.° Vt in electione Generalis diligentissimè attenderetur, ne eligendus se vnquam ostenderit propensum ad talem multiplicitatem. Certè in Interrogatorio pro electione Quarti Generalis à Deputatis ad cognoscenda societatis detrimenta, quę iam passa fuisset aut deinceps passura timeretur, habetur hoc nominatim n. 5. *An timeatur propensus ad admittenda noua Collegia, cum iam adeò videatur Societas grauata, & oppressa multitudine Collegiorum vt satisfacere oneribus susceptis non possit.* Et licet ille, de quo petuntur Informationes, haberet alias in Generali dotes requisitas, si tamen hãc ostendisset propensionem, dum prouincialis, vel Assistẽtis munus obiret, hac solùm de causa à Generalatu repelleretur; neque enim potest non esse valde noxia societati talis propensio in Generali. In lib. Decr. c.166.

2. Ad certum tempus videretur vetanda cuiusuis planè Collegij, iuxta id quod fuit propositum in Cong. 3. dec. 20. Sic enim Generalis seriò applicaret animum ad roboranda, & ad perfectionem adducenda Collegia iam admissa.

3. Cum experientia pateat, quod licet omnes ferè Congregationes Generales enixè commendauerint Generali, vt esset parcissimus in admittendis Collegijs, & ijs maximè, in quibus saltem viginti, aut triginta socij ali non possent; ortumq; id habere potuerit, quod Generales vel flagauerint cupiditate amplificandi iurisdictionem suam sub specie alicuius boni velata, vel decepti fuerint potiùs à minùs laudabili cupiditate quibuscumq; proximis opem ferendi per societatis ministeria, vel quia petentibus Collegia vel Principibus, Primarijsq; Viris, vel Ciuitatibus, oppidisue non ausi sint earum dissentire postulatis; videtur interdicendum Generali, ne illa admittere possit, sed

eorum

eorum admissio diferatur vel ad Congregationem Generalem, quæ nono quoque anno, aut octauo habeatur, aut saltem ad Congregationem Procuratorum, quæ tertio quoque anno Romę habetur, in qua ad plura decernatur suffragia, an tale Collegium admittendum sit; vel si planè necessitas aliqua vrgeret illa admittendi extra huiusmodi Congregationes, illa admissio fiat tantum amissis suffragijs ab ijs
152. & 153 qui ius habent suffragij quemadmodum dicitur p.4.c.2.§.3.L.A. faciendum, dum extra Congregationem Generalem agitur de dissolutione alicuius Domus, vel Collegij, & explicatur dec. 23. & 27. Cong. 4. & sicuti in hoc casu ea Congregatio concessit suffragium Assistentibus eo dec. 23. imò & Secretario, Procuratoriq; Generali dec. 27. ita in isto, in quo agitur de admittendo Collegio nouo illi ijdem haberent. Certè saltem sine vnanimi consensu Assistentium illud non esset admittendum.

4. Nullum omninò admittatur Collegium, nisi in Congregatione Prouincialis, quę haberi solent tertio quoque anno, ad plura suffragia decernatur, illius Collegijs admissionem proponendã esse Gẽnerali.

5. Illa Collegia, in quibus de facto non aluntur saltem quatuordecim e socijs, cum sint contra mentem expressam Sancti Fundatoris, si in illis manere velint socij, subijciantur Ordinariorum Iurisdictioni, & correctioni, sicuti & illa, quæ contra formulam approbatam à Cong. 5. postea annum 1594. fuerunt admissa: Illa quoq; in quibus saltem tres non sint pręceptores Litterarum Humaniorum. Certè s. Ignatius voluit, vt in quolibet Collegio essent quatuor, vel quinque Præceptores. P. Lainez infimum Collegium limitauit ad tres, quibus tamen adhæretur aliquis, qui illis substitui posset: Illa quoque, in quibus non est domus conueniens ad sociorum habitationem, & de scholas tenendas, & Ecclesia ad spiritualia exercitia in proximorum auxilium tractanda non habetur, ordinarijs subijciantur, donec Domus, & Ecclesia societatis ministerijs apta habeantur.

6. Nulla admittantur in posterum Collegia, nisi in illis tot scholastici ali possint, quot sunt pręceptores, & sacerdotes Operarij. Collegia enim sunt instituta non tantùm ad erudiendos iuuenes externos p.4. pap.7.§.1.& 2. verum etiam ad erudiendos socios, vt ibidem dicitur & in procmio huius p. 4. & hęc sunt Seminaria ipsius societatis p.4.§.10. in quibus si non suppeteret copia sociorum scholasticorum conceditur p.4.c.3.§.4.L.B & c.9.§.1.L.A. vt possint ali externi Iuuenes ad Tempus. Et non solum S. Ignatius disertis verbis, verum etiam p. Laynez, & p. Claudius in Formula acceptandorum Collegiorum expressè volunt, vt in Collegijs acceptandis hoc nominatim aduertantur, vt quot ibi Operarij aluntur, tot etiam ibi scholares alantur. Quare si admittantur Collegia, in quibus non alantur tot scholastici, quot ibi sunt operarij, licet ibi tractarentur litterarum studia, & scho-

les in.

læ in proximorum salutem aperiretur, essent minùs saltem consentanea Constitutionibus, & Instituto, quam illa, in quibus scholastici socij alerentur. Neque praxis, & continuata series ab ipso S. Ignatij tempore hucusque tradita, huic quod dicimus, obstat: Tum quia non absolutè dicimus, Collegia in quibus scholastici socij non aluntur, vel externi ad tempus, dum ibi docentur litteræ humaniores, non esse consentanea Instituto societatis, sed solùm dicimus esse minùs consentanea, quam illa, in quibus aluntur scholastici socij, quod nemo negare potest, si attendantur & Constitutiones, & mens expressa S. Ignatij, Lainez, P. Claudij & Cong. 5. Tum quia ex hoc ipso apparet Constitutionum obseruãtiam nõ viguisse in societate perfectissimam quoad hanc partem; experientia enim declarare potuit, id non posse commodè præstari: Tum quia S. Fundator expressit in Constitutionibus, & in Constitutione reperta post suam mortem, mentem suam; cui conformare se deberent posteri, cum illam propter pecuniam sociorum nascente societate executioni mandare non potuerit. Certè si id seruatum fuisset, non adeò Collegiorum numerus creuisset; faciliùs enim fundantur Collegia, si dicatur ibi alendos esse tantùm Præceptores, aliosque Operarios, quę per ministeria societatis in salutem animarum incumbunt, quam si dicatur ibi alendos esse pro horum omnium numero tot scholasticos, qui priuato tantùm studio ibi operam dent, vel ex Collegiorum contributione tot alẽdos in certo cuiusque Prouinciæ seminario, quod in vnaquaque Prouicia perfectum instituendum esse statuit primò Cong. 2. dec. 9. c. 114.

7. Nullum admittatur Collegium, in quo actu ex redditibus ali non possint triginta aut saltem viginti e socijs, & antequam Domus opportuna pro habitatione sociorum, eorumque religiosa disciplina, & Ecclesia Ministerijs societatis constructa sit. Experientia enim patere potuit, dum mittuntur socij in aliquem locum, in quo adhuc sufficientes redditus pro tali numero non habent, religiosam disciplinam ibi non posse seruari, non fuisse ædificationi proximorum paucos socios ibi degentes &c. Experientia etiam patere potuit, etiam assignato sufficienti redditu, dum Domus, & Ecclesia apta non fuerit constructa, vbi cœperunt socij eo in loco habitare, vel nunquam, vel nonnisi post complures annos Domum, vel Ecclesiam ædificatam, cum sociorum ipsorum (quorum numerus non erat iuxta redditus, cum ex his ædificanda esset Domus, & Ecclesia) spirituali detrimento, & obmurmuratione populorum, quod non viderint socios sollicitos in procuranda ædificatione Domus, & Ecclesiæ, vel si hanc sollicitudinem in aliquibus cognouerint, illos quoque viderint sollicitos in expiscanda varijs artibus a varijs personis pecunia; cum tamen si per paucos annos Collegij redditus tantùm in Fabricam Domus, & Ecclesiæ insumpta fuissent, breui perfecta fuissent. Dum autem construitur Do-

mus,& Ecclesia,nullus e socijs ibi ordinariè habitet;sed præsit fabricæ, imò & futuri Collegij redditibus publica aliqua persona vt in simili habet Cong.2.dec.71.vel aliquis deputatus à publico Magistratu,vel ordinario,& idemtidem superior, vel Procurator Collegij proximioris inuisat fabricam &c. Mittanturq; duo sacerdotes, qui Missiones bis in singulos annos obeant, donec Ecclesia, & Domus cum necessaria suppellectili sint ad vsum sociorum plenè constructa. Et id quidem esset vtilius ipsis etiam Ciuitatibus,& Oppidis,quæ societatis Collegia desiderant:nam si id fieret,sapientiores,& plures Præceptores, aptioresque Operarios haberent; socij enim haud libenter degunt in ijs locis,in quibus non est commoda Domus,& Ecclesia;& præterea breui viderent fructum in vtilitatem, & decus simul Ciuitatis,& Oppidi ex tali fabrica ex redditibus,quibus se aliquis e suis ciuibus priuauit,redundantem. Et hoc quidem esset consonum menti s. Fundatoris; & dec.8.Cong 2.

c.141. In 8. Decr. c.55.& 113

8. Si quando Generalis deceptus fuerit in Informatione de qualitate Ciuitatis,vel Oppidi,quod Collegium petit,à Prouinciali,vel ab alijs Patribus primarijs Prouinciæ,adeoq; tale Collegium admiserit,quod minùs esset societati commodum; Prouincialem, aliosque Patres seuerissimè puniat,illos eò releget,&c.Cum enim Prouincialis,alijsque primarij Patres in primarijs etiam Ciuitatibus soleant vitam ducere, possunt esse faciles in approbanda constructionem Collegij in aliquo loco, in quo si, vel per vnum degerent mensem, mærorem maximum contraherent,peterent enixè,vt inde amouerētur &c. Aliorum etiam ratio habenda est.

9. Non credat facilè Generalis vni vel alteri sacerdoti, qui ad talem Ciuitatem, vel tale Oppidum iuerit, ibique aliquo habitauerit tempore,dum scribit,constructionem Collegij in tali Oppido,vel Ciuitatem fore societati opportunam; potest enim facilè euenire, vt minùs vera hic scribat,eo quod cum ibi aliquam auctoritatem sibi vindicauerit, nonnullos sibi conciliauerit, à quibus alimenta, aliaque facilè obtinet &c. timeat inde amoueri: si autem admittatur vel Residentia in tali loco,facilè ipse superior ibi constitui possit,ac regere etiam pro arbitrio socios alios,qui eò mitterentur, propter auctoritatem quam haberet apud superiores tanquam primus talis residentiæ promotor &c.Quare certos ex vnaquaque Prouincia Viros pietate,ac zelo boni progressus Societatis inter cæteros illustres Generalis mittat ad Ciuitatem, vel Oppidum, pro quo Colllegium petitur, ab ijsque petat exacte certiorem fieri de qualitate loci, Ciuium,reddditum &c. Remoueatque statim ab eo loco socium, qui non sinceram informationem præbuisset,aliasque illi infligat pœnas.

10. Nullum admittatur, mittaturque tanquam Collegium, in quo socij non habeant occupationes, in quibus cum fructu se exerceant,

& vti-

& vtiliter tempus insumant, etiamsi daretur sufficientes redditus pro alendis viginti, vel triginta. Quid enim viginti socij sine Coro saltem in plurimis agent locis? Experientia patere potest in plurimis celebrioribus etiam Ciuitatibus, si tollantur Magistri, ac professores, vix, esse duos aut tres, qui sufficienter occupentur, vel occupari velint. In alijs ergo Ciuitatibus, oppidisq; viuent otiosi. Otium autem omnium malorum originem appellauit s. Ignatius p. 3. c. 1. §. 6.

11. Nullo modo admittantur Collegia ea præcipuè de causa, quod petantur à Viris etiam Principibus de societate benemeritis; vel sint hospitia sociorum, iter agentium, vel sint receptacula eorum, qui ex vna Prouincia in aliam commigrare coguntur; hæc enim certè haud societatis Instituto consona videntur.

12. Nullum admittatur Collegium, nisi in talibus locis, & circumstantijs, vt ad *commune bonum Ecclesiæ Dei magnum momentum habitura videantur*, quemadmodum statuit Cong. 2. dec. 8. Cuius decretum confirmatum, & approbatum fuit a Cong. 3. & 5. Vbi attendendæ illæ voces, *Magnum momentum*. Certè nec momentum ad Ecclesiæ bonum habent Collegia, in quibus vt plurimum socij viuunt otiosi. potiùs enimuerò hæc damnum afferunt: & incommoda, quæ importantur, præponderare queunt commodis aliquibus, quæ importarent. c. 111. c. 179. c. 230.

Circa verò Collegia, siue Domos, in quibus de facto pauci è Socijs degunt, vel otiosi viuunt hæc peculiariter statuenda videntur.

P.° Iuxta id quod dicitur p. 4. c. 2. §. 3. L. A. Generalis in Congregatione Generali, vel etiam sine illa missis suffragijs, qui ius habent suffragij (iuxta explicationem Cong. 4. dec. 23. & 27.) statuat, num admissa iam Collegia, vel Domus relinqui debeant, an retineri, & in hac discussione attendatur finis Collegiorum, bonum societatis vniuersale, magnaque Ecclesiæ Dei vtilitas. c. 150. c. 15

2. Si statuatur aliqua, vel multa dimittenda, Generalis præferat *illam animi magnitudinem, ac fortitudinem*, quam requirunt in Generali Constit p. 9. c. 2. §. 5. *ab eo, quod ratio & diuinum obsequium postulat nullis etiam Magnorum, ac Potentum precibus, aut minis separari se tinendo*.

3. Si societas retineri velit talia Collegia temporalia potiùs commoda spectans, quam felicem in spiritu Societatis statum, & progressum; tunc enimuerò statuatur, vt Collegia in quibus viginti saltem e socijs non casu habitant, subiaceant omnimodæ iurisdictioni, & Correctioni Ordinariorum; iubeantque Ordinarij à Pontifice Ordinarij de facto illam ibi exercere: Præterea statuatur, vt ibi omnino instituatur in singulos dies more cæterorum Regularium Chorus cantu tamen præscripto in Constit. p. 6. c. 3. §. 4. L. B. Orationique etiam vacent per horam mane, & per dimidiam post Vesperas, exceptis die-

bus festis: audiantque simul lectionem alicuius libri spiritualis per semihoram,& semihoram quoque immediatę ante prandium,& antequam eant cubitum examini Conscientiæ impendant. Visitationes fœminarum in his locis intelligantur peculiariter interdictæ, obserueturque exactissimè Instr.3.ac potissimùm præscripta n. 3. 9. ac 10. & c.2.Instr.15. Non ignoratur,maximam difficultatem,quæ obstare posset,ne talia Collegia, vel tales Domus relinquerentur à societate, oriri posse ex eo quod socij,qui modò in hisce Collegiis, ac Domibus degunt,non possent in alijs Collegijs sustentari: *Dico enim*

P.* Hos viuere posse ex eleemosinis emendicatis: & paratos quidem esse debere socios ad mendicandum etiam ostiatim habetur p.6.c.2. §.10.& Exam.c.4.§.27.*quando,vel obedientia,vel necessitas id exiget;*
c.244. & nominatim p.4.c.2.§.6. habetur,non solùm peti eleemosinas, *verum etiam ostiatim ad tempus, quandocumque necessitas Collegiorum id exigeret,emendicari posse.* Et Con.2.dec.71.statuit,vt si qua Collegia non erant sufficienti dotatione fundata, in quibus socij nec legerent, nec scholasticos alerent, donec sufficienter fundarentur, *ex eleemosinis viuerent:* & Cong.3.dec.43. R.P. Generalis iudicio commisit, An
c.291. & *quamdiù ex eleemosinis,vel redditibus* viuere deberent Collegia, in quibus propria Collegiorum munia non exercētur, vel quia nondum plenè constituta sunt,licet sint inchoata; vel quia ædificandi necessitas non patitur socios legere, nec scholasticos socios alere.

2. Instituantur variæ missiones in quacunque Prouincia; & nominatim in qualibet Prouincia duo vel tria loca, vbi Residentiæ ad tem-
c.287. pus collocentur (iuxta id quod anno 1599.die 12.Maij in lit.de modo Missionum ad Prouinciales P. Claudius scripsit) in quibus socij ex eleemosynis sustentatur, & hæ Residentiarum Sedes subinde mutentur &c. Ad hoc quidem,vt ære alieno liberarentur Collegia societatis idem P.Claudius anno 1601.die 7. Aprilis,proposuit,vt socij, qui ex redditibus, vel eleemosinis in Collegijs pauperibus ali non poterant, collocarentur in Collegijs ditioribus, & in Residentijs, in quibus ex eleemosinis socij viuerent.

3. Transmittantur hi in alias prouincias, & etiam ad Indos, vt in si-
c.355. mili habet Cong.6.dec.18.& maximè in Transalpinas, quæ quandoque indigent operariorum numero.

4. Admittantur paucissimi inter Nouitios; & litteras Humaniores doceant interim sacerdotes,& alij qui Theologiæ cursum perfecerūt,
c.431.c.432 etiamsi ante Theologiam per quadriennium, vel etiam quinquennium docuissent iuxta id, quod esse in superiorum arbitrio censuit Cong. 7. dec. 26.

5. Petatur à Pontifice dispensatio (si ad id non habeant aliquod priuilegium per communicationem saltem) per quam facultas societati detur vti talibus bonis ad certum tempus, etiamsi in talibus locis

non ha-

non habeat Collegia, & Domus, quibus illa bona relicta sunt.

6. Si socij iuxta professionem suam religiosam vitam duxerint, & proximorum saluti procurandæ vacauerint sollicitè, nullibi necessaria ad victum, vestitumque deerunt. Id altè hæserat animo S. P. Ignatij, vt patet ex illis verbis in Formula Instituti Iulio Tertio proposita anno 1550. repositis: *Cumque sciamus Dominum nostrum Iesum Christum Seruis suis Regnum Dei solùm inquirentibus, necessaria ad victum, & vestitum esse subministraturum; sic voueant singuli, & vniuersi perpetuam Paupertatem, vt non solùm priuatim, sed neque etiam communiter, possint Professi &c.* Hinc illa P. Mutij in lit. ad societatem eiusdem anno centesimo die 15. Nouembris anno 1639. datis, vbi recensuisset tria impedimenta executionis ex parte superiorum. *L'vltimo impedimento dell'esecutione in quei, che gouernano, può essere la troppa sollecitudine, e cura delle cose esterne, ò temporali, che tengono l'animo, e molte volte il corpo distratto, e lontano da Casa, sì che non possino insistere nella disciplina di essa: ne si accorgono, che abbandonano il miglior mezzo che sia, d'accrescere la facoltà in modo, che non manchi mai niente per il sostegno. E questo mezzo è il vigilare, che ogn'vno faccia il debito suo, e si stia su'l punto dell'osseruanza, dell'edificatione, della salute dei prossimi: che è la miglior entrata, & il più fruttuoso capitale, che possa hauer vn Collegio. E mi ricordo, che il Santo Padre Ignatio, stando in questa Casa di Roma in vn circolo di alcuni Padri, in tempo di grandissima carestia della Città, e dicendo vno di quelli esser miracolo, che la Casa, viuendo meramente di limosina, fusse, in sì gran bisogno di tutti, sì abbondantamente prouista; rispose il Santo, con volto graue, e seuero: Come Miracolo? Io vi dico, che miracolo sarebbe, se accadesse il contrario: perche, mentre noi saremo fedeli esecutori della volontà di Dio, che è la santificatione nostra, e de gli altri; Iddio non può mancare alla sua promessa di prouederci.*

In Bu. c.6. [right margin, beside "proposita"]

c. 4. 9. et 30. [right margin, beside "miglior mezzo che"]

Caput Sextum.

De Reformatione circa Multitudinem Sociorum, ac nominatim Professorum.

1. *Pono.* PArt. 10. §. 7. hæc haberi: *Vt perpetuò totius huius Corporis* (Societatis scilicet) *bonus status conseruetur, confert plurimùm, quod in prima, secunda, & quinta parte dictum est, de turba, & hominibus ad nostrum Institutum ineptis ne ad Probationem quidem admittendis; & si aliqui Probationis tempore non esse idonei inuenirentur, etiam dimittendis. Si qui verò deprauatis moribus essent, aut de quorum emendatione parum speraretur, multò minùs essent retinendi. Minus etiam apertum ostium esse debebit ad admittendos aliquos in Scholasticos*

appro-

approbatos, & Coadiutores formatos; minimè verò omnium in Professos; non enim alij, quam spiritus, & doctrina selectæ Viri, & multum, diùque exercitati, & in varijs probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorum, cum omnium ædificatione, & satisfactione perspecti, ad Professionem admitti debent. Sic enim, licet multitudo augescat, non imminuetur, nec debilior reddetur spiritus, dum tales sint, qui in Societatis corpus cooptantur.

2. *Pono.* Part. 8. c. 1. in quo agitur de ijs, quæ iuuant ad vnionem animorum, vbi S. Ignatius incipit recensere ea quæ ex parte subditorum ad hanc vnionem conferunt, hæc haberi. *Ex parte subditorum iuuerit magnam turbam hominum ad Professionem admitti; nec quoscumq; sed selectos homines, etiam inter Coadiutores formatos, aut Scholasticos retineri. Multitudo enim magna eorum, qui vitia sua non bene domuerunt, vt ordinem non fert, ita nec vnionem, quæ in Christo Domino Nostro tam necessaria est, vt bonus status, ac procedendi modus huius Societatis conseruetur.* In Declar. autem L. B. hæc subiungi. Hoc *autem non excludit numerum (licet magnum) eorum, qui erunt idonei, vt in Professos, vel Coadiutores formatos, vel Scholasticos approbatos admittantur: sed hoc eò spectat, vt commendatum habeatur, ne, qui tales non erunt, idonei (præcipuè ad Professionem) facilè censeantur: & cum benè obseruabitur, quod in prima, & in quinta parte dictum est, satis erit. Qui enim huiusmodi essent, turba existimari non deberent: sed potiùs gens electa, tametsi magna ea esset.*

Quoniam verò experientia patere potest, crescente Sociorum numero, acutoq; in dies, non accepisse, vel accipere incrementa, sed potiùs decrementa Societatis spiritum, ac virtutes (neque enim illa perfectio, quam requirunt Constitutiones potest esse in multis; & faciliùs præterea adhærescunt alijs vitiorum contagiosi morbi, quam saluberrimi virtutum odores) *ad aliquam Sociorum numero moderationem adhibendam, horum, quæ sequuntur, vel inducenda, vel reuocanda praxis foret.*

P.° Multitudo Collegiorum imminuatur, ac temperetur cupiditas ea multiplicandi, vt supradictum est; pro eorum enim multitudine Sociorum etiam numerum augeri est necesse.

2. Omnis, qui habet facultatem admittendi ad Probationem sit *moderatus in admittendi desiderio*, vt haberi videtur p. 1. c. 1. §. 4. Et Generalis quidem hanc maximè moderationem habeat, à qua remouere illum potest cupiditas amplificandi iurisdictionem suam, quæ cupiditas specie pietatis velari potest, seruiẽdi scilicet multorum spirituali vtilitati, ac ad beatitudinem consequendam in Domino iuuandi. Quare qui dum esset Prouincialis, vel in alio Societatis Gradu hanc moderationem non exhibuisset, hoc nomine tantùm à Generalatu repellendus esset, licet cæteras haberet dotes. Hinc in Interrogatorio

pro ele-

pro electione futuri Generalis confecto in Tertia Congregatione Generali habetur, *An credatur obseruaturus Constitutiones Nostras, quoad admissiones, dimissiones, Professiones, Probationes, &c.* In lib. Decr. c.165.

3. Omnes illi, qui à Superioribus designati sunt, tanquam examinatores, & vt colloquantur cum illis, qui in Societatem admitti petunt, sint etiam admodum moderati in eodem admittendi desiderio, vt expresse dicitur in Regul. 2. Exam. collecta ex p. 1. c. 1. §. 4. vbi additur, *Et vt liberior sit ab omni minus ordinato affectu, vbi vitij huiusmodi occasio esse posset (vt cum consanguineis, & amicis) ille, in quo aliquid periculi huiusmodi timeretur, examinandi officio non fungatur.* Quod idem extendendum esset ad Prouinciales, penes quos est facultas admittendi pro singulis Prouincijs ex Regul. 32. & saluberrimum foret, si nulli amici, vel consanguinei prouincialis, & examinatorum in ea prouincia admitti possent, sed in alia dum approbati fuissent, tanquam idonei ab alterius prouinciæ Prouinciali, atq; examinatoribus. In lib. Regu. c.112. et 116 In lib. Regu. c.39.

4. Attendant Prouinciales iuxta Reg. 33. *Ne nimij sint Socij in hominibus ad Societatem alliciendis*, sed per virtutes, & bonæ vitæ odorem omnes ad Christum trahere studiosè curent. Cuius Regulæ obseruantiæ iniunxit exactissimam, tanquam rei, quę multum ponderis ad bonum societatis vniuersale P. Claudius anno 1593 die 10. Iulij ad prouinciales scribens, aitque hanc immoderatam propensionem, vt multi in Societatem admittantur, corrigendum esse in aliquibus, *maximè Rectoribus, ac Praeceptoribus.* c.40.

5. Exactè obseruetur Reg. 6. ex Comm. professor Class. Inferior. quæ sic habet. *Priuatis etiam colloquijs eadem ad pietatem pertinentia inculcabit, ita tamen, vt nullum ad Religionem nostram videatur allicere. Sed si quid huiusmodi cognouerit, ad Confessarium reijciat.* Si præceptores vetitum sibi munus agendi cum discipulis de vocatione ad Societatem non arripuerint, faciliùs enimuerò obseruabitur Reg. 47. quam habent, *familiares* non *se magis vni, quam alteri ostendendi, & extra Scholæ tempus cum ijs colloquendi tantùm breuiter.* Atq; n. 6. Instr. 17. *ne in colloquijs, quæ necessariò haberi debet cum externis suis Scholasticis, diutiùs commorentur.* Imò hoc idem iniungendum foret quibuscumq; alijs, siue Academicis, siue Repetitoribus in Collegijs, seminarijsque Alumnorum, vel conuictorum; nec eo nomine aliqui detineantur Magistri, vel Repetitores in Seminarijs, maximè Conuictorum, quod facilè alliciant Iuuenes ad Societatem, imò potius inde remoueantur, & corrigantur. Saluberrimum esset, vt nullus ferme ad Societatem admitteretur, nisi qui vltrò à Cõfessario ipsius propositus fuisset prouinciali, atq; examinationibus, ac cæteri fere omnes reijcerentur; facile enim decipi possunt cæteri, omnes, qui non intimam rerum internarum cognitionem habent, ac facile decipi possunt ab exteriori In Rat. Stu. c.105. c.117. et 118 In lib. Instr. c.98.

specie,

ſpecie, alijſq; exterioribus dotibus &c.

6. *Habeatur*, & *non mediocris* cura in admiſſione Nouitiorum, que- ... 100. madmodum inquit P. Claudius in litt. de medijs ad conſeruationem ſocietatis; *vt non niſi digni, & idonei admittantur; quique huiuſmodi vocationem habent, quæ ad Societatis Inſtituti constantiam eſt neceſſaria*. P. Claudius etiam anno 1593. die 10. Iulij prouincialibus, Examinatoribus, ac Magiſtris Nouitiorum ſeriò commendauit, vt in admittendis ad ſocietatem *non eſſent faciles, ſed multum haberent delectū*. Certè in Conſt. p. 1 c. 1. §. 4. L. C. Sic habetur, & reponitur in Reg. 2. Examin. *vt par eſt ſollicitè cooperari motiori, & vocationi Diuinæ, curando vt augeatur in Societate numerus operariorum vineæ Chriſti Domini: ita diligenter conſiderari oportet, ne quis admittatur, niſi qui donis illis Dei præditus ſit, quæ hoc Inſtitutum ad ipſius gloriam exigit*. & c. 3. §. 1. *Quamuis caritas, & zelus animarum, in quo ſe Societas hæc exercet iuxta Inſtituti ſui finem, omnia hominum genera complectatur, vt eorum ſeruiat ſpirituali vtilitati, ac ad beatitudinem conſequendam in Domino iuuet; vt tamen in Societatis ipſius corpus admittat, amplecti non debet, vt dictum eſt, niſi quos iudicabit ad propoſitum Societati finem vtiles fore*. Præſenſit B. Borgia incommoda ingentia, quæ ex facili admiſſione ad Societatem ſequerentur, ſic ſcribens in litt. de Medijs conſeruandi Spiritum Societatis anno 1569. *Cum ergo in campum noſtrum zizania multis ac varijs modis per fraudem induci queant, eo tamen ex capite maximè formidarim, ſi minimè nobis curæ eſſet ſpiritum noſtrarum Conſtitutionum retinere in admittendis ad Societatem noſtram hominibus. Nam ſi alia intentione procedatur, quam quæ à noſtris Conſtitutionibus requiritur, certiſſimæ ruinæ porta aperietur. Sanè ſi*

c. 4. 53. & 54. *nulla habita ratione vocationis, & ſpiritus, quo quiſque impulſus accedit, litteras modò ſpectimus, & alia exteriora talenta, ac dona, veniet tempus, quo ſe Societas multis quidem hominibus abundantem, ſed ſpiritu, & virtute deſtitutam mærens intuebitur: vnde exiſtet ambitio, & ſeſe efferet ſolutis habenis ſuperbia, nec à quo contineatur, & ſupprimatur habebit. Quippe ſi animum conuerterint ad opes, & cognationes, quas habent, intelligent illi ſe quidem propinquis, & opibus affluentes, ſed ſolidarum virtutum, ac ſpiritualium donorum copijs egenos, ac vacuos. Itaque hoc primum eſto Conſilium, & in capite libri ſcribatur, ne tandem aliquando experientia doceat, atque vtinam nondum docuiſſet, quod mens demonſtratione concludit*. Cum cæpiſſent non obſeruari Conſtitutiones in admittendis hominibus ad Societatem tempore B. Borgiæ, incommoda inde ſecuta vidit, præuiditq; futura, quaſi diuino ſpiritu, ſequentibus annis, eaq; ingentia, cum minùs adhuc ille ſeruarentur. Hinc prudenter monuit P. Claudius in Inſtr. 6. *Quoniam*

c. 4. 30. & 32. *prima boni ſtatus Societatis origo in admittendis ijs conſiſtit, qui noſtro Inſtituto congruunt; ideo Superiores, ad quos admittendi munus ſpectat,*

in ad-

in admittendo non ſint nimij, ſed delectum perſonarum habeant; nec *noſtrorum, vel aliorum importunitate moueri ſe ſinant, nec bona externa, vel noſtrorum affinitatem, ſed potiùs ad noſtrorũ Inſtitutum aptitudinem in admittendis ſequantur*.

7. Sedulò attendat, examinetque ille cui demandata eſt viſitandi prouinciales cura, vbi functi ſunt munere ſuo, An *plures admiſerit in Societatem quam qui neceſſarij ſunt, & eorum habuerit delectum iuxta Conſtitutiones, & ordinationem datam*. Sic enim iubetur c.9. Ordin. General. Ac ſeuerè puniatur Prouincialis, qui in re tanti ponderis errauerit, à Generali. c.61.

8. Caueatur diligentiſſimè à Prouinciali, ne *cuiuſquam admiſſio* iuxta Reg. 32. *iuſtam aliquam externorum offenſionem, aut Societatis nocumentum pariat; quod cum ijs potiſſimùm obſeruandum erit, qui in Scholis Societatis inſtituuntur*. Et non adhuc id potiſſimè obſeruandum erit cum ijs, qui ſub diſciplina ſocietatis in Collegijs, vel Seminarijs degunt? Certè videtur fuiſſe ſenſus Patrum in Cong. 4. dec. 13. vt in partibus Septemtrionalibus ſaltem, ſi conuictorum curam ſuſciperet Societas, non ſollicitarentur adoleſcentes ad Inſtitutum ſocietatis, nec admitterentur inuitis parentibus. Saluberrimum iudicari poſſet ſtatutum, quo vetaretur, vt nulli ex Alumnis, vel conuictoribus, qui degunt ſub diſciplina Societatis, inconſulta Apoſtolica Sede poſſent admitti ad ſocietatem, niſi fermè per annum extra eam vixiſſent diſciplinam; & qui in ſcholis inſtituuntur, antequam admitterentur à prouinciali, examinarentur etiam ab Epiſcopo, vel eius Vicario. Hanc conuictorum curam, quam non conuenire Inſtituto ſocietatis apertè cenſuit Cong. 3. vltrò amplecti modò poſſunt ſocij eo etiam nomine, quod ex hiſce Collegijs ſiue ſeminarijs multi facilè alliciantur ad ſocietatẽ. In lib. Reg. c.29. c.145. c.165.

9. Exactè ſeruetur n. 2. Inſtr. 6. vt *poſtquam aliqui in Societatem admiſſi fuerint Prouinciales caueant, vt patronos non habeant, qui eos, licet ineptos, in Societate retineri curẽt; ac porro in dimiſſionis negotio Magiſtri Nouitiorum iudicium magnifaciant, nec in dimittendo ſe difficiles exhibeant, cum id Nouitiorum Magiſter, cauſis adhibitis, proponet*. At in vniuerſum diligenter prouincialibus diſpiciendum eſt, vt qui minùs idonei ad ſocietatis Inſtitutum, & tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipſi intra biennium probationis dimittant, vt iubet Reg. 41. prouinc. c.31. In lib. Reg. c.41.

10. Dimittantur è ſocietate etiam peracto Probationis tempore illi maximè ſcholaſtici, qui ſuperbi, inquieti, aut male mortificati animaduertentur, tentatis tamen priùs omnibus caritatis remedijs, ad eos lucrandos, vt habet P. Claudius in litt. de Medijs ad conſeruationem ſocietatis, qui addit. *Et quando ſine fructu cernuntur alicui adhibita remedia, exoneranda eſt Societas ab inutili arbore. Qua in re, vt celerem nimis, aut præcipitem eſſe non conuenit Superiorem, ad determi-* c.101.102. 103. & 104.

 nandum

ſpecie, alijſq; exterioribus dotibus &c.

6. *Habeatur*, & *non mediocris* cura in admiſſione Nouitiorum, que-
4.100. madmodum inquit P. Claudius in litt. de medijs ad conſeruationem societatis; *vt non niſi digni, & idonei admittantur; quique huiuſmodi vocationem habent, quæ ad Societatis Instituti conſtantiam eſt neceſſaria*. P. Claudius etiam anno 1593. die 10. Iulij prouincialibus, Examinatoribus, ac Magiſtris Nouitiorum ſeriò commendauit, vt in admittendis ad societatem *non eſſent faciles, ſed multum haberent delectũ*. Certè in Conſt. p. 1 c. 1. §. 4 L. C. Sic habetur, & reponitur in Reg. 2. Examin. *vt par eſt ſollicitè cooperari motiori, & vocationi Diuinæ, curando vt augeatur in Societate numerus operariorum vineæ Chriſti Domini: ita diligenter conſiderari oportet, ne quis admittatur, niſi qui donis illis Dei præditus ſit, quæ hoc Inſtitutum ad ipſius gloriam exigit*. & c. 3. §. 1 *Quamuis caritas, & zelus animarum, in quo ſe Societas hæc exercet iuxta Inſtituti ſui finem, omnia hominum genera complectatur, vt eorum ſeruiat ſpirituali vtilitati, ac ad beatitudinem conſequendam in Domino iuuet; vt tamen in Societatis ipſius corpus admittat, amplecti non debet, vt dictum eſt, niſi quos iudicabit ad propoſitum Societati finem vtiles fore*. Præſenſit B. Borgia incommoda ingentia, quæ ex facili admiſſione ad Societatem ſequerentur, ſic ſcribens in litt. de Medijs conſeruandi Spiritum Societatis anno 1569. *Cum ergo in campum noſtrum zizania multis ac varijs modis per fraudem induci queant, eo tamen ex capite maximè formidarim, ſi minimè nobis curæ eſſet ſpiritum noſtrarum Conſtitutionum retinere in admittendis ad Societatem noſtram hominibus. Nam ſi alia intentione procedatur, quam quæ à noſtris Conſtitutionibus requiritur, certiſſimæ ruinæ porta aperietur. Sanè ſi*
4.53. & 54. *nulla habita ratione vocationis, & ſpiritus, quo quiſque impulſus accedit, litteras modò ſpectimus, & alia exteriora talenta, ac dona, veniet tempus, quo ſe Societas multis quidem hominibus abundantem, ſed ſpiritu, & virtute deſtitutam mærens intuebitur: vnde exiſtet ambitio, & ſeſe efferet ſolutis habenis ſuperbia, nec à quo contineatur, & ſupprimatur habebit. Quippe ſi animum conuerterint ad opes, & cognationes, quas habent, intelligent illi ſe quidem propinquis, & opibus affluentes, ſed ſolidarum virtutum, ac ſpiritualium donorum copijs egenos, ac vacuos. Itaque hoc primum eſto Conſilium, & in capite libri ſcribatur, ne tandem aliquando experientia doceat, atque vtinam nondum docuiſſet, quod mens demonſtratione concludit*. Cum cæpiſſent non obſeruari Conſtitutiones in admittendis hominibus ad Societatem tempore B. Borgiæ, incommoda inde ſecuta vidit, præuiditq; futura, quaſi diuino ſpiritu, ſequentibus annis, eaq; ingentia, cum minùs adhuc ille ſeruarentur. Hinc prudenter monuit P Claudius in Inſtr. 6. *Quoniam*
4.30. & 31. *prima boni ſtatus Societatis origo in admittendis ijs conſiſtit, qui noſtro Inſtituto congruunt; ideo Superiores, ad quos admittendi munus ſpectat,*

inad-

in admittendo non sint nimij, sed delectum personarum habeant; nec *nostrorum, vel aliorum importunitate moueri se sinant: nec bona externa, vel nostrorum affinitatem, sed potiùs ad nostrorũ Institutum aptitudinem in admittendis sequantur*.

7. Sedulò attendat, examinetque ille cui demandata est visitandi prouinciales cura, vbi functi sunt munere suo, An *plures admiserit in Societatem quam qui necessarij sunt, & eorum habuerit delectum iuxta Constitutiones*, & *ordinationem datam*. Sic enim iubetur c.9. Ordin. General. Ac seuerè puniatur Prouincialis, qui in re tanti ponderis errauerit, à Generali. c.61.

8. Caueatur diligentissimè à Prouinciali, ne *cuiusquam admissio* iuxta Reg. 32. *iustam aliquam externorum offensionem, aut Societatis nocumentum pariat; quod cum ijs potissimùm obseruandum erit, qui in Scholis Societatis instituuntur.* Et non adhuc id potissimè obseruandum erit cum ijs, qui sub disciplina societatis in Collegijs, vel Seminarijs degunt? Certè videtur fuisse sensus Patrum in Cong. 4. dec. 13. vt in partibus Septemtrionalibus saltem, si conuictorum curam susciperet Societas, non sollicitarentur adolescentes ad Institutum societatis, nec admitterentur inuitis parentibus. Saluberrimum iudicari posset statutum, quo vetaretur, vt nulli ex Alumnis, vel conuictoribus, qui degunt sub disciplina Societatis, inconsulta Apostolica Sede possent admitti ad societatem, nisi fermè per annum extra eam vixissent disciplinam; & qui in scholis instituuntur, antequam admitterentur à prouinciali, examinarentur etiam ab Episcopo, vel eius Vicario. Hanc conuictorum cura, quam non conuenire Instituto societatis aperte censuit Cong. 3. vltrò amplecti modò possunt socij eo etiam nomine, quod ex hisce Collegijs siue seminarijs multi facilè alliciantur ad societatē.

(Margin notes: In lib. Regu. c.29. — c.245. — c.165.)

9. Exactè seruetur n. 2. Instr. 6. vt *postquam aliqui in Societatem admissi fuerint Prouinciales caueant, vt patronos non habeant, qui eos, licet ineptos, in Societate retineri curēt; ac porro in dimissionis negotio Magistri Nouitiorum iudicium magnifaciant, nec in dimittendo se difficiles exhibeant, cum id Nouitiorum Magister, causis adhibitis, proponet*. At in vniuersum diligenter prouincialibus dispiciendum est, vt qui minùs idonei ad societatis Institutum, & tandem aliquando dimittendi videntur, eos ipsi intra biennium probationis dimittant, vt iubet Reg. 41. prouinc. c.31. — In lib. Regu. c.42.

10. Dimittantur è societate etiam peracto Probationis tempore illi maximè scholastici, qui superbi, inquieti, aut male mortificati animaduertentur, tentatis tamen priùs omnibus caritatis remedijs, ad eos lucrandos, vt habet P. Claudius in litt. de Medijs ad conseruationem societatis, qui addit. *Et quando sine fructu cernuntur alicui adhibita remedia, exoneranda est Societas ab inutili arbore. Qua in re, vt celerem nimis, aut præcipitem esse non conuenit Superiorem, ad determi-* c.4. 201. 202. 203 & 204.

nandum iudicium; quod aliquis Instituto nostro sit ineptus, nisi priùs ad exemplum misericordiæ Christi, multùm, ac diligenter circumfoderit, simumq; apposuerit, aliaq; adiumenta opportuna applicauerit; ita ex altera parte non est opus, vel tam cupidum esse illius commodi, aut auxilij, quod ab ijs posset Societas accipere; vel nimis timidum, aut scrupulosum, ne videlicet dimittatur is, qui fortasse aliquo tempore emendare se possit; nisi enim hac emendationis spes moraliter intelligenda ac limitanda sit, per vniuersam vitam expectari debebit, cum nullum sit tempus, iu quo mutare se homo in melius non valeat. Hinc exactè obseruandum id à Prouinciali, quod illi iniungitur in fine Reg. 41. Quod si pe actò etiam probationis tempore aliqui huiusmodi deprehendantur, tempestiuè Generalis moneatur, ne cum societatis iactura diutius, quam par est, retineantur. Et illi quidem, cui visitandi Prouincialem, vbi
In lib. Regu. c. 43. functus est munere suo, cura demandatur à Generali, peculiariter præcipitur, vt inquirat, An *obseruauerit diligenter Reg. 41. sui officij, vt scilicet dimitti curauerit eos qui minùs idonei ad Societatis institutum videbantur.* Quam vtile sit, ac necessarium à societate dimitti eos,
c. 73. & 74. qui ad illam apti non sint, (*inquit P. Claud. initio c. 12. Ordin. de Dimittendis*) liquidò apparet non solum ex Constitutionibus, Bullisque Apostolicis, sed etiam ex perpetuo vsu, & traditione tum B. P. N. ac Fundatoris, tum B. P. Francisci Xauerij, viri vt eximia sanctitati conspicui, sic eiusdem P. Fundatoris nostri mentis sensorumq; intelligentissimi. Hanc etiam potestatem à societate dimittendi quosuis non
In Bul. c. 384. Professos à sede Apostolica sæpiùs approbatam, eosque ab omni obligatione votorum iuxta Constitutiones, & Diploma ta huiusmodi emissorum, per dimissionem ipsam, per quam vota ipsa cessant, liberandi, Greg. 14. in Bulla edita anno 1591. die 28. Iunij, *tanquam rem magni momenti ad Societatis puritatem, & conseruationem retinendam, omnino ratam, intactam, & illibatam esse voluit.* An verò in dimissione illorum, qui bienij vota emiserunt, seruanda sit forma Iudiciaria, vel an plurium exigendum sit suffragium, illudq; secretum, & non satis sit Generalis vel Prouincialis iudicium, alia quæstio est, de qua 2. p. *huius libri* nonnulla dicta sunt.

11. Circa verò Professorum multitudinem moderandam, hæc peculiariter statuenda videntur. P.° Non admittantur ad professionem,
In Bul. c. 15. 63. 287. & 281. *nisi cospicui vita Christiana puritate* vt habet formula Instituti Paulo Tertio proposita anno 1540. & Iulio Tertio à S. Ignatio quoque anno 1550. iterum proposita, Gregorius 13. in Bulla anno 1584. edita pro noua Instituti societatis Confirmatione; siue *Selecti spiritus viri*, vt habetur p. 10. §. 7. quæ verba vsurpat quoq; Greg. 14. in Bulla de Instituti Confirmatione anno 1591. promulgata. Cum autem pauci possint esse viri, qui inter Socios emineant in spiritu, per consequens pauci ad professionem admittendi. 2. Non admittantur, nisi etiam conspi-

conspicui doctrina, aut litteris conspicui, siue selecti doctrinæ viri, vt habent ijdem Pontifices & Constitutiones Doctrina autem in ijs, qui ad hunc gradum sunt admittendi, ea esse debet quæ præscribitur p. 5. c. 2. §. 2. vt scilicet in Philosophia, & Theologia ita profecerint, vt assertiones Logicæ, Philosophiæ, & Theologiæ Scholasticæ tueri pro dignitate possint. Id autem explicauit vlterius Congregatio 7. dec. 33. *vt nemo ad Quatuor votorum Professionem admittatur nisi qui sub finem anni Quarti deprehensus fuerit tantùm eruditionis habere, quantum necessum foret ad Philosophiam, ac Theologiam cum satisfactione docendam, nisi forsan ad gubernandum, vel concionandum illustria talenta haberet, idq; iudicio P. Generalis*. Ex quibus verbis satis apparet non sufficere superare mediocritatem in Philosophia, vel Theologia, quod eadem Congregatio requisiuit in ijs, qui admittendi sunt ad Theologiam Scolasticam audiendam, & in ijs qui ad illam iam admissi sunt ad insequentem annum audiẽdi aliud enim est posse cum satisfactione tueri ea, quæ quis à Magistris suis audiuit; aliud est Philosophiam, ac Theologiæ cum satisfactione docere; & hinc tenentur illi quatuor qui examinaturi sunt admittẽdos ad professionem quatuor, votorum seriò, & non perfunctoriè, aut leuiter examinare, sed verè de doctrina facere periculum, an tanta sit, quanta in Constitutionibus p. 10. §. 7. requiritur: hæ autem requirunt eos, qui ad hunc gradum sunt admittendi, *Viros doctrina selectos*, de quo legatur p. 3. c. 18. Ordin. Gener. Pro paucis autem credibile est Examinatores laturos suffragium de hac habilitate ad docendam Philosophiam, ac Theologiam cum satisfactione, nisi latissimè illa verba interpretentur de legenda vtraq; facultate cum satisfactione in aliquo oppidulo &c. 3. Illi qui ferunt suffragium de habilitate doctrinæ sint Quinque, ita vt ad plura tantùm suffragia professio concedenda sit, & in quocumq; planè casu huic suffragiorum phiralitati circa doctrinæ habilitatem stare Generalis debeat. 4. Obseruetur exactissimè id quod p. 5. c. 2. §. 2. L. B. habetur, *vt qui in Iure Canonico doctrinam sufficientem, vel alia egregia Dei dona haberet*, ex quibus, quod studio Theologiæ deest, compensari posset; sine eo, ad *Professionem trium, & aliqui viri insignes etiam ad quatuor votorum (quamuis hoc extendi non debeat) admitti possint*. Vbi perpendende illæ voces, *viri Insignes*, & aliæ, *Quamuis hoc extendi non debeat*. Non videtur autem soli Generali iudicium concedendum, *An* aliquid sint viri insignes in Iure Canonico, *An* habeant alij illustria ad gubernandum, vel concionandum talenta, vel alia egregia Dei dona; nam ipse facilè decipi potest a Prouincialibus, quorum informationes vt plurimũ exigere debet, vt plurimum enim huiusmodi Socij sunt solùm per litteras noti Generali. Quare videtur statuendum, vt Prouincialis quicumq; seriò cum suis Consultoribus, vel alijs quatuor grauioribus viris, qui de huiusmodi rebus iu-

c. 457.

c. 117. & 118.

dicare possunt, consideret, *An* aliqui sint Viri insignes in Iure Canonico, habeant illustria talenta ad concionandum, vel gubernandum &c. & hi singuli teneantur quoq; scribere iudicium suum ad Generalem, vt in simili de Examinatoribus ad professionem sub finem quar-
c.432. ti anni Theologiæ præscribitur dec. 97. Cong. 7. 5. Cum dec. 96. eiusdem Cong. 7. dicatur, *Theologiæ Doctores, de quorum eximia eruditione nulla dubitatio foret, examinandos non esse; dubios verò examinandos esse, qui si mediocritatem non excedunt,* ad *quatuor votorum Professionem admittendi non erunt.* Explicandum videtur, quid significent illæ voces, *Qui si mediocritatem non excedunt;* vel addendum, *nisi iudicentur habiles ad docendam Philosophiam, ac Theologiam cum satisfactione,* haud esse illi professionem quatuor votorum concedendam; imò nec videri potest talem Doctoratum satis esse ad hoc, vt illis etiam Trium votorum professio concedatur. Omnibus enim constat, quam facilè maximè in Italia illis, qui vel leuissimam Philosophiæ alicuius quæstionis, vel Theologiæ cognitionem habuerint, insignia Doctoratus in vtraq; facultate cõcedantur. Hanc tamen professionem faciliùs illis cõcedere poterit Generalis, etiamsi non habeant dona Dei aliqua rara, maximè si sint homines benè meriti, & valde deuoti, vt dicitur p. 5. c. 2. §. 3. L. C. 6. Cum Cong. 6 dec. 15 censuerit,
c.351.&352 cum *socijs, qui mediocrem rerum Theologicarum cognitionem habuerint, quæ sufficere ad infidelium, & hæreticorum conuersionem possit, quique insignes alioquin in litteris humanioribus fuerint & plures annos in ijsdem docendis cum laude strenuè laborauerint* (Si *cętera non desint, quæ in Constitutionibus requiruntur) dispensari posse, vt ad Professionem quatuor votorum promoueantur; & si prædictam rerum Theologicarum cognitionem eos non habere contigerit, & nihilominus cætera, quæ dicta sunt adfuerint, dispensari posse, vt ad trium votorum Professionem promoueantur; idemq;* fieri posse censuit *etiam cum socijs, qui apud Indos vtiliter laborantes, eorum linguis cum fructu addiscendis operam dederunt;* videtur statuendus annorum numerus, in quibus promouendi ad professionem quatuor votorum debent cum laude humaniores litteras docuisse. Certè videtur statuendum, quod hæc dispensatio non fiat solius P. Generalis iudicio, sed ad plura suffragia quinq; sociorum, qui designati sint à Generali, vel prouinciali ad iudicandum, An qui proponuntur à Prouinciali pro Professione quatuor votorum, sint re vera insignes in litteris Humanioribus, & re vera cum laude plures
c.436. annos in ijsdem docendis strenuè laborauerint. 7. Seuerè custodiatur id, quod dicitur in fine dec. 32. Cong. 7. vt qui in Primo examine iudicati sunt non habere iam litterarum sufficientiam, quæ ad Professionem quatuor votorum exigitur, ad Secundum Examen non admittantur, *nisi rariùs, & cum dubium aliquod de aptitudine intercessit.* Id autem non concedat Generalis, nisi ad plura Assistentium suffragia. Ne-

gia. Nemini ſaltem concedat Generalis, vt poſſit pro ſecundo examine eligere pro libito Examinatores, licet ceteroqui eſſent ad examinandum habiles. 8. Cum in fine p. 3. c. 18. Ordin. General. dicatur *Ab hoc examine excipiendi videntur omnes, qui pro dignitate, & cum ſatisfactione audientium Philoſophiam, vel Theologiam profeſſi ſunt, aut profitentur: vel qui actum Generalem manè, & veſperi* in *Theologia habuerint, ſi ijs Patribus, qui Prouincialis iudi io diſputationibus intereſſe debuerint, ſatis fecerint:* Videtur addendum, quod iudicium, an aliqui cum ſatisfactione, & pro dignitate Philoſophiā, ac Theologiam, legant, non ſit ſolùm penes Prouincialem, vel Generalem, ſed penes quatuor alios, qui de hoc, & præſentes iudicent, & cum eſt dubium de hoc, illi examinentur. Præterea videtur addendum, vt qui actum Generalem mane, & veſperi in Theologia habituri ſint, ille totum Scholarū tempus, antemeridianū, & pomeridianum occupet vel ſaltem ad quaternas horas hi actus producātur; vt dicitur Reg. 9. Præfecti studiorum; & ſub pœna peccati mortalis, ac inhabilitatis omninò ad Profeſſionē interdicatur, ne diſputaturus indirectè etiam curet habere antecedenter cognitionem Concluſionū, quas argumentātes oppugnaturi ſint, & multò minùs argumentorū quę certas Concluſiones oppugnabunt, vel argumentātibus proponātur Concluſiones oppugnādę; Dum verò dubiū fuerit de huiuſmodi fraude, iterū ſubijciātur examini per duas horas, vt ſubijciūtur illi, qui hoſce Generales actus non habent, vt dicitur in fine n. 3. dec. 33. Con. 7. 9. Cum *hi examinatores iuramento teneantur tam de non reuelandis ſuffragijs ſuis, quam de ſincero iudicio, & eorum, qui examinati ſunt, aptitudine, ac eruditione ferendo*, vt dicitur n. 4. illius dec. 33. ſi in hoc eraſſe deprehendātur, ſeueriſſimè caſtigentur, tanquam iuramenti violatores, & parùm ſolliciti de re, quæ tanquam maximi momenti ad ſtatum ſocietatis conſeruandum iudicata eſt ſemper à prudentiſſimis, ac pijſſimis Viris. 10. Cum hoc exa[illegible] coram Prouinciali, aut certè Rectore illius Collegij, in quo fit examen, ex n. 4. p. 3. c. 18. Ordinat. General. fieri debeat, puniendus eſſet Prouincialis, vel Rector, qui dum fit examen, ſcriberet litteras, legeret librum &c. nec attenderet, an Examinatores reuera munere ſuo fungerentur. 11. Cum Formula Paulo Tertio propoſita poſtulet, vt *ſint prudentes in Christo* ad profeſſionem admittendi, & præterea addat Formula Iulio Tertio propoſita, *vt ſint omninò humiles*; eaſdemque voces addat Greg. 13. & vt *multùm, diuq; exercitati ſint, ac in varijs probationibus virtutis, & abnegationis ſui ipſorum ſatis cogniti ſint*, poſtulet Greg. 14. vt etiam conſtit. p. 10. §. 7. quę etiam p. 5. c. 2. §. 1. magis id explicant dicentes, quod *debeant ſatis profeciſſe in rebus ſpiritualibus, & corporalibus, quæ* ad *profectum in humilitate, & abnegatione vniuerſi amoris ſenſualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei conferunt*; videtur ſtatuendum, vt

iudicium

Margin notes: c. 119. — In Rat. Stu. c. 31. — c. 438. — c. 118. — In Bull. c. 15. & 1. 127. & 111.

iudicium an promouendi ad Professionem habeant hasce virtutes, vel in illis satis profecerint, non committatur solùm Prouinciali, vel alijs ab ipso designatis, sed hoc iudicium fit penes Congregationem Prouincialem, quæ singulis quibusque triennijs cogitur. Et certè, quanam ratione meliùs executioni mandabitur id, quod dicunt Constit. p.10.§.7. dicitque Greg.14. admittendos ad Professionem viros, qui *in varijs probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorũ, cum omnium ædificatione, & satisfactione* satis cogniti fuerint; quam de hac ædificatione & satisfactione, certior fiat à Patribus Congregationum Prouincialium, quorum commune suffragium de virtutibus, quę reddant Socios idoneos, vt ad Professionem quatuor votorum admittantur, moraliter non potest esse suspectum? 12. Cum Formula Paulo Tertio
In Bull. c. 15. 67. proposita exigat, quod admittendus ad Professionem sit *diu ac diligentissimè probatus*; Formula Iulio Tertio proposita exigat, quòd *diuturnis, & diligentissimis probationibus eius vita, & doctrina explorata fuerit*; idq; dicat etiam Greg.13. addens, *Et in ministerijs huiusmodi* (hoc est verbi Dei, sacrarum, & Scholasticarum lectionum, Pœnitentiæque, & Eucharistiæ Sacramentorum, de quibus paulò ante mentionem fecerat) *prius diu, multùmq; versatos vocatio hæc requirit*: & Greg.14. apertè voluerit, & mandauerit Constitutiones (in p. 16. §.7.) & Diplomata Pontificia omninò obseruari, *quæ statuunt selectos tantùm spiritus, & doctrinæ viros, & multùm, diuq; exercitatos, ac in varijs probationibus virtutis, & abnegationis sui ipsorum, cum omnium ædificatione, & satisfactione, satis cognitos ad Professionem esse admittendos*; statuendum videtur, vt non solùm Nouitiatus, ac studiorum tẽpore probetur exactissimè virtus eorũ, qui aliquando ad professionem admittendi videntur, & peculiariter Superiores ijs occasionem præbeant exercendi *Obedientiæ, & Paupertatis virtutem* eosdem tentando ad maiorem ipsorum vtilitatem spiritualem, vt dicitur p.3. c.1.§.23. L.V. verum etiam nullus omninò ad Professionem admittatur, nisi integrum annum post absoluta studia impendat Tertiæ
à c. 23. ad 36 probationi iuxta Exam. c.1.§.12.c.4 §.16. & 43.c.6.§.8. & p.5.c.1. §.3. ibiq; exerceantur iuxta id, quod dicitur p.5.c.2.§.1. doceatq; c.3. Ordin. General. Imò postea quoque probetur, quantum profecerit in virtutibus, præsertim in sui contemptu, obedientia, fraterna Caritate, simplicitate, paupertatis affectu, modestia, amore instituti, idque per aliquot annos; neque enim mos fuit antiquioribus Societatis temporibus, vt post quadriennium absolutis studijs promouerentur socij ad Professionem, etiamsi ceteroqui habiles ad illam forent, sed eorum promotio non rarò ad trigesimum, & quandoq; quadragesimum à Societatis ingressu annum differebatur. Multo minùs fuit mos superioribus societatis annis, vt paulò antequam ad professionem admitterentur aliqui ad professionem, monerentur de eorum

defectibus, qui eos cæteroqui retardare deberent à Professione; sed differebatur Professio, quousq; plane constaret eos se emendasse. Si diligentissimè hæc, quæ innuimus, executioni mandentur, futurum est certè, vt non sit tam amplius professorum numerus, vt in vna tantùm Prouincia, ex triginta, & amplius Prouincijs quas habet societas, numerati sint non multis ab hinc mensibus plusquam centum, & septuaginta Professi; cum tamen, licet S. Ignatius ad cælum abiens reliquerit duodecim Prouincias, in illis omnibus non numerarentur, nisi trigintaseptem professi, vt habet expresse initium lib. 1. tom. 2. Historiarum societatis. Hæc amplitudo Professorum in Prouincijs causa fuit, vt Cong. 5. derogauerit Constit. p. 8. c. 3. § 1. in quo dicebatur *Conuenient autem, & suffragij ius habebunt in ea* (idest. Congregatione Prouinciali) *Professi omnes Prouinciæ, qui interesse poterunt.* D. 24. 38. 60 & 81. c. 288. 297. 315. & 337.

12. Nonnisi octo, aut decem pro singulis Prouincijs in singulos annos spatio decem aut duodecim annorum ad societatem admittantur. Illi certè eligentur inter cæteros aptissimi, multorumq; vitabitur otium, cum horum opera necessariò adhibenda foret in nonnullis ministerijs, & maximè in munere docendi litteras Humaniores; ac præterea Generali magis perspectus esse poterit Societatis status, qui per litteras frequenter missas ad Generalem illi innotescit. Cum enim aucta societate, aucta fuerint quoque negocia, moderatio fuit adhibenda in litteris ipsis, quæ ad Generalem scribuntur, & derogandum à Cong. 2. p. 8. c. 1. §. 9. L. L. M. N. Et Instructio peculiaris conscribenda de moderatione in dandis litteris ad Generalem adhibenda & Cong. 7. dec. 91. sustulerit à Consultoribus tam Prouincialium, quam localium Superiorum obligationem, quam habebant ex Ordinatione P. Claudij anno 1600. scribendi quater in singulos annos ad Generalem, eumq; certiorem faciendi de statu Prouinciarum, & singulorum Collegiorum, singularumq; Domorum. Diminuto quoq; Sociorum, adeoq; defectuum, numero imminuetur etiam numerus tot Regularum, Instructionum, Ordinationum tùm Generalium, tum prouincialium, ac visitatorum, tot obedientiæ præcepta, quæ in dies multiplicantur in societate. Decrescente sociorum multitudine augebitur in societate studium perfectionis, & propriæ, & alienæ, æmulabunturq; pauciores feruorem sociorum, dum pauci erant numero; neque *enim quantitate numeri* (vt habet S. Chrysostomus) sed *gratia spiritus vim suam iusti homines tenent.* Quibus verbis ex Crisost. de Virtut. & Vit. allatis subdit P. Claudius in litt. de Renouat. spirit. datis ad societatem anno 1583. *Sic enim Apostoli duodecim numero, pauci instar fermenti, maximam orbis terræ massam fermentarunt. Sic omnibus ætatibus in Ecclesia Dei homines non magno numero, sed magna vi, ac virtute quid efficere possent, cum illustri orbis terrarum emolumento declararunt. Sic denique (domestica enim exempla non desunt) primos*

In lib. Instr. Instr. 9. c. 49

In lib. Decr. c. 469

c. 135.

illos So-

illos Societatis noſtræ Patres admodum paucos, induſtriæ ſuæ fructus tuliſſe ſcimus tantos, quantos Dei beneficio ipſi videmus, ac fruimur vidit P. Mutius in præſenti ſociorum multitudine primigenij Societatis ſpiritus in proximorũ auxilio defectum; nam in litt. ad Patr. Cong.
445. e 446 Prouinc. ſcriptis anno 1619. ſic inquit, Zelus inſuper animarum ſanè, quam refrigeſcit in multis, nimiſque verum eſt, paucis nos eſſe contentos, & à nobis occupationes aſſumi, ac miniſteria ex voluntate potiùs traducendi tempus, quam ex ſincero, ardentique deſiderio, & fame ſalutis animarum. Eſt etiam qui, ſi velit, duorum inſtar eſſe queat; ſed ne ſibi incommodet, ne vnius quidem partes expleat. Hinc porro fit, vt cui muneri olim ſatis forent quatuor, ne viginti quidem, vt ſunt hæc tempora, ſufficiant. Certè cum ipſe mecum reputo, quid illi Primi Decem Patres effecerint; quid aliàs item hæc ſola Profeſſa Domus Romana cum operarum numero ſanè perexiguo, digna res mihi prorſus videtur, in qua omnes erubeſcamus, vt verè operit faciem meam confuſio. Hũc pertinet, quod memini eueniſſe anno 1563. Nobilis quidam Romæ, vbi aliquamdiu moratus erat reuerſus in patriam, & interrogatus à ſuis, quid omnium vidiſſet Romæ pulcherrimum, planiſſimè reſpondit, Societatẽ Ieſu. O quam vellem his noſtris temporibus liceret id ipſum affirmare non ſolùm de vrbe Romana, ſed de alijs quoque, vbi ſedem, ac domicilium Societas noſtra collocauit. Hinc meritò idem P. Mutius in litteris anno Societatis centeſimo ad vniuerſam Societatem datis hæc reponit. E veramente, Padri, e Fratelli miei, non douiamo troppo, ne ſolo compiacerci nel vedere la Compagnia in vn ſecolo ſparſa, e moltiplicata ſi ampiamente
41. & 42. di numero; che già hà paſſati di tanto i termini d'vn mondo: ne hà da eſſere la noſtra cura il ſapere, quanti ſiamo; ma quanto buoni, quanto edificatiui, quanto ſolleciti della ſalute propria, e ferventi in quella degli altri, quanto zelanti della gloria di Dio, quanto oſſeruanti, & eſſecutori delle noſtre Sante Regole, & Ordini. Queſto è in gentem magnam, & ſicut Stellas Cœli. E' perciò Dio nella benedittione d'Abramo, non fece gran caſo della moltitudine de ſuoi poſteri, ne diſſe, come nota il medeſimo Filone, faciam te in gentem multam; ma ſi bene magnam: ſciens multam per ſe imperfectam eſſe, niſi accedat vis intelligentiæ, ſcientiæque; che è la virtù, in cui coſiſte la perfettione, e grandezza noſtra, ſimile alla grandezza, e perfettione delle ſtelle. Nulla quidem aptior videtur ratio ad Reformationem ſocietatis maggis opportuna, quam ſi in hoc opera ponatur, vt ſociorum numerus valde imminuatur; Et eo notabiliter in minuto recipiãtur ad Probationem pauci ſed ſelecti iuxta Conſtit. & præcipua in hoc ab omnibus ſuperioribus, & alijs qui executionem promouere poſſunt collocetur opera, vt magis in Virtutibus, & ijs maximè, quas requirunt Conſtitutiones, quam in litteris progreſſum faciant, nulla exteriorum donorum, ingenijve ratione habitas, ſi minus ſpirituales ſint quicumque illi ſint.

CAPVT

Caput Septimum.

De Reformatione circa Congregationes Prouinciales, ac Generales.

P.º *Pono.* Congregationem quartam dec. 37. ſtatuiſſe, vt quotieſcumque cogenda eſt Cōgregatio Generalis, fiant Congregationes Prouinciales ad eligendos eos, qui comitaturi ſint prouincialem, nec liberum relinquatur id quod eſt in p. 8. c. 3. §. 1. vt ſcilicet ij cum prouinciali venire poſſint ad Generalem Congregationem, quos Generalis ipſe, aut eius nomine prouincialis elegerit. Et licet hæc derogatio Conſtitutionibus placuerit primo Congregationi concurrente Patrum numero vltra duas tertia partes, ſolutio tamen quæſtionis dilata fuit in ſequentem Congregationem: In qua adhuc illud idem decretum penitus approbatum fuit, licet derogatiuum Conſtitutionum. *Dec. 37 c 39 ea. 258. 259. & 260.*

2. *Pono* Non haberi in Conſtit p. 8. c. 2. §. 1. L. B. quod habendæ ſint Congregationes prouinciales, quando tertio quoq; anno ex ſingulis Europæ Prouincijs Romam procurator mittitur ad Generalem, vt ibi ad plura medietate ſuffragia decernant, cogenda ſit, necne Congregatio Generalis, & vt Generalem de ſtatu prouinciarum plenius certiorem faciant; nam ſolùm dicitur ibi, debere eſſe electum hunc procuratorem *Profeſſorum, & Rectorum illius Prouinciæ ſuffragijs;* imò ſolùm ibi dicitur, *hunc mitti ad certiorem mul is de rebus faciendum Præpoſitum Generalem:* Et tamen Cong. 2. dec 19 ſtatuit, vt tertio quoque anno venirent ſimul ex omnibus Prouincijs procuratores, qui profeſſi quatuor votorum & viri minimè idonei ſint, à *Congregatione Prouinciali, electi, & habeant ius ſuffragij ſimul cum Aſſiſtentibus, & ipſo P. Generali, qui duo ſuffragia, & qualitatem præcedendi habebit, ad decernendum, an cogi debeat Congregatio Generalis nec ne.* Idemq; iterum cenſuit dec. 67. *c 121. Et in Form. Cong. Prou. c. 51. c. 143.*

3. *Pono.* Cong. 5. dec. 23. 38. & 60. derogaſſe Conſtit. p. 8. c. 3. § 1 in quo dicebatur omnes Prouinciæ profeſſos, qui intereſſe poſſunt, debere conuenire, & ius ſuffragij habere in Congregatione prouinciali, quæ ad electionem Generalis cogitur; limitauit enim numerum Congregandorum etiam profeſſorum, cum tamen non limitauerit numerum ſuperiorum &c.

4. *Pono.* Solùm haberi p. 8. c. 2. §. 1. *Illud inprimis ſuppoſitum ſit, quod non videtur in Domino in præſentiarum expedire, vt certis temporibus, aut crebro fiat,* Cong. ſcilicet, & Conuentus Generalis, in Declar. autem ad hj *(crebrò,* hæc addi *(cuiuſmodi eſſet, tertio, aut ſexto quoque anno, plùs, minùs.* vbi perpendendæ illæ voces. In *præſentiarum expedire,*

pedire, & (huiusmodi esset tertio, aut sexto quoq; anno, plus minus.

4. *Pono.* Congregationem sequentem non rarò derogasse Decretis Congregationis antecedẽtis, imò aliquando vnam Congregationem iterum reuocasse obseruantiam Decretorum alicuius Congregationis quæ ab alia Congregatione abrogata fuerant, vt in p. 3. huius libri declaratum est.

6. *Pono.* Congregationem Generalem esse superiorem Generali; suamq; auctoritatem, & iurisdictionem de facto in multis circa illum exercuisse, vt in *cap. 2. p. 1. & p. 2. huius libri ostensum* est. Imò S. Ignatius p. 10. §. 8. vt conseruari, & augeri totum corpus Societatis in suo bono statu possit, dicit, *magnopere referre*, vt *Societas in Generalem multum potestatis habeat.*

Horum autem, quæ sequuntur, videri potest reuocanda, vel inducenda, praxis, vt ex hisce Congregationibus maiora in Societatem commoda importentur.

P.° Si non videatur modò statuendum, vt omnes professi quatuor votorum conueniant ad Congregationes prouinciales; statuatur saltem,
c. 33. vt quando ex dec. 81. Cong. 5. professi congregandi debent conficere duas tertias partes congregandorum, etiam si numerus quadraginta, vel quinquaginta excederetur, illi debeant esse ex professis antiquioribus; neque enim videtur æquum, vt maior, vel maxima pars conficiatur ex Iunioribus professis, eo quod hi sint superiores de facto, antiquioribus, & benemeritis de societate, & qui etiam Collegia gubernarunt, suntue viri omni exceptione maiores, exclusis.

2. Non facilè admittantur excusationes professorum, maximè si sint è primarijs prouinciæ viris, de non accedendo ad Congregationem prouincialem; societatis enim interest, atque expedit illos adesse, illorumq; opera indiget societas in Congregatione. Non habebunt quidem illi in posterum occasionem impedimẽta etiam amplificandi vel excogitandi quo minùs accedent ad Congregationes huiusmodi, eo quod existimare possunt tales Congregationes nihil ferme vtilitatis afferre ad bonum Societatis vniuersale, si mox dicenda executioni mandentur.

3. Per secreta suffragia agatur de cogenda, vel non cogenda Congre-
c. 335. gatione Generali, vt iam statutum fuerat dec. 60. Cong. 5.

4. In ijs deputentur quinque Patres, quibus superiores immediati omnes, cum prouinciali ineantur reddere rationem administrationis; non sit tamen ijs librum vllam imponere pœnam; sed tantum per secretas litteras Generalem faciant certiorem de iudicio habito circa singulorum administratione: & duo ex his eligãtur per secreta suffragia, qui concedere debeant ad eam locum, in quo certior informatio haberi debeat de gubernatione alicuius superioris.

5. Per secreta suffragia eligantur tres aut quatuor, qui proponantur

Generali

Generali pro gubernanda Prouincia, ſiue ſint ex propria, ſiue aliena Prouincia.

6. Per ſecreta quoq; ſuffragia decernatur de habilitate ad gubernandas immediatè ſocietatis Domos, illique proponantur Generali, extra quos non liceat Generali alios conſtituere Superiores, niſi aliquis ex his moreretur, vel neceſſe foret aliquem ab officio remouere, vel in aliam tranſmittere Prouinciam.

7. Decernatur quoque in Congregatione, quinam reuera ſint habiles ad docendam Philoſophiam, ac Theologiam tum ſcholaſticam, tum Poſitiuam cum laude &c.

8. Per ſecreta etiam ſuffragia ſtatuatur, quinam ſint habiles tunc ad Profeſſionem; & illi tantùm proponantur Generali.

9. Per ſecreta etiam ſuffragia decernatur quinam iudicentur dimittendi à Societate ex Scholaſticis, vel Coadiutoribus; & quinam remouendi à gubernatione.

10. Per ſecreta etiam ſuffragia decernatur, quinam iudicentur habiles, vt ſint Conſultores Prouincialium.

11. Quando Congregatio Prouincialis cogitur pro eligendis illis, qui comitaturi ſunt Prouincialem accedentem ad Congregationem Generalem liceat cuiq; etiam non profeſſo, dummodò ſit Sacerdos, per litteras proponere incommoda, quæ ex talis Conſtitutionis, etiamſi ex ſubſtantialibus eſſet, obſeruatione ſequuntur, & quæcumq; coram Deo cenſuerat magis vtilia fore ad ſocietatis ſpiritum augendum: Iæ autem litteræ ad Congregationem Prouincialem mittantur; cuius erit tres aut quinque deputare ad cognoſcendum, an aliquid emolumenti ex ijs pro vniuerſali ſocietatis Bono excepti queat.

12. Moderatio imponatur expenſis, quæ aliquando fiunt in hoſpitio excipiendis Patribus, qui ſuffragium fuerunt in Congregationis, caueaturque diligentiſſime, ne vllus priuatis aliquibus muneribus ſibi conciliet beneuolentiam aliquorum ad hoc vt pro ipſo ferant ſuffragium, cum agitur de electione Procuratorum, vel eorum, qui profecturi ſunt ad Congregationem Generalem.

13. Septimo quoque anno, vt volebat B. Borgia, vel nono quoq; ad ſummum, vt primo cenſuit Cong. 2. dec. 19. Congregatio Generalis habeatur. c.11.

14. Exigat Congregatio rationem à Generali viuente adminiſtrati muneris: & ſi illum peccaſſe deprehendat, eum corrigat, ac puniat, & pro qualitate criminis etiam deponat; ſubſtituat quoque illi vicarium Generalem cum ea poteſtate, quæ prudentia ſuggeret communicandam, ſi illum propter ætatem minus inuigilare poſſit Societatis bono.

15 Congregatio nouos, ſemper aſſiſtentes eligat; deputetq; viſitatores, ſingularum Prouinciarum, vel Nationum.

16. Examinent aliqui Patres deputati à Congregatione ex insignio-ribus in pietate, ac prudentia, *An in aliquo insigne detrimentum alicu-bi Societas passa sit, vel passura timeatur; An seruentur Constitutiones, Decreta, Regulæ, ordinationes: An relaxata fuerit religiosa disciplina; An in spiritu et virtutibus proficiat Societas, an potiùs deficiat: Quomodo vnio animorum se habeat in Societate, & An graue illius labefactandæ periculum metuatur, An Superiores paternè gubernent &c.*

17. Sedulò inuestiget Congregatio, *An Generalis remouerit à guber-natione aliquos quos experientia docuit, esse ineptos, & ingratos omnibus fermè subditis, & qui erant ad exteriora profusi, propriorum amantes commodorum, politicam in gubernando rationem amplectebantur, pro-priorum tenaces sensuum* &c.

18. Antequam eligatur Generalis, decreta fiunt à Congregatione; præterquam enim maiorem habebit libertatem Congregatio Gene-ralis ad concedenda Decreta, quæ spectarent ad ipsum Generalem, faciliùs iudicare poterit, quinam sint habiliores ad Decreta iam con-dita executioni mandanda.

19. Decernatur, ne in aliquibus Decretis, vel Constitutionibus li-ceat vnquam dispensare Generali, qui quoque iuramento astrigatur, ne inconsulta societate procuret sibi facultatem dispensandi: & si contingat dispensari, eo ipso intelligatur cogenda Congregatio Ge-neralis eo modo, quo dicitur p. 9. c. 5. §. 4. vel certè Prouinciales peti-tis suffragijs duorum Præpositorum localium, vel Rectorum, vel duo-rum ex antiquioribus professis cuiusque Prouinciæ decernant, an co-genda sit Congregatio, nec ne.

20. Haud proponantur primo Congregationi discutienda, quæ Ge-neralis attulerit, sed quæ singulæ prouinciæ proponenda censuerunt; fieri enim potest, vt Generalis proponat leuioris momenti, eaq; mul-ta ad hoc vt eorum, quæ proponunt Prouinciæ discussio sibi cum Assi-stentibus post Congregationem, vel eam aliquibus Patribus ab ea-dem Congregatione deputatis committatur: Hos autem facilius est Generali in suam pertrahere sententiam, quam vniuersam Congrega-tionem. Hinc etiam videtur statuendum, vt Generalis haud sit inter eos, qui ad plura suffragia decernunt, Quæ ex propositis reijcienda, & quæ ad Generalem referenda, & quæ Congregationi proponenda.

Caput Octauum.

De Reformatione circa Superiorum electionem, eorumq; Gubernationem, & Durationem.

1. *Pono.* HÆc haberi p. 10. §. 8. *Cum bona, & mala capitis habi-tudo in vniuersum corpus redundet, summopere confe-ret, si*

ret, si electio Praepositi Generalis ea sit, quae in Nona parte descripta est? Et post hanc electionem, illa maximi erit momenti, quae inferiores Praepositi in Prouincijs, & Collegijs, ac Domibus Societatis eliguntur. Nam ferè quales hi fuerint, tales et eorum subditi erant. Superiorum autem immediatorum electio vt rectè procederet, P. Claud. ante annum 1587. Instructionem ad Prouinciales misit quae censeri potest esse eadem cum ea, quae reponitur c. 17. Ordin. Gener. licet aucta ab eodem anno 1595. & iuxta eam Instructionem idem P. Claudius anno 1587. die 28. Martij iussit, Prouinciales post orationem ad Deum habitam, sollicitamque inuestigationem, & consultationem, diligenter ipsum informarent de hominibus idoneis ad gubernandum, vt habetur in litt. de medijs ad Conseruationem Societatis. n.98. / c.198. et 199

2. *Pono*. In Generali requiri. P.° Quam maximam cum Deo coniunctionem, & familiaritatem tam in oratione, quam in omnibus suis actionibus p. 9. c. 2. §. 1. & c. 6. §. 1 L. A. 2. Exemplum in omni virtutum genere, & praecipuè caritatis, ac verae humilitatis p. 9. c. 2. §. 2. 3. Edomationem, & mortificationem omnium inordinatorum affectuum §. 3. 4. Rectitudinem, ac seueritatem mixtam cum benignitate, ac mansuetudine §. 4. 5. Animi magnitudinem, ac fortitudinem §. 5. 6. Doctrinam idoneam, prudentiamque, & in rebus spiritualibus, & internis exercitationem §. 6. 7. Discretionis donum in rebus externis &c. §. 6. 8. Vigilantiam, sollicitudinem, & strenuitatem §. 7. Aetatem, nec valde senilem, nec valde iuuenilem §. 8. L. B. 9. Existimationem, bonamque famam; & si fieri potest, nobilitatem, similiaque externa §. 9. & L. C. 10. Praestantiam in omni virtutum genere, & in benemerendo de societate satis perspectam §. 10.

11. Spiritum paternum & non despoticum vt subditi facilem aditum habeant, eiq; laeti in Domino, ac cōfidenter cor suum aperire aueant ex *Interrogatorio* confecto in Tertia Congregatione pro electione futuri Generalis n. 1. 12. Studium caritatis, & vnionis, quam Constitutiones societatis tantopere commendant *ibidem* n. 2. 13. Sollicitudinem pro obseruantia Constitutionum tum quoad se, tum quoad alios, quoad admissiones, dimissiones, professiones, probationes, paupertatis, & puritatis integritatem, mortificationes passionum, & propriae voluntatis, extirpationem affectus honoris, & morbi ambitionis, carnisque, ac sanguini, absolutamque rationem obedientiae &c. iuxta spiritum, & praxim s. Ignatij p. 9. c. 6. §. 1. L. A & ex *Interrogatorio* n. 3. c.164.165. & 166.]

14. Sollicitudinem etiam, vt liberetur Societas, nedum denuò ab illa non recipiantur, quae non conueniunt societatis Instituto, vt seminaria, Domus Conuictorum, Collegium Poenitentiariorum interesse Inquisitionis Congregationibus ad iudicandum, & figuaturae Poenitentiae &c. ex n. 4. *Interrogatorio*. 15. Non propensionem ad noua Collegia admittenda ex n. 5. 16. Sollicitudinem, vt boni superiores, &

res, & operarij sint in Collegijs ex n. 6. 17. Veritatem cum animi candore, ac religiosa simplicitate, ita vt ab omni humanæ artis suspicione sit penitus liber ex n. 7. 18. Æqualitatem erga omnes in amando, vt non deprehendatur in suspicione acceptionis personarum, nec in agendo videatur sequi, aut proprias passiones, aut illos respectus, qui vulgò humani dicuntur ex n. 8. 19. Studium corrigendi defectus, de quibus admonetur; & quærendi, & sequendi consilia meliora Assistentium ex n. 9. & 10. 20. Zelum maximum perfectionis sociorum ex n. 12.

3. *Pono*. Licet p. 9. c. 6. §. 14. L. I asseratur proportionaliter eadem, quæ in Generali exiguntur, requiri quoque in prouincialibus, alijsque superioribus; attamen p. 4. c. 10. §. 4. specialiter haberi. *Curandum est autem, vt ille, cui Rectoris officium imponitur, magni sit exempli, magnæ ædificationis, magnæ etiam mortificationis in omnibus prauis inclinationibus, et in obedientia præcipuè, ac humilitate probatus; qui donum etiam discretionis habeat, ad gubernandum idoneus, in rebus agendis versatus, in spiritualibus exercitatus sit; qui seueritatem suo tempore, & loco cum benignitate miscere noueret; qui sollicitus, qui patiens laborum, qui etiam in litteris eruditus sit, & demum eiusmodi cui confidere, cuique suam potestatem tutò communicare Præpositi Superiores possint; quandoquidem quo hæc potestas maior erit, eò meliùs regi Collegia ad maiorem Dei gloriam poterunt* Quæ dotes si requiruntur in futuro Rectore, multò magis requirentur in futuro prouinciali, ac Visitatore.

4. *Pono*. P. 8. c. 1. §. 6. L. G. Inter alia Dei dona, quæ ex parte Superiorum ad animorum vnionem conferunt, recenseri præter bonam existimationem, & auctoritatem erga subditos, *habere ac præseferre dilectionem, & curam illorum ita vt subditi sibi persuadeant suum Superiorem scire, velle, & posse benè ipsos in Domino gubernare*: ad quod conferre, habere secum Viros, qui consilio polleant, ait ibi s. Ignatius qui subdit, *Conferet etiam circumspectè, et ordinatè præcipere [illegible] subditos in obedientiæ officio continere, [illegible] superior omni beneuolentia, & modestia & Caritate in Domino quod in ipso est vtatur: ita vt subditi se potiùs ad dilectionem maiorem, quam ad timorem suorum Superiorum possint componere; quamuis aliquando vtrumque sit vtile: eorum etiam arbitrio aliquid relinquendo, cum probabile videbitur, quod eos id iuuabit: aliquando etiam eis ex parte aliquid indulgendo, & compatiendo, cum videretur id posse magis conuenire*.

5. *Pono*. Ex p. 3. c. 1. §. 15. teneri superiorem in correctionibus, & pœnitentijs iniungendis *habere rationem dispositionis personarum & ædificationis* vniuersales, & particularis earum ad gloriam Dei. Subditur autem L. N. In Correctionibus (licet prudentia rebus particularibus adhibita hunc ordinem mutare posset) est aduertendum, quod *primò in Caritate, ac dulcedine, qui peccant sunt admonendi*: secundo in

caritate

caritate quidem, sed eo tamen modo, vt eis confusio, & rubor inijciatur: tertiò amori ea, quæ timore incutiant, adijciantur. Hæc reponuntur in Reg. 27. & 28. Præp. & Reg. 26. & 27. Rect. Peculiariter quidem p. 9. c. 2. vbi agitur de dotibus Generalis, §. 4. hæc dicuntur. *Eo modo didicerit rectitudinem, ac seueritatem necessariam cum benignitate, & mansuetudine miscere, vt nec se flecti sinat ab eo, quod Deo, ac Domino Nostro gratius fore iudicauerit; & tamen filijs suis, vt conuenit, compati nouerit: eo modo se gerendo, vt etiam qui reprehenduntur, vel corriguntur, quamuis secundum inferiorem hominem quod agitur displiceat, agnoscant nihilominùs, quod rectè in Domino, & cum caritate ille suum officium faciat:* De quo legatur c. 2. lib. Industr. maximè in fine. In lib. Regu. ca. 79. 98. & 99. ca. 28. & 29.

6. *Pono*. In vtraque Instituti Formula Paulo Tertio, & Iulio Tertio proposita hæc haberi, dum sermo est de Præposito Generali. *In Prælatione sua, benignitatis, ac mansuetudinis, caritatisque Christi, Petri, Paulique Formulæ semper sit memor.* Iuxta hæc conscripta est Regul. 3. Prouinc quæ sic habet. *Imitetur in gubernando caritatem, mansuetudinem, & gubernationem Christi Domini nostri, vt iuxta eam normam, quam tradiderunt Apostoli, non dominans, sed forma factus gregis ex animo, exemplo magis, quam verbo subditos ad perfectionem dirigat.* Horum verborum, quæ in Formula Instituti leguntur, mentionem latè facit P. Claudius in litt. de Fel. Progr. Soc. In Bull. c. 1. & 64. In lib. Regu. ca. 1. 2. & 33. c. 14.

7. *Pono*. Teneri superiorem aliquando intra annum in officijs humilibus se exercere p. 3 c. 1. §. 19. & docere Doctrinam Christianam quadraginta dies p. 4. c. 10. §. 10. Declarauit autem Cong. 2. dec. 65. id debere præstari intra annum, postquam officium Rectoris inierit continenter quadraginta diebus, vel interpolatis: primò quidem quemadmodum solet doceri pueri, deinde etiam per conciones, si ita superior censuerit. Et de S. quidem Ignatio legitur in Bulla illius Canonizationis. *Post receptum munus* (Generalatus scilicet) *vt eos, quos in Constitutionibus ad humilitatem hortatur verbis, firmaret exemplo; primùm quidem in coquina ministerijs aliquot versatus est dies: tum docere aggressus est pueros, & rudes Doctrinam Christianam.* c. 142. c. 141. In Bu. c. 3 33.

8. *Pono*. Licet superiores possint, imò aliquando debeant subditis p. 3. c. c. 1. §. 23. L. V. præbere occasionem exercendi Obedientiæ, & Paupertatis Virtutem; teneri tamen vitę necessaria pro cuiusque indigentia prouidere p. 6. c. 2. § 16. L. N.

9. *Pono*. Præcipuum vinculum ad membrorum societatis inter se, & cum suo Capite vnionem p. 8. c. 1. §. 8. recenseri amorem Dei, ac Domini Nostri Iesu Christi: *cum cuius diuina, ac summa bonitate* (inquit S. Ignatius) *si Superiores, & Inferiores valde vniti fuerint, perfacilè inter se ipsos vnientur.*

10. *Pono*. Part. 9. c. 3. §. 14. Sic haberi de Generali. *Constituat idem, vt dictum est, per se ipsum Rectores Collegiorum, & Vniuersitatum, ac*

Præpo-

Præpositos locales Domorum, quos aptiores fore iudicauerit. Prouinciales itidem Præpositos ad triennium vt plurimùm (quamuis, & contrahi, & prorogari etiam id spatium temporis possit, quando ad maiorem Dei, ac Domini nostri gloriam id fore iudicabitur. In lib. autem I. ibi subiungi. Cum ijs, qui benè suum officium faciunt, & ei possunt satisfacere, in triennij definito spatio nihil deperit: quandoquidem hoc tempus & contrahi, & prorogari poterit: cum ijs, qui se parùm idoneos ostenderent, id commodi accedit, vt sine nota, cursu triennij peracto, remoueri possint: nisi ante id tempus, ratione vniuersalis boni, Generali remouendi viderentur. Censuit autem tum Cong. 2. dec. 68. Vt trien-
c. 144. nium designatum est Prouincialibus, quo officium gerant suum, non
c. 294. videri similiter agendum in Rectoribus; tum Cong. 5. dec. 35. statuens nullum certum tempus præfigiendum superiorum localium officijs; solumque vehementer commendauit P. Generali, vt diligenter curaret, ne præfecturæ istæ societatis nimis diuturnæ essent, aut prolixè continuarentur. Cum autem statuisset Clemens Octauus, vt *Prouin-*
d. 64. c. 328 *ciales, atque Rectores, exceptis, qui sunt in Domibus Nouitiorum, non durarent vltra triennium, sed vacarent saltem per annum, in quo obedirent, sicut cæteri;* & decretum amplexa fuisset Cong. 5. anno 1594. P. Claudius illud curauit abrogandum, quoad Superiores Locales, à Paulo 5.
In Bu. c. 309 & 512. in Bulla de Instituti Confirmatione edita anno 1606.

Horum autem, quæ sequuntur, inducenda, vel reuocanda praxis videtur, vt ex illis quæ ad Superiores spectant, maiora Societati commoda importentur.

P.º Cum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ex p. 8. c. 6. §. 2. *Teneatur quisque Vicario, vel alicui ex antiquioribus Professis manifestare, si sciret aliquem Generalatus munus affectasse, vel etiam tunc quando agitur* de electione *Generalis affectare, directè, vel indirectè procurando id, vel signo aliquo declarando*: Eademque censura extensa fuerit à Congregationibus Generalibus *in omnes de Societate, quicumque &*
Iulij. Ferm. c. 13. *vbicumque sint, qui ab obitu P. Generalis, ad electionem vsque pro se, aut pro alijs ambierint; vel qui cum personis Societatis, aut cum externis, cuiuscumque status, & conditionis sint, egerint, aut tractauerint, vel litteras, aut fauorem Prælatorum, Principum, aut aliorum procurauerint ad quamuis nationem, vel particularem personam promouendam ad Generalatum, vel excludendam*: Socius quisque sedulò inuigilet tum ne in his peccet, tum vt si quem certò moraliter sciat e socijs peccasse contra hæc, vel conatum fuisse aliquo modo etiam indirectè impedire sinceritatem, aut libertatem electionis Generalis, deferat ad Iudices Ambitus, maximè si sit periculum imminens, & nequeat ipse illud impedire; est enim res grauissima, quæ in maximam communis Boni societatis, imò etiam Ecclesiæ, perniciem vergit, si non omninò sincerè, ac liberè, & extra omnem ambitionis speciem electio Generalis fiat.

Certè

Certè cum Constitutiones velint, *dum probationes suspicionem tantùm valdè probabilem, sed non fidem certam faciunt de alicuius ambitu, cum non esse ad electionem idoneum, & quæsita aliqua occasione, remouendum quidem esse ab ea Congregatione*; si probationes faciant suspicionem tantùm probabilem, videtur omninò ille non esse aptus ad Generalatum, etiamsi non relegandum esse censeretur à Congregatione. Suspicionem autem probabilem, si non valde probabilem, facerent probationes, quod aliquis sibi peculiariter deuincire studuerit illos ex socijs, qui promouere poterant ad Generalatum, erga istos summæ beneuolentiæ argumenta exhibuerit, de aliorum amore, & caritate parum sollicitus; consultò explorauerit, indagauerit defectus eorum, quos sibi Competitores in Generalatu futuros nouerat; per varia munera sibi conciliare conatus fuerit beneuolentiam eorum, quorum gratia, & fauor habere poterat momentū, vt ad Generalatum eueheretur; fuerit remissus, & indulgens in disciplina religiosa, ex nulla, vel perleui causa eximens subditos Regulis, atque Ordinationibus, ex disciplinæ, Regularumque iactura compendium sibi, vt loquitur P. Mut. in litt. Ad Superiores, beneuolentiæ venantes ad hoc vt multos possint habere promotionis ad Generalatum patronos. Possunt autem hæc & similia argumenta attenta Socij qualitate, attentisque circumstantijs reddere suspiciorum magis, vel minùs probabilem. c.416.

2. Puniendi seuerissimè, qui falsò aliquem ad Vicarium, vel Deputatos Ambitus Iudices aliquem detulisset tanquam reum de ambitu pro se, vel pro alijs, vel qui aliquo modo conatus fuerit impedire electionis sinceritatem, ac libertatem; siue qui in ijs quæ denuntiarent; malignè aut calumniosè egresse deprensi fuissent; neque vllo modo permittatur, vt habet dec. 93. Cong. 7. *vt impunita criminandi, ac detrahendi libertas cuiquam maneat*. Illo Generalatus munere dignissimus facilè excluderetur, nisi calumniæ (quibus faciliùs expositi sunt superiores, quam alij p. 9. c. 4. §. 7. in fine L. E.) sedulò examinarentur, & calumniatores, detractoresque acri mulctarentur pœna; imperfecti enim, & minùs obseruantes haud libenti animo amplectuntur Præsidem, qui sit vir eximiæ probitatis, ac studiosum perfectionis studiorum. c.470.

3. Non eligantur Assistētes Generalis, nisi qui saltem Prouincias cum laude gubernarint; neque enim ex nullius, aut vnius Prouinciæ gubernatione certitudo moralis haberi facilè potest, quod ij in assistentium munere futuri sint tales, quales eos requirunt Constitutiones p. 9. c. 5. §. 2. & dec. 80. Cong. 1. ac ipsorum Regulæ; in quarum primæ initio hæc leguntur. *Quo Assistentes propiùs Generali adsunt, vt eum in vniuersa Societatis gubernatione adiuuent, eò etiam propiùs, eius virtutes, quæ in nona parte Constitutionum declarantur, imitari debent*. Et in ijs quæ ad Corpus pertinent, hoc maximè attendatur, ne eligantur c.61. c.103.

unquam valde senilis, aut valde iuuenilis ætatis vt dicitur de Generali §.8. L.B.c.2.p.9. quia *valde senilis ad labores, & curas huius officij idonea esse non solet, & valde iuuenilem nec auctoritas, nec experientia, quæ conuenit, comitari solet*. Quod hic dicitur de Iuuenili ætate secundum se applicari commodè potest ætati iuuenili respectu gubernationis.

4. Cum ad octauum vel nouum annum cogitur Congregatio Generalis, illi qui ab eadem deputabuntur ad exigēdam rationem eorum, quæ gessit Generalis, sint viri pietate, prudentia, & amore in societatem, ac propensione in commune bonum inter cæteros præstantissimi, & qui ab omni prorsus ambitionis, humanorumq; respectuum suspicione sint penitus liberi. Et Congregatio ipsa in ferendo iudicio de gestis à Generali ostendat re ipsa se bonum societatis vniuersale præferre bono particulari illius personæ, quæ ad illam vsque diem Generalis munus obiuit nulli in societate coactus reddere rationem illorum, quæ egit, amplissimam in agendis habens auctoritatem, ac potestatem.

5. Sub iuramento Procuratores electi in Congregatione Prouinciali adstringatur ad sollicitè Romæ cognoscendum, *Quomodo mente, & corpore valeant Generalis, & assistentes*, idque ad Prouincias referre redeūtes: & si in hoc minùs veraces deprehēsi fuerint à sequenti Congregatione Generali puniantur, etiamsi sint inter eos, qui Generalem electuri sunt, vel iam elegerunt.

6. Congregatio Generalis substituat aliquem, tanquam Vicarium Generale, qui deprehensus fuerit minùs valere mente, vel corpore: remoueatq; ab officio assistentem illum, qui in alterutro ex his peccauerit. Salubrius tamen societati fore censeri posset, si quotiescumq; cogitur Congregatio Generalis, assistentium mutatio fieret, vt re ipsa iubentibus Summis Pontificibus Clemente Octauo, & Paulo Quinto factum & anno 1594. & 1608. dum sub Generalatu P. Claudij duæ coactæ fuerunt Congregationes Generales.

7. Statuatur, vt nulli ex illis, qui Procuratores Romam mittuntur, per biennium saltem nulla societatis gubernatio committi possit; sic enim magis libera erunt eorum suffragia pro cogenda, vel non cogenda Congregatione Generali.

In lib. Decr. n.14. 15. 16. 17. 8. Si non possit haberi Generalis, in quo sint qualitates requisitæ à Constit. p.9.c.2. ex quo maxima ex parte desumptum est Interrogatorium confectum in Cong. 1. certè nullo modo desint *Eximia probitas, Amor erga Societatem, Iudicium bonum, ac idonea Doctrina*, vt habetur in fine eius c.2.p.9. & Interrogatorij à Cong. 1. confecti. Quod idem dicendum, dum non possent haberi superiores immediati cum illis omnibus dotibus, quas requiruntur in ipsis eædem Constit. p. 4. c. 10. §.4. Et *primo* quidem *loco* recensetur *Probitas*, & nota

quæcum-

quæcumque, *sed eximia*; debet enim Superior iuuare cæteros sibi subditos in omni virtutum genere. *Secundo loco* recensetur, *Amor in Societatem*; tum quia hic illum compellet, vt particulare bonum cuiusq; præferat bono vniuersali Societatis iuxta id quod dicitur p.1.c.3.§.16. & p.2.c.2.§.3. tum quia si amabit societatem obseruabit Constitutiones, earumq; obseruantiam curabit iuxta spiritum, & praxim S. Ignatij semoto omni peregrino, & à Societatis Instituto alieno spiritu, quod in Generali requisiuit nominatim Cong.3. in Interrogatorij n.3. & p.2.c.17. de aptis ad Gubernandum in lib. Ordin. peculiariter inter capita Informationis de idoneis ad gubernandum hoc peculiariter ponitur, *An sensus habeat proprios, & peculiares, non consentaneos modo Societatis*: Hic idem amor superiori suadebit, vt se peritum reddat Instituti Societatis crebra Constitutionum, ordinationumq; lectione, administrationem suam ad illas dirigat, nec leui causa in illis vel secum, vel cum alijs dispenset. *Tertio loco* recensetur *Iudicium Bonum*, siue Prudentia, & hæc quidem in alios gubernante residere maximè debet, sed non debet esse humana siue politica, sed spiritualis, habens sibi propositæ subditorum perfectionem per media ipsis proportionata, quæ pro varietate personarum, temporum, ac locorum multiplicia esse queunt. *Quarto loco* recensetur *Idonea Doctrina*; præest enim Generalis multis viris eruditi vt dicitur p.9.c.2.§.6 & cum debeat Rector curare, vt Scholastici tum socij, tum externi in virtutibus, & litteris proficiant, & maximè socij p.4.c.10.§.5. hinc §.4. dicitur Rectorem debere esse in litteris eruditum. Cum autē ex Coadiutoribus spiritualibus ordinariè constitui Rectores iubeant Constitut. p.4. c.10. §.3. doctrina in ijs requisita tum §.4. tùm in Ex.c.1.§.10.& c.6.§.1. est illa per quam sint habiles ad iuuandam Societatem in audiendis Confessionibus, in exhatationibus, in Doctrina Christiana, & alijs litteris edocēdis ex §.2. eiusdem c.6. Exam. Applicari tamen potest Superioribus immeditatis proportionaliter id, quod de Generali dicitur p.9.c.2.§.6. *Quamuis Doctrina valde ei necessaria sit, qui tam multis viris eruditis, est præfuturus; magis tamen est necessaria prudentia, & in rebus spiritualibus, & internis exercitatio, ad varios spiritus discernendos; ad consilium, ac remedium tam multis, qui necessitatibus spiritualibus laborabunt, adhibendum.*

9. Non eligantur prouinciales, nisi qui cum laude gubernarint tria saltem Collegia, quorum vnum sit e supremo societatis Collegiorum genere. Vt verò magis sincerè electio prouincialium fiat, proponat Congregati prouinciales tres, aut quatuor Generali, cui liberum sit tamen vnum, qui sibi magis arriserit, eligere ex illis quatuor.

10. Quia experientia patere potuit eo quod non reddant Superiores rationem administrationis, vt opus esset, & modum hactenus habitum tum in visitandis Prouincialibus, tum in reliquis Superioribus

Ss 2 nullum,

nullum, aut certè perleuem fructum attulisse societatis, indeque illa commoda maxima societati importata, deputentur in Congregatione Prouinciali tres aut quatuor ex viris omni exceptione maioribus in qualibet prouincia, ad quos deferantur accusationes subditorum aduersus Prouinciales, superioresq; immediatos, & qui audiant eorum c.293. defensiones iuxta id quod propositum fuit in Cong. 5. dec. 33. ac postea iudicium suum ad Generalem scribant, qui ad plura suffragia vna cum Assistentibus decernant, An illi digni sint aliqua pœna, an potius subditi accusatores, eamque de facto imponat.

11. Non eligantur superiores, nisi homines valde Deo coniuncti in oratione. Et hanc quidem dotem nō solùm tanquam primam s. Ignatius p.9.c.2.§.1. inter dotes Generalis reposuit, verum etiam p.4.c.10 §.5. apertè dixit. Rectoris officium erit, in primis oratione, & sanctis desiderijs totum Collegium, velut humeris suis sustinere. Quod reIn lib. Regu. c.73.& 92. In lib. Epist. c.90 & 26. positum est in Reg. 2. Præp. & Reg. 1. Rect. & notauit quoque P. Claudius in litt. de Fel. Progres. societ. Hinc P. Mutius in lit. ad super. hæc habet. *Sint igitur in sancta precatione quam exquisitissimi, in excussionibus conscientiæ, cæteraque rerum omnium spiritualium tractatione: quo in ludo germanam illam piè, paterneque regendi rationem; quam Institutum nostrum deposcit, baurimus.* His orationi deditis in primis Collegiorum, Domorumque societatis demandabat B. Borgia, vt habetur in eius Vita Romæ impressa anno 1624. Optimè P. Claudius in Instr. ad sup. c.14.& 15 de spirit. inter radices malorum in superioribus, propter quas haud recta est eorum gubernatio recenset *Negligentiam, seu exiguam curam rerum internarum.* Quia (inquit) si *curam spiritus, deuotionis, & intimæ cum Deo coniunctionis, studiosè, diligenterque complecteretur, rectum procul dubio erga se, aliosque in omnibus teneret. Ideo enim hoc studium Constitutiones nostræ, tanquam primarium, ac potissimum in Superioribus requirunt. Et S. Bonauentura hanc veluti sextam, postremamq; alam faciens, meritò dixit, sine ea reliquas perfici non posse; cum per illam zelus iustitiæ accendatur, pietas compassionis erga fratres infundatur, patientia roboretur, exemplum bonum condiatur, discretio denique clarificetur. Quamobrem necesse in primis videtur, vt & nos omnes in Superioribus diligendis hoc Dei donum oculos intendamus: & qui ad id munus vocantur, donum hoc à Deo enixè petant, omnique studio prosequantur. Sed quam necessaria sit ijs, qui præsunt, hæc conditio, præclara extant, & lucubrata S. Basilij, S. Chrysostomi, vtriusq; Gregorij, & S. Bernardi, omniumque, vt semel dicam, Sanctorum testimonia.*

12. Non eligantur Superiores, nisi qui aliquod rectè gubernandi tac.17. lentum exhibuerit in aliqua leuiori administratione. Et Pat. quidem Claudius videtur cupijsse, vt Ministri munus obirent illi qui futuri essent Rectores ex n.21.c.2. Ordin. Gener. Certè videtur incongruum, vt alicui scholastico post absoluta studia statim Gubernatio Collegij

deman-

demandetur, & non priùs explorentur eius dotes in officio Ministri? Si nullus fermè promoueretur ad gubernationem Domus vel Collegij, nisi priùs Ministri officium obijsset; in hoc munere, quod multam requirit prudentiam, & caritatem, ac sollicitudinem, viderentur constituti homines idonei; nec in his illo demandando eam difficultatem experirentur Superiores, quam experiantur. Præterea cum sint tria Collegiorum genera in societate, *Infimum, medium, ac Supremum*, de quibus P. Laynez, & P. Claudius in Form. Accept. Colleg. Non videtur promouendus fermè vllus ad gubernationem Medij, nisi priùs illius gubernandi modus exploratus fuerit in *Infimo*, & sic respectu *Supremi in Medio*. Nulli ad Professionem in societate solent admitti, nisi post triennium absolutο tertio Probationis anno, imò nisi fuerint hi satis perspecti, & exercitati in Ministerijs societatis nolunt Constitutiones eos ad Professionem promoueri: & Cong. 7. dec. 33. statuit, vt Philosophi, & Theologi sub singulorũ annorum finem seriò, & singillatim examinarentur, nec Logicum ad Physicam, nec Phisicum ad Metaphysicam audiendam noluit admitti, nisi mediocritatem attigisset; Metaphysicum verò ad Theologiam, Theologũ autem ad insequentem annum audiendum noluit admitti, nisi ille in Philosophia mediocritatem, hi verò in Theologia eamdem superassent; Quatuorque examinatores de idoneitate doctrinæ ad Professionem voluit astringi iuramento de iudicio seuero, & eorum qui examinati sunt, aptitudine, ac eruditione ferendo. Et aliquibus vix peracto tertiæ Probationis anno Collegiorum, nec minorum, cura demandabitur? Non sedulò explorabitur à Prouinciale visitante, exacto etiam iuramento de veritate sincerè manifestanda à Consultoribus, vel alijs primarijs viris, quomodo se gerat superior in ijs quæ ad eius officium pertinent; quorum Catalogum apud se habebit collectum ex Reg. Præp. & Rect. ex lib. Ordinat. Instruct. & Epistolar. Gener. ad quæ singula teneantur illi respondere? Si non mediocritatem ille saltem non videatur attigisse in gubernãdo retinebitur in gubernatione, vel etiam ex infimi Collegij gubernatione ad Medij, vel supremi gubernationem promouebitur? Ad Prouincialis munus euehentur illi, qui mediocritatem valde non superauerit in gubernando satis probatam, perspectamque? n. 436. 437 & 438.

13. Consultores tum Prouincialium, tum Superiorum Localium bis in annum scribant ad Generalem, vt iusserat P. Claudius anno 1600. teneanturque sub iuramento tam ad Prouincialem, quam ad Generalem sincerè scribere ea, quæ pertinent ad singula capita ex ijs de quibus scribere ad Generalem iussit eos P. Claudius anno 1597. & reponuntur c. 10. lib. Ordin. Gener. c. 63.

14. Raro promoueantur ad gubernationem Collegiorum illi, qui magnum ætatis partem in docẽda Philosophia, ac Theologia insumpserunt; hos enim minùs esse habiles experientia docere potest: hi

potiùs

potiùs constituantur Præfecti rerum spiritualium in Collegijs, & ma-
ximè seminarijs sociorum; Quod n. unus illis demandari cupijt Pat.
c.50. Claudius in fine n.5. Instruct. 10.

15. Prouinciales diligentissimè inquirant, ac notent talenta ad gu-
bernandum; & si quos idoneos ad gubernationem iudicauerit, acce-
dente maximè aliorum iudicio, curet de illis paulatim, & negotijs
In lib. Regu. c.39. tractandis, & domesticis ministerijs obeundis experimentum sume-
re, vt & ipsi talenti accepti specimen dare, & societatis officia eis tutò
committi possint. Sic enim iubet Reg. prouinc. 29. cum his quoq; per-
legantur Regulę, & doceantur ipsarum intelligentiam & vsum, vt ha-
c.99. betur in fine n.3. c 17. lib Ordin.

16. Non præficiantur Ministri, in magnis præsertim Collegijs, nec val-
de Iuuenes, nec absque Consultatione, vt habet n.21 c.1. Ordin. Gen.
ca.16. & 17 vbi additur; Instruendi autem erunt primùm à Prouinciali, deinde à
Superioribus ipsis in decursu officij: ac peculiariter obseruetur in Mi-
nistris, qualem obedientiam exhibeat suo Rectori, vel Præposito, qua
prudentia obseruantiam Constitutionum, siue Regularum, & Ordi-
nationum curet, an æqualitatem in amando circa omnes seruet, An
valdè propensum se ostendat erga scholasticos, Magistrosque Clas-
sium Inferiorum, minoremque propensionem præferat in sacerdo-
tes senes, vel benemeritos de societate, an multorum beneuolentiam
captare studeat complura illis concedendo, vel largiendo, quæ minùs
Religiosam modestiam, siue sobrietatem ac temperantiam decent.

17. Omninò obseruetur n. 20. c.1. Ord. Gen. *Futuri superiores, qui non-*
c.16. *dum gubernarunt, priusquam gubernationem ineant, duos minimum men-*
ses rebus alijs sepositis ponant in attenta Lectione Constitutionum, Regu-
larum, Ordinationum, Industriarum, Instructionum pro Superioribus, &
Priuilegiorum vt rectè omnia percipiant; & quæ non bene intellexerint,
à Prouinciali percontentur: Cuius erit illos erudire, & in visitatione peri-
culum facere, quam bene omnia calleant, admonito Præposito Generali.
P. quoque Claudius in litt. de medijs ad Conseru. Soc. monuit, vt Pro-
c.199. uinciales sibi subordinatos superiores diligenter instruerent, dirige-
rent, ac manu quasi ducerent, formarentque ad omnem gubernandi
virtutem, quo meliùs possent, vtiliusque præesse ijs, qui sub eorum re-
gimine seruiunt Deo &c. Non poterunt autem hæc præstare Prouin-
ciales; nisi ipsi gubernãdi artem Instituto societatis conformem tum
speculatiuè, tum practicè calleant exactissimè.

18. Obseruetur exactissimè à prouincialibus id quod tradidit idem
P. Claud. n.5. litt. de med. ad Conseru. Societ. *Vt Prouinciales in Visi-*
c.199. *tationibus suis supra cætera omnia, id in primis respiciant, vt Superiores*
benè fungantur officijs suis, præsertim in rerum spiritualium promouendo
studio, cui & ipsi dediti, & non mediocriter etiam in eo versati esse de-
bent. Quod si subditorum erunt in eos querelæ, vel amaritudines, exami-
nari opor-

nari oportebit, vt ipſis etiam adhibeatur correctio, & emendatio, in quibus erit opus. Nec habeant ur omnes ſubditorum querelæ pro tentationibus, ſed audiantur cum Caritate, ac deinde, vt opus eſt, in Domino dirigantur.

19. Obſeruetur etiam diligenter id, quod reponitur in dec. 37. Cong. 6. & in n. 1 1. & 3. Inſtr. 18. *Vt Viſitator, ac Prouincialis in ſuis viſitationibus ea, quæ remedio egere intellexerint, quippe quæ liquidò Regulis aduerſentur, neque moram patiantur, curent omninò ante ſuum e Collegio diſceſſum executioni mãdare. Quo fiet, vt maiore ſuauitate, et efficacia fiant, & Superiores immediati graui quadam moleſtia liberabuntur, & ipſimet incipient, quæ ſunt ſui muneris, exequi, minimeq; ad Prouincialis aduentum medicinas malorum prg ſtolari. Quæ verò executioni ſtatim mandari non poterunt, in memoriali notentur, quod ſingulis menſibus in conſultatione legatur, tum ne memoria excidant, tum vt ſuo tempore à Conſultoribus moneatur Prouincialis de executione, ideoque tum Conſultoribus, tum Admonitori commuicanndum erit illius exemplar. Quod ſi in poſtera Viſitatione Superioris culpa nonnulla neglecta fuiſſe deprehenderit Prouincialis, ille minimè impunitus abeat, ne ſubditi offendantur, exiſtimantes ſolùm fieri, quæ Præpoſito, aut Rectori arrident, cætera quamuis præſcripta prætermitti, ſiue oſcitanter negligi. Et ſi Superiores continenter negligentes, ac remiſſi in Ordinationum executione fuerint, remoueantur omninò ab hoc munere, ne ipſorum nimia conniuentia religioſa diſciplina penitus dilabatur.* c. 104. c. 98. & 94.

20. Seruetur quoque ſedulò id, quod Inſtr. de ſpir. ad ſup. c. 1. iniungitur. *Prouincialis, dum Prouinciæ ſuæ loca viſitat, in ſingulis Domibus, & Collegijs, cum Superiore, ac Miniſtro Conſultores etiam, eoſque, qui alias gubernarunt, conuocet; coramque cum illis Rectorum, & aliorum Subordinatorum Regulas, Ordinationes item, Inſtructioneſque typis excuſas legat.* Vbi *præter communem earum intelligentiam, ac declarationem, propria etiam cuiuſque praxis, & quibus in ea modis errari poſſit,* ſedulò pertractetur, ita *vt practicæ quædam fiant conferentiæ de via, & modo rectè gubernandi* &c. *Celebrentur etiam de ijs rebus conferentiæ, in quibus labi procliue eſt, et quam quiſque rationem in quorumdam morbis, quorum difficilior ad tractandum natura, & mores erant, vt illis mederetur, ſecutus ſit; quid denique in hoc, illo ve caſu fieri oporteret, prolatis in medium varijs interrogatiunculis, & peculiaribus circumſtantijs &c.* At *Superiori priuatim poſtea indicabit; ſi quid fortaſſe in hoc, illove curando peccarit, & quomodo in poſterum ſe gerere debeat, ne aberret. De ſingulis autem, re perfecta, ſuis ad nos litteris perſcribet; quos nimirum cõuocarit, & in hunc modum inſtituerit; quemadmodum ſucceſſerint conferentiæ; quantum iudicij vnuſquiſque, & quantum in ſe ſpiritus oſtendat; ſcribentque de iiſdem etiam rebus ſinguli, tum ipſius Prouincialis, tum vniuſcuiuſque Collegij Conſultores.* Et ſimul quoque ſeruetur id quod c. 2. ibi docetur. c. 8 & 91.

cetur.

cetur. *Curent Prouinciales, vt Superiores Locales omnino habeant, & le-*
a.23.vii.12. & 2. *gant Ordinationes, harumq; considerationis obseruent accuratissimè. Cum visitant, de hoc capite nominatim inquirant, & ad nos singulis ex locis referant,* vbi *& qua in re peccetur: singulis item in locis coram Rectore, eius que Consultoribus Regulas, & Ordinationes examinent, obseruando in quibus, & quas ob causas erretur, & quaenam praescripta sint remedia. Admonitor Prouincialis, qui eiusdem Socius, vt plurimum esse solet, hoc ipsum peculiari cura inspiciat; illumque de eadem re commonefaciat, atq; ad nos quoq; quid fiat, aut praetermittatur in hac parte scribat. Quod etiam iuxtam Instructionem suam praestabunt vniuscuiusque Domus, & Collegij Consultores.*

21. Superiores omnes societatis cum Praeposito Generali, & Locales cum Prouinciali ad vrgendam executionem conspirent, ita vt omnes intelligant, sibique persuadeant, vnum eumdemque in societate animum esse in disciplina promouenda; neque ad superiores mediatos recursus in hac re quidquam prodesse posse. Eademque conspiratio in quolibet Collegio, aut Domo sit in superiore cum suis Consultoribus, Admonitore, & Praefecto spiritus, alijsq;, qui promouere possunt executionem, ita vt idem sentiant, & dicant omnes. Quod si antiquiores
In lib. Decr. c.392. et 393 aliqui de ea obloquantur, moneantur seriò, & coerceantur, si necesse
In lib. Instr. c.99. sit, etiam publicis poenitentijs, ne alios turbent, minusque suauem executionem reddant. Ita habet dec. 37. Congreg. 6. n. 4. & Instruct. 18. num. 12.

22. Singulari studio inuigiletur, vt superiores seminariorum societatis constituantur ij, qui scholasticos *in Via Domini, & religiosa perfectione probè instruāt* vt habet Inst. 7. Ac peculiariter vitetur ne in huius
c.34. modi locis praeficiantur Viri, qui *humanā, & politicam agendi rationem* sequuntur, quam acriter quidem in Iunioribus, sed multò magis in
c.75. superioribus reprehendit P. Claudius Instruct. 13. c. 8. sicuti P. Euerar-
In lib. Epist. c.74. dus in Monitis ad superiores n. 5. reprehendit in ijsdem *vsum artificij humani,* vnde *subditi conijciant Superiorem aliquid ambiguè loqui.*

23. A' Gubernatione amoueantur tùm illi, qui talem modum procedendi amplectuntur, vt suspicionem praebeant ipsos imperio, & gubernatione delectari, vt loquitur P. Claudius c. 1. Instr. de spir. ad sup.
c.19. n. 7. tùm illi, qui non communem vitae rationem sequuntur, sed vitae commoditates prosequuntur, & eo nomine delectantur gubernatione eo quod cum ceteris praesint facultate, & quasi claui potiuntur ad aperiendum vitae commoditatibus, corporisque appetitionibus aditum, vt scribit Pat. Mutius in litt. ad superiores; qui postea in litt. ad Patr.
c.425. Cong. prou. haec habet. Ad *haec inter priuatos crescunt vitae commoditates, atque in dies curantur impensiùs. Faxit Deus, ne praecipua eius rei causa tribuatur nostro Superiorum exemplo; nostrum enim plerique in eo delinquimus; frustraque à subditis emendationem requiremus, si nos eam*

prius

primi non exhibebimus. si particularia superiores quærant in Cibo, in Indumentis, in inſtrumentis ad iter, in ſupellectili cubiculi &c. facile cæteri ſubditi, ex quibus non raro multi ſunt etiam magis de societate benemeriti, quam ipſi superiores eadem conquirent. Idem quoq; P. Mutius in litt. Anno centeſimo societatis datis ad hanc rem ſic ait. *Mà ſe l'affetto particolare verſo d'altri è tanto nocevole al Superiore per l'eſecutione; che ſarà il priuato verſo ſe medeſimo, con la cura ſouerchia della commodità, e riputation propria? Queſto ſi che è appunto, com' vn humor lento, e ſottile, che penetrando fino a' nerui del gouerno, propriamente lo ſnerua, e rende immobile à quell'efficacia, che ci vuole per poter dir animoſamente, e ſoauemente inſieme à ſudditi,* Redde quod debes. *Anzi che paſſa più oltre, e ſi inſinua fin dentro li occhi del cuore, ò priuandoli della vigilanza, e prouidenza neceſſaria al ben commune, ò pur facendoli trauedere, e formar diuerſamente concetto delle coſe medeſime in ſe ſteſſi, e negli altri; effetti ambedue molto pernitioſi alla prudente, & ordinata eſecutione &c. E come può vno, che habbia queſte traueggole, far fare, ò laſciar, con buona fonte dalli altri, quelle coſe, per altro neceſſarie all'oſſeruanza, le quali in ſe ſteſſo non apprende da farſi, ò da laſciarſi? e ciò anche più vale nella Compagnia, doue per Miſericordia di Dio, ſiamo in queſto poſſeſſo, che i Superiori deuono eſser i primi, anche nell'eſercitio della vita, e diſciplina commune; & hanno ſolo d'hauer queſta differenza, che oltre la propria, anzi sù le ſpalle della propria oſſeruanza portino auanti quella delli altri &c.* In Reg. quidem 3. Præp. & 2. Rect. hæc habentur. *Communes Regulas ipſe ſeruet, & particularia in cibo, indumentis, & aliarum rerum vſu, quantum fieri poteſt, vitet.* n. 27. & 28. In lib. Reg. ca 73. & 92.

24. Amoueantur à gubernatione illi, qui in munus ſuum omni cura, & contentione incumbunt, ſed ſinunt ſe auocari, ac diſtrahi alijs occupationibus. Hos P. Claudius in lit. de med. ad conſeruat. societ. n. 3. reprehendit, & vult, vt *nec ſe ſe vel amicis inuiſendis, vel iuuandis proximis, imò nec ipſa concionandi frequentia occupari ſinant, multò minùs rerum temporalium ſollicitudine:* & hanc rerum externarum occupationem eſſe perniciosiſſimam radicem malorum in superioribus, eoque periculoſiorem, quominùs vulgò noxia cẽſeri ſolet habet P. Claudius etiam in Inſtr. de ſpir. ad super. in *quam* (ait) *Superiores ferri vt plurimùm, ac varijs nominibus effundi ſolent. Sunt enim, qui naturæ quadam propenſione ad diſtractiones proni, non ſolùm oblatas occaſiones cupidè arripiunt, vt operam ſuam impendant, ſed eas ipſimet vltro quærunt, & naſci quodammodò, ac ſuccreſcere faciunt. Alij ob rei familiaris inopiam, ſic illis ſe totos tradunt, vt ſumma, & præcipua ſubditorum cura in hoc vno ſita eſſe videatur. Alij per ſpeciem proximos lucrifaciendi, multis ſe ſe viſitationibus implicant, ijſque non modò non neceſſarijs, ſed parùm etiam vtilibus; atque in his ita verſantur, vt à ſæcularium moribus parùm abſcedant; adeo vt ſi rationes ſubducere velint, reperiant* c. 16. c. 16.

Vesperi, cum serò domum redeunt, se perexiguo fructu horas complures,
non leui damno suorum commodis, & consolationi, disciplinæque domesti-
cæ vtilitati subtractas, consumpsisse. Alij pia magis specie proximos per
ministeria consueta iuuandi erga deuotulas aliquot operam suam ponen-
tes, plùs inde occupationis referunt, quam fructus &c. Hinc statuendum
videtur, ne Superiores Mulierum Confessiones audiant. Et quidem
n.346. *non semel animum* P. Claudij (vt ipse habet in litt. de sollic. sup. scriptis
anno 1604.) *subijt cogitatio,* an *expediret, Mulierum Confessiones Supe-*
rioribus interdicere, quòd his audiendis multum temporis exiguo fructu
conteri soleat; via sterni ad visitationes; turbari interdum etiam per æmu-
lationes, aliasque occasiones pax domestica, non sine magno debitæ erga
Superiorem reuerentiæ, amorisque detrimento. Certè si Superiores ali-
quid temporis ponere possunt in ministerijs erga proximos absq; eo
quod vlla ratione impediantur ea, quæ sunt eorum officij propria,
& maximè propria (vt scilicet *qui ijs subsunt, in veris, solidisque virtu-*
n.196. *tibus progressum certum, stabilemque faciant,* vt habet P. Claud. in litt.
de Medijs ad Conseru. Societ.) id in vtilioribus rebus ponat, quæ sub-
n.17.&18. ditis simul exemplo sint tum humilitatis, tum zeli animarum. *Quod*
scilicet tùm vsuuenit (ait idem P. Claud. c. 1. Instr. de spir. ad sup.) *cum*
vilioribus, & egentioribus personis operam nauat, vbi constet maiorem
inesse laborem, & plus meriti, quam honorificæ, vel speciosæ occupatio-
nis. Non potest negari, quin multum Religiosæ disciplinæ detrimen-
tum afferri queat, dum Rector, siue Præpositus, simulque Minister ex-
tra Collegium, Domumve exeunt, vel simul in Ecclesia Confessiones
audiunt, alijsve Ministerijs in auxilium proximorum detinentur. Et si
tantopere expedit, vt Superiores minimam temporis partem in mini-
sterijs hisce, licet ceteroqui sanctis, ponant; & absque eo quod impe-
diantur eorum officij propria, ac præterea earum etiam rerum, quæ
ad subditorum victum, ac sustentationem necessariæ sunt, quantum
possunt, sollicitudinem fugere debent; quanto *minùs externorum cau-*
sis, negotijsque sæcularibus implicari debent (vt ait idem Pat. Claud. in
n.198. fine n. 3. litt. de Med. ad Conseru. Societ.) *quæ non tantùm Professioni*
suæ in vniuersum, sed particulatim etiam officio rectè gubernandi aduer-
santur? Superiores enimuerò, qui se huiusmodi implicant negotijs,
absque mora remouendi sunt; sicuti & illi, qui omnium quæ fiunt in
Ciuitate, vel Oppido vellent esse arbitri, vltro cuperent imò ad hibe-
rent operam, vt tanquam intercessoris, vel mediatores apud Princi-
pem, aut Prælatum, aut primarios viros adhiberentur ad obtinendam
aliquam gratiam; vel Principes viri, ac Prælati eos vt Confessarios eli-
gerent; vel præficerentur ab Ordinarijs examini Ordinandorum; vel
essent quasi Iudices causarum, quæ vergunt quandoque inter forum
Ecclesiasticum, & sæculare &c. hæc enim, & similia valde distrahunt
animos Superiorum ab ijs, quæ ad ipsos spectant, & quæ si omittan-

tur, non

tur, non leuiter peccare poſſunt. *Meminerint* (inquit P. Claud. in litt. de ſollicitud. super.) hoc *à ſe primùm exigi, vt præſentes Collegio quiſq; ſuo adſint, non tam corpore, quam mente, et attentione; ſui muneri eſſe inuigilare, arguere, corrigere, exhortari, obuiam ire malis, eorumque occaſionibus, prælucere exemplo; obiectaſque difficultates forti, & conſtanti animo perumcere; nec leuiter peccare ſe credant, ſi iniuria, vel negligentia ſua permittant, vt peccata quamuis leuia, propagentur &c.* n.347.

25. A' Gubernatione remoueantur illi superiores, qui non obſeruant Reg. 26. Præp. & 25. Rect. quæ ſic habet. *Crebro, & magna caritatis ſignificatione alloquatur ſubditos, eorumq; neceſſitatibus non corporis tantùm, ſed multò etiam magis animæ paterno affectu proſpiciat. Si quem verò intelligat aliqua tentatione pulſari, præſertim graui, eius peculiarem curam, & ſollicitudinem non ſolùm per ſe, ſed etiam ſi neceſſe fuerit, per alios gerat; nec remedium longiùs differendo, difficiliorem morbi curationem reddat.* Hanc Regulam vbi attulit P. Mutius in litt. ad super. hæc ſubdit. *Proli quantum in hac Regula, Patres amantiſſimi, momentum eſt, adeo vt ſi hanc vnam, qui præſunt, accuratè ſeruandam ſibi ſuſciperent, feliciſſimè cuncta progrederunt! Hæc fiduciæ illi, qua filij cum parentibus agere conſueuerunt, aditum aperit; quæ ſi deſit, ratio gubernationis in Societate aliam iam eſt: hac caritas viam ſibi munit, & rationem excogitat, qua omnium ſiue neceſſitatem, ſiue indigentiam præuertat, & ſubleuet.* Huius quoque Regulæ meminit P. Claud. c. 2. Inſtr. 13. in quo recenſentur illa, quæ efficere debent superiores, vt ratio ſibi reddendæ conſcientiæ à ſubditis rite, & iuxta finem, quem intendit s. Ignatius iubens vt Profeſſi, & Coadiutores formati ſingulis annis ſemel, reliqui ſingulis ſex menſibus illæ redderent Exam. c. 4. §. 38. & 40. & p. 6. c. 1. §. 2. imò vtrique, quoties superior velit Exam. c. 4. §. 40. & p. 4. c. 10. §. 5. ſeruaretur.

In lib. Regu. n. 78. & 98.

n. 68. & 69.

26. Remoueantur à gubernatione quos experientia ipſa docuerit, in Religioſæ vitæ diſciplina cæteris non prælucere. Vti *igitur dignitate ſunt, & loco principes* (inquit P. Mutius in lit. ad super.) *ita omni ſtudio allaborent, vt exemplar, vt forma ſint omnibus in victu, veſtituque, in tota ratione cubiculi, quod Regula Rectoris ſecunda præcipitur; dum legitimis temporibus precationem obeunt, conſcientiam excutiunt, cubitum ſe conferunt, ſurgunt: quæ omnia (credite) præſtare ſi quis velit, omnino valet. Illud verò apud omnes fixum, conſtitutumq; ſit, niſi exemplo præiuerint, non priuatis monitis, non cohortationibus publicis, ſiue in ſubiectorum commodum, ſiue in Societatis obſequium quidquam admodum ſe promoturos. Quinnimo ſuarum ſibi culparum conſcij alienas abiurgare minimè audebunt: quod ſi audeant, riſui, vel contemptui erunt, ſtomachumq; mouebunt potiùs, quam ardens corrigendæ ſeriò vitæ ſtudium inflamment.* Optimè Regul. 2. Præpoſit. *Quæcumque in ijs, quibus præeſt, ad ipſorum aliorumque ædificationem, iuxta Inſtituti noſtri rationem, optare* n. 420. & 421.

In lib. Regu. n. 78.

debet, priùs in se ipso præstare studeat.

27. Remoueantur à gubernatione illi qui relaxant, ac liberius interpretantur Constitutiones, Decreta, Regulas, Ordinationes, in illis dispensant sine causa legitima, vbi nec maius bonum Religionis, subditive vtilitas, quinimmo vsi & bonum minus est, & maius Religionis, subditique ipsius detrimentum; *cum hæc laxitas, & licentia plurimum*
ca.11.& 13. *haud dubiè afferre possit* (vt habet P. Claud. c. 1. Instr. de spir. ad super.) qui eos post nonnulla monet, *quod non debeant, nec possint relaxare, aut dispensare dissipando, sed in ijs tantummodò, in quibus constat talem illius, qui Regulas, & Ordinationes condidit, mentem fuisse: Quodque in omnibus rebus primas tenere oporteat, non arbitrium, sensumque gubernantis, sed exploratum, ac certum iudicium, ad maiorem Dei gloriam fere id fieri, de quo agitur, quam omitti.*

28. Remoueantur omninò à gubernatione illi, qui *obliuiscuntur se non vniuscuiuspiam, aut duorum Superiores esse*, sed *omnium, qui ipsorum curæ, fideique commissi sunt*, vt loquitur P. Claud. in Instr. de spir. ad sup. quibus subdit. Quo *fit, vt in ijs cernantur interdum priuatæ in aliquos amicitiæ, ac necessitudines, quæ offensionem in alijs subditis, & diffidentiam, æmulationemque pariant; tum suspiciones etiam non prorsus vanas, nec inanes, nec affectu aliquo infuscatæ, minùsque sinceræ sint informationes, quæ ad mediatos Superiores transmittuntur.* Hinc P. Mutius in lit. ad
c.427.c.428 super. eos monet, vt *Subditorum siue animi, siue corporis necessitates anteuertant, ingenti caritate, quæ ad omnes indiscriminatim pertineat, absque personarum acceptione, sine pondere, & pondere, ita vt neque genij, naturæque consensione, neque cognationis necessitudine, neque patriæ communione, non vllo denique humano respectu rapi se sinant, vt Filiorum*
c.26. *Dei in eiusdem Domo conditionem dispparem faciant.* Et postea in lit. Anno societ. centesimo datis hæc inter cætera scribit. *Il terzo veleno della buona esecutione può esser l'affetto particolare, che forse il Superiore porti ad alcuni: perche, per condescendere più sicuramente con quelli, senza nota scoperta di partiale, li pare che conuenga in molte cose non stringere tanto, e correre conseguentemente con li altri, &c.* In hac re, tanquam maximi momenti, inuigilet prouinciali sedulò, ne superiores immediati peccent, & Generalis, ne prouinciales ipsi peccent; qua enim ratione de Informationum sinceritate certus esse poterit ipsemet Generalis maximè, si cognoscat superiorum, & Prouincialium præcipuè naturas ad tales priuatas familiaritates propensam, nec aliquos peculiari affectu prosequentes eo quod insigniores in virtutibus sint, sed ex eo quod sint consanguinei, vel affines ipsorum, ex eadem natione, vel patria, mutuam naturam consensionem habeant, pecunias pro ipsis ab externis conquirant, dentque vltrò &c. Hinc haud essent constituendi superiores, qui *particulares affectiones retinere soliti sunt ad personas aliquas particulares*, ita *vt cum aliorum gubernatione*

guber-

gubernaturi viderentur, et qui non essent affecti ad externas nationes, & Prouincias, & de hoc capite ex ijs, quæ mittuntur ad Generalem de ijs, qui in Prouincijs ad gubernandum idonei videntur, certiorem se fieri curet Generalis exactissimè: & remouendi essent à gubernatione illi, qui in hoc maximè laborarent, vt haberent pro subditis sibi familiares studiorum tempore, qui vel patriæ, vel consanguinitatis, siue affinitatis communione sibi essent iuncti, alios licet in virtutibus, vel litteris, alijsque dotibus insigniores à suo Collegio aliquo etiam prætextu excogitato amouere conarentur. Et quid mirum si subditi inter se priuatas quasdam familiaritates contraherent, fouerentque maximè perniciosas communi caritati, si in hoc ipso superiores facem præferrent subditis? Peculiaria solùm Amoris argumenta exhibeantur à superioribus illis, qui in virtutibus illustriores sunt inter cæteros omnium consensu; hisque speciosiora tribuantur munera, & non illis, qui ingenio, vel alia qualitate externa præcellunt; & breui societas tota reformabitur. In lib. Ordin. c. 17. c. 10. n. 9.

29. Illi etiam iuxta P. Claudij in fine c. 2. Instr. de spirit. ad sup. amoueantur à gubernatione, qui quod facere debent, prætermittunt, ne dum illi, qui ea faciunt, quæ facere non debent, & alij eorum, qui talentum enimuerò non habeant gubernandi, substituendi, qui diligentius inuigilent; *quandoquidem non poterit Generalis Deo rectè reddere rationem de mala eorum locorum gubernatione*, quæ ab huiusmodi superioribus ex sancta ipsius voluntate non gubernantur, vt ipsemet Pat. Claud. ibidem animaduertit. Verum hæc culpa, quæ grauissima esse potest, obstringentur Prouinciales, nisi sedulò inuigilent, vt superiores immediati rectè munere suo fungantur, obseruentque Regul. suas, Ordinationesque; ac moneant maturè Generalem de his amouendis, qui vel factis ipsis haud ostendunt se Medicos, pastores, & patres, non corporum, sed animarum. Eadem culpa, sed adhuc grauior, erit in Generali, si non omni studio, & contentione inuigilet, vt prouinciales se exhibeant tales, quales exigunt eos Regulæ, Ordinationes, ac Instructiones ad ipsos spectantes. Et minora quidem incommoda in gubernatione societatis sequerentur, si seruaretur id, quod volunt Const. p. 9. c. 6. §. 2. *Aliquando Generalis, vel vt pleniorem rerum omnium notitiam habeat, vel propter alia, quæ sæpiùs accidere solent, ipsemet cum Rectoribus, & Præpositis Localibus, & particularibus etiam personis aget;* & quod volunt eædem Constit. p. 9. c. 3 §. 19. *Cognoscat quoad eius fieri poterit, conscientias eorum, qui sub eius obedientia sunt; ac præcipuè Præpositorum Prouincialium, & aliorum, quibus munera maioris momenti committit.* Quæ ab eo præstari non posse videntur, nisi ipsemet Societatis Domos, & Collegia aliquando visitet. In tanta verò multitudine Sociorum, & Colleg. hæc à S. Fund. qua ratione executioni mãdandum? Hæc si minuetur, aptiores etiam ad gubernandum Viri poterũt eligi. c. 13. & 14

30. Omni-

30. Omninò seruetur decretum *Clem. Octaui*, Vt omnes Prouinciales, ac Rectores, Præpositique nonnisi per triennium alijs præfideant, eoque exacto obediant sicut cæteri, saltem per annum; & in hôc anno nullum plane munus, quod aliorum gubernationem sapiat, obeant; si enim vix ferri potest diuturna gubernatio Generalis, qui tamen ab ipsa Societate in Generali Congregatione electus est; qua ratione ferri poterunt valde diuturnæ gubernationes aliorum superiorum, quæ liberè fieri possunt à solo Generali, & sępè ex placito Prouincialium, vel ex informationibus per litteras de habilitate etiam ad Prouincialis munus, quæ non rarò poterunt non esse sinceræ? Præterea quomodo Superiores, quorum multis statim absolutis studijs aliorum cura commissa est, compati poterunt cæteris, si valde diuturno tempore immediatè non subsint ipsi, & identidem experiantur, quid sit habere supra se homines immediatè, qui eorum obseruent, vel obseruare possint omnia plane dicta, factaque, & sine quorum facultate complurima præstare nequeant. Adde: Si munera gubernandi in Societate dantur teste P. Mutio in litt. ad sup. *ad maiores, quam vnquam antea,*
c. 419. *exorbendos labores, tolerandasque perpessiones*; par est, vt multi in partem veniant horum laborum, harumque perpessionum: Si verò demandarentur ad captandam quietem, æquum est, vt multi etiam in hanc quietis partem veniant.

Caput Nonum.

De Reformatione circa Cærimonias, siue Ritus Ecclesiasticos &c.

1. *Pono*. TEneri Societatem ex p. 4. c. 8. §. 2. Cerimonijs eisdem, quantum fieri potest, vti in ratione dicendæ Missæ, & in his vsum Romanum, vt magis vniuersalem, & quem peculiari quadam ratione Sedes Apostolica amplexa est, quantum patietur regionum varietas, sequi: & ad animorum vnionem hanc in Cerimonijs Missæ consensionem multum conferre haberi p. 8. c. 1. §. 8.

2. *Pono*. Ex Formula Instituti Paulo Tertio, & Iulio Tertio proposita teneri socios Sacerdotes vel in Sacris dicere Officiũ secundum Ec-
In Bull. c. 14. 47. & 136. clesiæ Ritum, siue iuxta vsum Romanæ Ecclesiæ, vt explicat Greg. 13. in Bulla data anno 1573. die vltima Febrarij incipiente, *Ex Sedis Apostolicæ*.

c. 67. 3. *Pono*. Ex dec. 93. Cong. 1. De Missa, eiusq; Ceremonijs actum in ea Congregatione fuisse, & constitutum, vt sequerentur socij vsum Romanum secundum rationem Constitutionum &c.

c. 312. 4. *Pono*. Ex dec. 72. Cong. 5. Cum postulatum fuisset, vt ad maio-

rem erga venerabile Sacramentum Eucharistiæ deuotionem exercendam, peteretur à Summo Pontifice, vt in societate singulis quintis ferijs non impeditis, Missa de illo celebraretur, & officium proprium recitaretur, sicut in diebus Sabbati de B. Virgine fieri consueuit: Visum fuisse Congregationi, nihil omnino petẽdum esse magis *autem curandum, vt Societas in huiusmodi ritibus se Romanæ Ecclesiæ consuetudini conformet, quemadmodum semper fecit.*

5. *Pono.* In Reg. Sacerd. n. 4. hæc haberi. *Ceremonias Missæ ex vsu Romano accuratè vnusquisque obseruet:* Et in Reg. 13. Præfecti Ecclesiæ hæc etiam haberi. *Per se, vel alium à Superiore designatum, promouendos ad Sacerdotium instrui curet; & videat, vt ad Romanæ Ecclesiæ ritum tam ij, quam omnes Sacerdotes se accommodent.* In lib. Regu. ex 191. 176. & 57.

6. *Pono.* Sic initio Reg. 93. Prouinc. legi. *Consideret, num Missæ celebrentur, & Sacramenta alia ministreutur, iuxta vsum Romanæ Ecclesiæ. Horum autem, quæ sequuntur, inducenda vel reuocanda praxis videtur, vt exactiùs præscripta possent seruari &c.*

P.° Adhibeantur omninò, cum Missæ Solemniter cantantur à Socijs in suis Ecclesijs, Diaconus, & Subdiaconus cum Dalmaticis illi ordinis cõgruis iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ: Adhibere hos enim verò non est proprium solum monacorum, vel fratrum mendicantium, vel aliorum Clericorum Regolarium, sed omnium planè Sacerdotum, Episcoporum, Cardinalium, imò & Summorum Pontificum, dum solemniter celebrant, etiamsi non teneantur hi ad Chorum. Iam mos inductus est in societatem, vt in plurimis Societatis Ecclesijs Missæ cantentur à socijs contra id, quod videntur velle Constit. p. 6. c. 3. §. 5. in fine L. B. in qua etiam Constitutione non nisi ex grauissima causa dispensandum esse à Generali, & id tantùm Dominicis, & festis diebus censuit Cong. 1. dec. 39. Imò iam peculiaris est ordinatio in Societate à P. Mutio promulgata de Consilio Assistentium, vt saltem in festis S. Ignatij, & S. Francisci Xauerij solemniter cum Primis, & Secundis Vesperis celebrarentur; & non feretur lex, vel inducetur consuetudo, vt Missarum hasce solemnium Ritus Romanus omninò seruetur? c. 49.

2. Quando iam inducta est consuetudo in compsurimis Collegijs apud socios cantandi Vespertinas preces, etiamsi post illas non habendæ sint Conciones, vel Lectiones contra id quod videtur velle Con. p. 6. c. 3 §. 4. L. B. imò iam in plerisque Professis Domibus cantu figurato siue firmo cantentur non solùm Missæ, verum etiam Vespertinæ preces contra id, quod consuetum fuerat ante annum saltem 1600. & iam etiam sit ordinatio, vt Vespertinæ preces saltem quater in annum solemniter cantentur; cur non quoque inducetur consuetudo, vel feretur lex, vt illos ritus adhibeant socij, maximè dum Cantatur *Magnificat*, qui sunt Romani?

3. Sta-

3. Statuatur omninò, vt obseruetur id quod p.6.c.3.§.4. in fine L.B. dicitur, vt si fiat officium Tenebrarum in hebdomada sancta, *cum suis cærimonijs fiat*. Maximè possunt offendi populi, ex quibus non pauci Rubricas eorum trium dierum actualiter perlegunt, dum vident socios eas non seruare, sed ad libitum ferè Superiorum alijs vti, & adhibere diuersas pro Superiorum diuersitate. Neq; obstat, quod aliqui Regulares diuersis à Romano Ritu tum in Missarum celebratione, tum etiam in alijs Ecclesiasticis officijs vtantur cærimonijs nonnullis: *Dico enim* 1. Socios non gaudere priuilegio illius immemorabilis temporis in hoc, sicuti gaudent aliqui Regulares, qui explicita etiam Priuilegia Summorum Pontificum poterunt in multis saltem afferre. *Dico* 2. Iam haberi ex Constit. Societatis, quod socij Sacerdotes teneantur in Missarum celebratione Ritum Romanum sequi, & in recitatione Officij semet Ecclesiæ Romanæ conformare. Si ergo quid præter Constitutiones inductum est in Societatem circa Missarum, vel Vespertinarum precum cantum, illud non difforme Ritui

In Bull. c.67 Romano induci debuit. Accedit, quod teneantur socij ex Formula Instituti Iulio Tertio Proposita in ijs, quæ *ad victum, & vestitum, & cætera exteriora pertinent, honestorum Sacerdotum communem, & approbatum vsum sequi*; & non tenebuntur sequi in cantandis Missis, ac Vespertinis precibus omnium Sacerdotum etiam Cardinalium, & Summorum Pontificum communem vsum, & approbatum ab Ecclesia Romana sequi? Quid hæretici dicent, si socios in hoc difformes Ecclesiæ Romanæ ritibus viderint? Hos vituperandi ijs datur occasio, dum socij, qui maximum obsequium in Romanam Ecclesiam se profiteri dicunt, ritus diuersos adhibent. Vituperandi etiam Ordinis Sacramentum inde sibi ansam arripient hæreticis eo etiam nomine, quod in Ministerijs ordinum Minorum non admodum frequenter, in Ministerijs verò proprijs subdiaconi, & Diaconi nunquam socij se exerceant, abnuantque vestes proprias talium ordinum.

4. Dum excipiunt Confessiones saltem in Ecclesia adhibeant semper superpellicea cum stolis iuxta Rubricas Romani Ritualis, & vsum etiam aliorum Clericorum tum Regularium, tum non Regularium.

n.80.& 81 Congregatio quidem 1. dec. 110. statuit, *superpelliceo vtendum esse inter concionantium: stolam verò iuxta patriæ morem adhibendam vel non*. In *lectionibus Sacræ Scripturæ, etiam ad populum, superpelliceum non esse adhibendum*. Sed huius Decreti vltimam partem declarauit

c.243. Cong 4. dec. 10. *intelligendam esse de regionibus, & locis, vbi non est illius vsus; alioqui enim magna est indecentia non vti superpelliceo, vbi est illius vsus; & inter hæreticos refert hereticorum ministros, qui in ministerio verbi superpellicea irrident, & auersantur*. Cum ergo sit vsus superpellicei, imò & Stolæ, dum excipiuntur Confessiones saltem in Ecclesia in omnibus fermè locis, cur ille non adhibebitur à socijs è

Indeco-

Indecorum esse videtur, vt cum ijsdem planè vestibus colloquatur socius cum externo ad ianuam, vel in Ecclesia cum quibus accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ ministrandum. Exemplum autem aliquorum Regularium, qui in audiendis Confessionibus haud superpellicea adhibent, sed ad summum stola contenti sunt, non stat pro socijs, qui sunt Clerici Regulares, & non habent iuxta Constitutiones, & Diplomata Pontificia habitum distinctum à cæteris honestis Sacerdotibus. Certè si exemplum vrgeret, haud adhibendum esset superpelliceum (& multò minus stola) cum habent Conciones, vel lectiones in Ecclesia; cum cæteri Regulares exceptis Ordinibus Canonicorum, & Clericorum Regularium superpellicea adhibere non soleant.

5. In Processionibus, quæ fiunt à Socijs, non solùm qui Sanctissimum Christi Corpus per Ecclesias societatis, vel extra eas defert, & duo qui illi assistunt, more Romano congruis vestibus vtantur; verum etiam omnes Sacerdotes, & Clerici superpeliceis vtantur, vt mos etiam Romanus est. Et Congreg. quidem 3. dec. 35. statuit anno 1573. quoadusque Priuilegium obtinerent à Summo Pontifice, quo à publicis Ordinariorum processionibus eximerentur socij, si ad publicas supplicationes procedere cogerentur, superpelliceo vterentur; *vt sicut in habitu* (inquit) *sequi debemus, ita etiam in huiusmodi processionibus communem honestiorum Clericorum morem sequeremur.* c.187.

6. In Sepulturis Sociorum Corpus socij Clerici superpelliceo induatur, dum Officium mortuorum à socijs cantatur, vel ab externis etiam, cum deest numerus sufficiens sociorum ad illud cantandum. Si enim Cong. 1. dec. 109. statuit, *vt Sacerdotes Socij sepelirentur inducti eo modo, quo Sacerdotes honesti eius regionis vti solent, & fratres non Sacerdotes sepelirentur quoq; eodem modo inducti, quo alij Clerici honesti, qui Sacerdotes non sunt, indui solent;* quod decretum retinendum esse, nec immutandum statuit Cong. 4. dec. 4. data tamen facultate Generali vt in eo dispensaret, si quando ad maiorem ædificationem iudicaret expedire non sequi morem aliquarum Hispaniæ Prouinciarum, in quibus Clerici sæculares, qui sacerdotes non sunt, non sepeliuntur eodem habitu clericali induti, quo vtebantur viuentes, sed eo, quo alij sæculares sepeliuntur: Multo magis videtur statuendum, vt ij qui in societate intra Clericorum numerum sunt adscripti eo modo induti sepeliatur, vel saltem eorum corpus publicè exponatur, cum ijs vestibus, quæ consuetæ sunt in funere cæterorum Clericorum. Et superpelliceum quidem adeò propria vestis Clericorum est; vt licet Cong. 1. dec. 95. statuerit, laicos qui inseruiendi missis officium habent, Clericali pileo vti debere, *de superpelliceis tamen nihil omninò voluerit statuere:* solumq; addidit. Sed *si quando expedire iudicaretur, vt huiusmodi ministri eis vterentur, petendam esse facultatem à Generali.* c.30. c.240. c.61.

Vv 7. Post

7. Post Christi Sanguinis sumptionem Sacerdos celebrans ministet Communionem, nisi sit ingens numerus eorum, qui ad Communionem accessuri sunt; neque enim videtur par, vt propter paucos, & multo minùs vnum, vel alterum Rubricas Missalis non seruentur, quæ in hoc non videntur esse merè directiuæ, vt colligi videtur ex orationibus, quæ *post Communio* dicuntur. Potest quidem laudabiliter adhiberi Epicheia, vel laudabilis fieri interpretatio talis legis, cum non exiguus est numerus ad Communionem accedentium.

8. Nullus Sacerdos sudariolum supra Calicem deferat cum ad altare accedit, vel ab eo regreditur; videtur enim id maximè indecorum. Deferatur potiùs ad cingulũ appensum hoc pro naribus sudariolum.

11. Chirothecas omninò adhibeant laici, dum tangunt Calices, & Corporalia, & purificatoria.

12. Sanctorum reliquias ad Altare deferat, & inde asportet semper Ecclesiæ Præfectus duobus cereis semper accensis.

13. Non permittatur laico Aedituo aperire, vel claudere locum, in quo immediatè reponitur Sanctissimum Christi Corpus.

14. Quando iam multi sunt Sacerdotes otiosi adhibita solùm laici opera in illis, quæ non leuem corporis laborem secum ferunt, minùsq; Sacerdotes decent, Aedituus vnus e Sacerdotibus constituatur; sic enim maior quoque obseruantia erga res sacras, & erga ipsos quoq; sacerdotes, quos vnius laici æditui placito stare haud videtur æquum, conciliabitur.

15. Non exponatur sanctissimum Eucharistiæ Corpus ad placitum vnius fœminę, aut vulgaris hominis: sed nonnisi graui ex causa, Consultatione habita à Rectore, cum sufficientibus facibus, & cum obligatione, vt vnus e socijs semper adsit orans: indecorum enim videtur, vt cum paucissimis candelis illud exponatur, & nullus ferme adsit aliquando.

16. Interdicatur socijs vsus Priuilegij, quod existimant se habere, licet non repositum sit in lib. Priuileg. vt scilicet possint Feria Quinta Extra Quadragesimæ & Aduentus tempus cum officium non est semiduplex, vel duplex, recitare officium de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, & sabbato de conceptione B.V. ad modum semiduplicis; hoc enim esse videtur contra placitum Cong. 5. & iam à Romano ritu deflecterent socij, si autem semel aliquibus Prouincijs maximè in Italia communicatum fuerit Priuilegium illud à Generali, cæteris negari meritò non poterit; & si negaretur, vel aliquibus tantum iam concessum fuerit, difformitas iam quædam in recitatione officij apparere potest, quæ non potest non nocere mutuæ caritati. Vtinam multi non vtantur hoc Priuilegio causa subterfugiendi laboris, ac tædijs, quod experiuntur in recitatione officij longioris ijs diebus ab Ecclesia Romana designati.

17. Con-

17. Conſtruantur tres tumuli, in quorum vno ſepeliantur ſacerdotes, in alio Clerici, in alio Laici iuxta Rituale Romanum iuſſu Pauli editum.

18. Laici non adhibeantur ad inſeruiendum Miſſis, niſi in defectum Clericorum: qui dum hoc munus detrectarent, vel ad illum difficiles ſe exhiberent, haud eſſent promouendi ad Ordines Sacros.

Caput Decimum.

De Reformatione circa Adminiſtrationem Rediduum, quos habent Collegia &c.

1. *Pono.* Collegia, Domoſq; Probationis in Societate poſſe eſſe reditibus dotatas ad ſcholaſticorum ſuſtentationem
Exam.c.1.§.4.atque eorum etiam, qui extra Collegia gerunt illorum
negotia p.4.c.2.§.5. Quod idem habet Formula Inſtituti tum Paulo
propoſita, in qua habetur, *Poſſit tamen habere in Vniuerſitatibus Colle-* In Bull.14.
gium, ſeu Collegia habentia reditus, cenſus, ſeu poſſeſſiones vſibus, & ne-
ceſſitatibus ſtudentium applicandas; tum Iulio Tertio propoſita; in qua
habetur. *Quia tamen Domus, quas Dominus dederit, ad operandum in*
Vinea ipſius, & non ad Scholaſtica ſtudia exercenda deſtinandæ erunt;
cum valde opportunum fore alioqui videatur, vt ex iuuenibus ad pieta-
tem propenſis, & ad litterarum ſtudia tractanda idoneis, operarij eidem
Vineæ Domini parentur, qui Societatis noſtræ, etiam Profeſſæ, velut quod-
dam Seminarium exiſtant, poſſit Profeſſa Societas ad ſtudiorum commo-
ditatem, Scholarium habere Collegia, vbicumque ad ea conſtruenda, &
dotanda ex deuotione aliqui mouebuntur. Ex quibus patet Collegia in
societate fuiſſe primò a s. Ignatio inſtituta, vt in ijs alerentur ſcholaſtici socij; in quorum defectum ad tempus quoque externos iuuenes
ali poſſe dicitur p.4.c.3.§.4.L.B & c.9.§.1.L.A. Hinc idem s. Fundator p.4. in qua per capita ſeptemdecem agit de ijs, qui in societate retinentur, inſtruendis in litteris, & alijs, quæ ad proximos iuuandos
conferunt per nouem capita ſolùm agit de ijs quæ pertinent ad ſcholaſticos societatis, in alijs verò agit de ijs quę ad externos etiam ſcholaſticos pertinent, ſupponitque ſcholaſticos ſocios ali in Collegijs, de
quorum adminiſtratione in hac parte peculiariter agit. Quare non
immeritò dubitari potuit, & adhuc dubitari poteſt, an Collegia, in
quibus actu ſtudentium sociorum ſeminaria ſunt, conformia ſint priſtino ſocietatis Inſtituto in Conſtitutionibus, ac Diplomatibus Pontificijs expreſſo. Quod non tollit, quo minùs laudabiliter etiam potuerint inſtitui Collegia ad externos tantum iuuenes in litteris inſtituendos; cum enim multis in locis litteras humaniores docere cœpiſ-

c.1.p.4.c.2.§.5.& c.10.§.1.p.6.c.2.§.3.p.9.c.3.§.18. & c.4.§.6. & p.10.§.4.

4. *Pono.* Posse redditus Collegiorum p. 4. c. 2. §. 5. L. F. expendi in vsum illorum, qui Collegijs vtiles fuerint, cuiusmodi sunt Administratores, Concionatores, Lectores, Confessarij, Visitatores, & alij professi, vel similes personæ, quæ spirituali, vel teporali Collegiorum huiusmodi vtilitati vacant. Et p.6.c.2. §. 3. licet dicatur, *Professi viuant ex eleemosinis in Domibus, cum aliquò non mittuntur; nec officium Rectorum ordinarium in Collegijs, vel Vniuersitatibus Societatis habeant (nisi ipsarum necessitas, vel magna vtilitas id exigeret) nec reditibus eorum in Domibus vtantur;* subdi tamen ibi L.C. *In Collegijs Professos non habitare intelligitur, diu in eis manendo; quamuis dum aliò iter faciunt diem aliquem, vel tempus congruum in eis manere possint: habitare autem diu etiam possint, cum necessarium, aut conueniens ad ipsius Collegij, vel Vniuersitatis bonum id esset; vt si ad gubernationem studiorum essent necessarij; vel si legerent, aut in spiritualibus exercitijs Confessionum, & Concionum, ad Scholasticos, qui id præstare deberent, subleuandos; vel ad id demum, quod ipsi non possunt, præstandum, occuparentur; vel si ad visitanda, & dirigenda huiusmodi Collegia, vel Vniuersitates mitterentur. Quando etiam necessarium, aut conueniens ad vniuersale bonum id videretur; vt si aliquis cum expressa facultate Præpositi Generalis scribendi gratia per tempus aliquod eò se reciperet.* Et L.D. addi. *Res minimæ ducuntur pro nihilo: & ita ad scrupulos eximendos declaratur, vbi Rector eum, qui iter per ipsius Collegium haberet, ac viatico egeret, viatico aliquo, ac eleemosina prosequeretur recipi eam posse &c.* Habetur præterea Priuilegium à Iulio Tertio anno 1552. die 22. Octobris concessum, vt *Socij etiam Professi, qui senio confecti sunt, vel infirmitate grauati, & ad operandum in Vinea Domini non idonei, possint de licentia Præpositi Generalis, vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicauerit, habitare in Collegijs, & ex eorum reditibus sustentari.* In li. Bull. c. 77. Et in lib. Pr. c. 145.

5. *Pono.* Generalem p.4.c.2.§.5. & p.9.c.3.§.3. per Rectores ab ipso constitutos administrationem Collegiorum exercere in ijs quæ ad ædificia, & temporalia ipsorum bona in scholasticorum vsum comparata, & necessitates ipsorum scholasticorum, atque eorum etiam, qui extra Collegia gerunt illorum negotia: teneri autem Rectores reddere rationem totius administrationis quando & cui per Generalem constituetur p.4. c. 2. §.5. c. 10.§.2. dicitur autem p.9. c.3. § 4. Curandum esse Generali, vt Rectores, siue Collegiorum, siue vniuersitatum rationem officij sui eo modo, qui conuenire maxime videbitur, reddant.

6. *Pono.* Licet Reg.81. Prouinciales iubeat, *Magnum æs alienum Collegia, vel Domos conflare non sinat:* & Cong.6. dec.46. commendauerit Generali, vt ad Collegia liberanda ære alieno, quo pleraque in

Hispa-

Hispania præsertim vehementer præmebantur, remedia adhiberet, illique promiserit anno 1608. se in posterum quicquid fieri posset, præstiturum, quod *ad malum hoc, ne saltem serperet magis*, maximè commodum fore iudicaretur; attamen in Italia maximè, & Hispania experientia patere Collegia complura, & maxime scholasticorum Seminaria, siue Vniuersitates ingenti ære alieno premi. Ex quo illud maximum societati incommodum importatur, vt superiores rerum temporalium sollicitudine ita grauentur, atque opprimantur, vt vix respirare possint, & externis occupationibus ita se totos tradāt, vt præcipua, summaq; cura in hoc vno sita esse videatur, vt habet P. Claud. in litt. de Medijs ad conseru. soc. & c. 1. Instruct. de spir. ad superiores: cogantur multas facultates concedere accipiendi pecuniam, aliaque ab amicis, cognatis, pœnitentibus &c. peculiaria beneuolentiæ signa non possint non exhibere ijs socijs, qui pecunias vltrò ipsis offerunt, quæ non exhibent dignioribus socijs; multa his indulgeant, vel dissimulent cum his, qui pecunias corrogant; & si Superiores non prouideant socijs necessaria pro sua indigentia iuxta p. 6. c. 2. §. 16. L. N. & Reg. 90. Prouinc. & 26. Præp. & 25. Rect. ipsimet subditi vltrò sibi ea quærant, ac excusare se possint eo quòd talem paupertatis modum vouerint, vt necessaria sibi pro consueto societatis more quoad victum, vestitum, cubiculi supellectilem, iter agendum &c. societatis superiores prouideant; quod dum non præstant, vel præstare non possunt superiores à quibus hæc petuntur, non intelligunt se obligasse ad vlteriorem paupertatē. Quæ doctrina, & aliæ huic similes (quicquid sit de earum certitudine, vel probabilitate, vel improbabilitate, id enim discutere in præsentia haud nostri est negotij) non possunt non esse propter incommoda saltem, quæ inde sequi queunt, valde societatis Paupertati, ac Religiosæ disciplinæ noxia.

In lib. Epist. c. 196. In Instr. c. 16.

In lib. Regu. c. 54. 78. & 98.

Vt ergo Collegiorum redditus congruè administrentur, ac liberentur Domus Societatis ære alieno, adeoque etiam Societas liberetur illis incommodis, quæ inde in Sociorum spiritum importata sunt, vel importari adhuc maiora possunt, horum quæ sequuntur inducenda, vel reuocanda praxis videtur.

P.° Externi constituantur Procuratores in prædijs, Villisque; vt plurimum enim hi solent esse peritiores, illisque multa licet facere in bonum Collegiorum, quæ haud socijs licent. Et ab his exigatur ratio in singulos menses dati, & accepti à Procuratore in Ciuitate, vel Oppido degente, aut à Rectore, & identidem inuisantur etiam prædia ab hoc Procuratore, vel Rectore: non sit tamen hic Procurator socius superior illius externi, sed solùm proponere possit, quæ in Prædijs, Villisque sibi visa fuerint indigere instauratione, meliori cultura &c. Rector autem nihil constituere possit, nisi prius huius externi sensum audierit, Consultoresque vnanimiter consenserint. Nec erit admodum

diffici-

difficile socijs externos Viros fideles, ac versatos reperire, si reuera id velint superiores, & in id conspirent cæteri socij, & illi maximè qui præsunt sodalitatibus, quæ ex vario hominum genere erectæ sunt in Domibus, & Collegijs societatis. Id etiam si vt plurimum saltem fiat, maiora sociorum spiritui commoda accedent, *de quibus c. 2. huius partis*.

2. Deputentur pro socijs Procuratorum e societate aliqui sacerdotes, quos Prouincialis accedente Consultorum iudicio censuerit esse aptos ad munus Procuratorum; sic enim cum antiquioribus hisce Procuratoribus, quos supponimus esse admodum versatos, Iuniores isti agentes praxim negotiorum contractuum, ac aliorum quæ sunt propria Procuratorum discent, & non cogentur eam discere praxim præcedentibus incommodis ingentibus Collegiorum, Domorumq;. Exploret autem Procurator, illi alicuius negotij curam demandans, quam habilitatem re ipsa præseferat, instruat, dirigat, & si in quo errauerit, admoneat &c.

3. *Singulis mensibus* Rector iuxta Reg. 57. à Procuratore *rationem accepti & expensi, præsente Ministro, exigat*, sed exactè: & si Procuratorem in aliqua re mendacem fuisse, vel æquiuocatione vsum fuisse deprehendat, acerrimè puniat. Idque præstet etiam, si non opportunè emerit res, præcipuè diu duraturas (vt Procur. Reg 9. monet) aut non commodo pretio, aut non bonas, aut insalubres. In lib. Reg. c. 112.

4. Emantur res bonæ, & quam commodissimo pretio poterit, licet sint longius petendæ ab emptore iuxta ipsius Regul. 1. vel à Procuratore. c. 151.

5. Sollicitè videat Procurator, num ea quæ empta sunt, illæsa conseruentur; atque animaduertens aliqua non vt oportet conseruari, aut expendi superiorem, vel Ministrum admoneat iuxta Reg. 10. Proc.

6. Non constituantur Ministri (& remoueantur, si re ipsa cognosceretur esse nimis liberales) qui sibi proponerent beneuolentiam subditorum conciliare augendo numerum, vel qualitatem, vel quantitatem eorum quæ socijs solent dari quoad victum, vestitumque &c nec dissimuletur si vel semel ipsi præscriptam in his rebus legem, vel consuetudinem violent, & tanquam non leuis omnino culpę rei, puniantur non leuiter; Acriùsque puniantur, si nonnullis, & maximè Iuuenibus, ex priuata quadam familiaritate multa concedat, vel vltro offerat ex ijs quę ad communem vsum reseruari debent.

7. Non constituantur Ministri, vel Rectores ij, quos Gulę vitio detineri experientia docuit, vel qui suorum commodorum nimis amantes sint: hi enim & pro se, & pro subditis, ne ipsi met coargui possint merito, expensas non consuetas pro victu, vestitu, alijsq; rebus faciunt.

8. Non permittatur, vt Rector, vel Minister habeat apud se pecuniam, quam expendant etiam pro Collegiorum, vel Domorum necessitati-

ſitatibus; ſed ſolum apud Procuratorem illa ſit, ſolusque eam Procurator expendat; id enim pręter alia incommoda economię vtile haud eſſe poteſt.

9. Obſeruetur exactè n. 9. c. 2. Ordin. Gener. *Superiores Locorum in-*
c.20. *conſulto Prouinciali ædificare nihil debent; nec permittere Prouincialis, vt quidquam niſi quod neceſſarium ſit ædificent.* Sed ſtatuatur quoq; vt prouincialis etiam quod neceſſarium eſt non permittat ædificari, niſi præhabita conſultatione peritorum, à quorum ſententia haud liceat superiori diſcedere. Neque enim perſuadere debet ſuperior vna cum litteris de Rectoratu à Generali acceptis accepiſſe ſimul cognitionem omnium artium. Hinc in Inſtruct. 8. pro Coadiutoribus Tempo-
c.38. ralibus dicitur. *Præterea expedit, vt peritis in ſua cuique arte credatur, nec facilè illis etiam ſtudio mortificationis contradicatur.* Cauendum tamen eſt adhuc, ne Coadiutoribus, qui vix manuales in ſęculo fuerunt, eò quod ſocietatem fuerint ingreſſi, habeatur fides, tanquam Architectis. Examinetur diligenter ac ſedulò adhitis maximè externis, qui ſolent eſſe peritiores quàm ſocij, qua ratione ædificia inſtauranda ſint, alia ædificanda &c. Et peritiorum iudicio ſtetur, nec ab eo recedere vel ipſi Prouinciali liceat, niſi certò conſtet minùs illud opportunum fuiſſe deprehenſum, Generaliſque moneatur, ac iterum peritiſſimorum iudicio ſtetur. Et licet ad Generalem pertineat
c.148. In l. Reg. 50. formam, ac ędificiorum ſocietatis præſcribere iuxta dec. 84. Cong. 2. & reponitur etiam in Reg. 75. Prouinc. hoc tamen non tollit, quo minus etiam ipſe non debeat, imò teneatur ſequi in his iudicium peritiorum, etiamſi externi illi ſint, & ſi cognoſcat hoſce non adhibitos in conſultationem, eorumve iudicium non ſincerè ſibi delatum, debeat præcipere Prouinciali, vel ſuperioribus immediatis, vt præſentibus Conſultoribus ab externis etiam ſenſum ſuum exquirant, puniatque ſuperiores, qui minùs ſincerè certiorem ſe fecerint de illorum ſententia.

c.51. 10. Prouincialis iuxta Reg. 79. *Videat Computa inter Superiorem, & Procuratorem tranſacta, rationemq; exigat accepti, & expenſi*, idq; diligentiſſimè: & iuxta litt. P. Claudij anno 1601. die 7. Aprilis videat præterea, an expenſi redditus in rebus neceſſarijs, emendis, & quam commodiſſimo pretio &c. Rectoreſq; in hoc negligentes publicis etiam pœnitentijs puniat, & ſi notabiliter in hoc illos defeciſſe deprehenderit, moneat Generalē, vt poſſit illos ſuſpendere, vel etiam à munere gubernandi remouere.

13. Tollatur omnis ſuperfluitas, & exceſſus, qui à multis ab hinc annis inducta eſt in ijs quæ pertinent ad victum, veſtitum, cubiculi ſuppellectilem, Inſtrumenta ad agendum iter, & alia de quibus dictum eſt *cap. 1. huius partis.*

14. Vt liberentur ęre alieno Collegia, ac etiam Domus ſocietatis hęc

etiam

etiam peculiariter obferuanda videntur.

Et P.° Quidem ex Epiftola P. Claudij anno 1601. die 7. Aprilis.

1. Rector non poffit, nifi ter in annum pro fingulis vicibus pecuniam accipere mutuam, ad triginta, vel quadraginta nummos aureos; & hoc dummodo omnes Confultores confentiant, & fit certum intra tale tempus huiufmodi æs alienum foluendum. 2. Prohibeantur omnes fabricæ, & quæcumq; inftaurationes abfq; expreffa facultate prouincialis, qui in toto triennio folùm poffit dare facultatem centum nummos aureos expendendi. 3. Mittantur per Prouincias duo focij periti, ac diligentes, qui Collegiorum, Domorumq; ftatum temporalem obferuent, notentq; annum, in quo æs alienum contractum, reditus, & expenfas, & quot e focijs alere poffit quodlibet Collegium, & de his certiorem faciant Prouincialem, qui in confultatione agat, vbinam excedens numerus collocari poffit &c. 4. Prouincialis, vt ære alieno liberari poffint Collegia, omnino ea, quæ maiori premuntur paupertate deoneret, vt aliqua pars redituum ad extinguendum æs alienum feponi queat etiamfi opus effet, vt ij qui in hifce Collegijs remanerent, ex emendicatis viuerent Eleemofinis. 5. Prouincialis in vifitatione fedulò id, quod mox diximus num. 12. exequatur. 6. Numerus fociorum, qui vltra redditus Collegiorum in Collegijs aluntur, reponatur in Collegijs commodioribus, & in Refidentijs, in quibus focij ex eleemofinis viuant, præmonitis ciuibus fociorum contrahi numerum eo quodã confcientia ad id compellantur, fint minùs ipfis molefti, & ad meliorem ftatum reuocentur Collegia. 7. Legata, & alia quæ focietati relinquuntur, fi ftabilia non fint, applicentur ad extinguenda debita, neq; agatur de vllius rei etiam emptione abfq; expreffa facultate Generalis. 8. Curetur, vt inftruantur homines apti ad munus Procuratoris, Et Sacerdotes huic muneri feriò dent operam. 9. Vitentur diligentiffimè itinera, ac mutationes perfonarum, quæ non funt omninò neceffariæ; quia re ipfa verè fit in expenfis exceffus, equi conducuntur, emuntur fuperflua, & curiofa focijs, atq; externis tribuenda &c. 10. Quod fupereft viatici, etiamfi ab externis tributum fuiffet, in Collegiorum vtilitatem deputetur.

2. Ex dec. 82. Cong. 7. In qua cum remedia poftulata, ne Collegia fupra vires perfonarum numero, vel oneribus grauarentur, hæc probata fuerunt. 1. Ne plures in fingulis alantur, quam per facultatem ali poffunt: pauciores etiam. 2. Ne plures in Nouitiatum admittantur, quam qui Prouincijs neceffarij funt. 3. Ne coadiutores quartam partem in Collegijs, in Domibus verò profeffis ne tertiam partem excedant. 4. Vt onera, ad quæ e Fundatoribus, aut Conftitutionibus Collegia non tenentur, ad tempus faltem iudicio prouincialis, ommittantur; admonito tamen prius Generali. 5. Ne operarijs, maximeq; coadiutoribus, defit in quo occupentur. 6. Vt Rectores, reliquique n.462.463. & 464.

Xx officia-

officiales tales adhibeantur, qui prudentes sint œconomi; ordinatio-nemq; P. Claudij de rebus temporalibus commendatissimam habeant. Sed neq; permittendum Rectoribus, vt œconomiæ domesticæ formam in rebus alicuius momenti inconsulto Prouinciali immutent. 7. Ne personarum sine necessitate mutationes fiant. Superflua ne domi habeantur: non equi, non famuli plures: serueturq; ordinatio P. Claudij circa peregrinantes data anno 1611. caueantq; Prouinciales, ne imponendis contributionibus Collegia grauent: quin magis ex ijs, quæ in potestate sua habent, eorum indigentiam subleuent. 8. Causas æris aleni contracti in visitationibus diligenter inquirant Prouinciales; nec patiantur superiores, quorum negligentia debita creuerunt, sine pœnitentijs abire; moneantq; Generalem de talibus, si rei grauitas id postulauerit, a munere amouendis.

3. Iubeatur, vt nullus omnino admittatur ad Societatem, donec omne plane æs alienum a Collegijs, Domibusq; singulis vniuscuiusque Prouinciæ persolutum sit. Et cum citius aliqua Collegia liberari possint quam alia, ex minus commodis in commodiora semper socij mittantur: Et ex singulis Collegijs duo ad missiones in illa Diæcesi in qua situm est Collegium, per aliquot menses saltem mittantur, inuicem sibi in eo labore quibusq; Sacerdotibus pro Prouincialis iudicio succedentibus.

4. Quando æs alienum contrahitur ea præcipuè de causa, quod socij in Domibus, & Collegijs alantur plures, quam ali possint ex rediti-

c.127. bus, vel consuetis eleemosinis *contra dec.* 27. *Cong.* 2. editi anno 1565. quod etiam confirmauit Cong 3. anno 1575 die 16. Iunij in quodam decreto, quod iussit reponi in Archiuio, non Actis inseri, in cuius fine

c.195. sic habetur: *Visum est pæne omnibus vt in his Collegijs* (Collegio scilicet Romano, & alijs seminarijs Prouinciarum) *Nostrorum numerus minuatur, ita vt deinceps nulla debita contrahantur, sed nos accommodemus S. Concilij Tridentini decreto, & nostro*; & multò magis contra Decretum hoc Concilij Tridentini approbatum a pluribus etiam Pontificibus, & postremò ab Vrbano 8. de cuius consensu sacra Congregatio Eminentissimorum Principum sac. Concil. Trid. Interpretationi præposita saluberrima anno 1625. decreta edidit ad exactam illius obseruantiam valde opportuna; videtur omnino statuendum, vt Prouinciales in Europa degentes quotannis reddant cum iuramento Sacram Eminentissimorum Congregationem præpositam, vel negocijs Regularium, vel Interpretationi Tridentini de redditibus singulorum Collegiorum, eleemosinisque Domorum professarum, ac de numero sociorum, quos in illis aluerunt; & si quando Prouincialis velit augeri numerum sociorum supra Collegij vires, Rector, siue Præpositus, atque Procurator moneat Generalem, & nisi hic remedium attulerit, Sacram Congregationem de qua supra, vel Nuncium Apostolicum,

licum, vel Ordinarium, qui in hoc tanquam Sedis Apostolicæ delegatus agat contra quoscumque socios etiam prouinciales qui minùs paruerint Decreto Tridentini, alijsque decretis anno 1625. de hac re editis. Quando nec suis, nec Tridentini, nec Summorum Pontificum decretis hac in re tanti ponderis ad obseruantiam maximè Regularem obsequentes se præbuerint à compluribus ab hinc annis socij, par esset vt superioribus omnibus, ac Procuratoribus præceptum obedientiæ sub pœna etiam excommunicationis imponeretur de huiusmodi monitione facienda. Neque excusare se possunt Prouinciales, vel alij Superiores dicentes, *Quod cum aliquando socij* causa bellorum, vel simili, ex vna Prouincia in aliam commigrare cogantur, vel etiam aliquando reditus Collegiorum, vel eleemosinæ minuantur, eandem tamen, vel etiam ampliorem sociorum numerum alere coguntur Prouinciæ, ne fiat contra religiosam caritatem, diuinamque; ideoque ab eadem caritate compellatur ad alendos plures, quam præsentes Collegiorum, reditus Domorumque professarum eleemosinæ ferant, adeoque ad contrahendum æs alienum. *Dico enim* 1.° Etiam Collegiorum reditus in dies amplificari quoque, & tamen experientia posse patere Collegia non pauca maiori ære alieno premi, quam dum minores reditus haberent: hanc eamdem quoque experientiam declarare, Collegia adhuc premi ære alieno, illudque multum contraxisse, etiamsi non appareret necessitas multiplicandi socios, vel alendi alios, qui accesserint ex alia Prouinciæ, illæ autem occasiones non fuut frequentes. *Dico* 2. Ideo in 7. Congreg. dec. 83. iussum fuisse, vt pauciores etiam alerentur, quam ferrent reditus. *Dico* 3. Hoc non tollere, quominus in his casibus ad Apostolicam Sedem recurrere debeat, vt anno 1625. iussum est. *Dico* 4. Cur non eadem caritas vrget omnes socios, vt non nihil detrahi patiantur de solito victu, ac vestitu, parcant nonnullis sumptibus, qui in aliquibus extraordinarijs recreationibus fiunt, amputent superfluitates in Vineis, Villis, gulæ irritamentis, alijsq; oblectamentis, tam magnificos apparatus etiam in Ecclesijs deuitent, emendicent etiam ad ostiatim eleemosinas petant &c. Omnes enimuero familiæ, etiam ditissimæ, cum prudentes sunt, in aliquibus occasionibus solitis detrahunt expensis, illisque multò magis detrahunt, cum soluere tenentur æs alienum, si aliquod contrahere aliquando coactæ fuerint, ad quod soluendum habent obligationem naturalem, quæ ad quid in hoc casu compellat docent Theologi etiam societatis in Materia de Restitutione, quibus optandum est, vt semper se conforment superiores societatis. *Dico* 5. In hoc casu instituantur Missiones, ac Residentiæ temporaneæ, de quibus P. Claud. sæpe. *Dico* 6. Vtinam non consultò habeantur ære alieno Collegia pressa, ne scilicet à Romanis Pontificibus ad decimas, aliasque contributiones soluendas compellantur.

CAPVT VNDECIMVM.

De Expulsione Vitiorum Grauissimorum secundum se, licet non Carnalium &c.

QVatuor præcipuè Vitia obijci possunt socijs (quæ Carnalia simpliciter non sunt) vt colligi etiam potest ex litt. p. Claudij de Tribulationibus scriptis ad vniuersam Societ. anno 1602. die 29. Iulij, & 4,381,410 p. Mutij de Oratione &c. datis ad vniuersam quoque societatem anno 1617. die 2. Ianuarij. *Primum:* Quod *Socij superbi sint, honoris amantes, ac propriæ existimationis; huc ipsi tendant, vt omnia per eos administrentur, ex ipsis pendeant vniuersa: de sua sapientia amplè, magnificeque sentiant, cæteros parui faciant, modico in pretio habeant.* *Secundum:* Quod *Socij vitæ commoditates impensè sectentur.* *Tertium:* Quod *cupidi habendi, & auari.* *Quartum:* Quod *de aliorum moribus, factisque facilè loquantur.* Et tamen humilitas in Constitutionibus maximè commendatur à s. Ignatio, tum quoad actus internos, tum quoad externos p. 3. c. 1. §. 4. in ratione vestitus p. 6. c. 2. §. 15. ac deniq; in omnibus ibidem §. 16. & hanc potissimum requirit in Rectore p. 4. c. 10. §. 4. & in Generali p. 9. c. 2. §. 2. imò officia, in quibus exercetur humilitas vult exerceri aliquando à Superiore, & sacerdotibus p. 3. c. 1. §. 19. Eamque appellat fundamentum litterarum p. 3. c. 1. §. 27. Quisque etiam suadere sibi debet exam. c. 1. §. 26. sui victus, potus, vestitus, & lecti rationem foret vt pauperibus accommodatam; & in iis quæ ad rationem rerum vitæ necessarium, vel conuenientium spectant, habendam semper esse rationem humilitatis, paupertatis, ac spiritualis ędificationis asseritur p. 6. c. 2. in fine: Omnem etiam auaritię speciem euitandam esse dicitur p. 6. c. 2. §. 8. & p. 10. c. 10. Vnionem præterea animorum adeò commendatam habuit s. Ignatius, vt integrum caput, ac satis prolixum p. 8. Primum conscripserit de ijs, quæ iuuant ad vnionem Animorum: & peculiariter voluerit §. 5. vt si quis Diuisionis, vel dissensionis eorum, qui vnà viuunt, inter se, vel cum suo Capite auctor esse cerneretur, à Societate etiam dimitteretur, & p. 3. c. 1. §. 21. vt omnes ad vnionem se inuicem hortarentur.

ea. 410. 411. 412. *Vt autem morbi, qui contracti fuissent ex hisce Quatuor vitijs maximè à Societatis Iesu Religiosorum animis repellerentur, horum quæ sequuntur, inducenda, vel reuocanda præcipuè praxis*, collecta etiam magna ex parte ex litt. P. Mutij.

P.° Non promoueantur ad professionem, nisi in humilitate insignes: vt enim habet Formula Instituti Iulio Tertio proposita à s. Ignatio, In Bull. 168. & 227. *Reuera hoc Institutum omnino humiles, & prudentes in Christo, & in Christiana vitæ puritate, ac litteris conspicuos exigit.* Eadem repetit

Greg.

Greg. 13. in Bulla incipiente, *Aſcendente Domino*.

1. Non permittantur vllo modo in litterarum ſtudijs progredi, qui animaduertentur ſuperbi, vt monet P. Claud. in lit. de Medijs ad conſeru. Societ. c.201.

3. *Maximè caueat Prouincialis*, ne *Studiorum Indulgentia, & priuilegio*, quod conceditur mediocri aliquo, ſi præclara in illo ad gubernandum, vel concionandum talenta eluceant, in Reg. 19. §. 1. 3. & 8., *Vtatur, niſi erga humiles, & verè pios, & mortificatos qui eo non putentur indigni*, vt ibi §. 9. dicitur. In Rat. Stu. ca. 11. 12. & 13.

4. Curent ſocij omnes vulgò planè peruideant, nullius ſe alterius rei, quam nouiſſimi loci ambitione teneri. In lib. Epiſt. e. 410. et 411 & 412.

5. Silentio ferant patienter ſocij, nec commoueantur, ſi contemptim, ſi minùs honorificè, ſi minori in pretio habiti ſibi videantur.

6. Oble&atur animorum potiùs lucris, quam plauſibus mortalium.

6. Ne in aulas ſe inferant.

7. Ad ſpiritualem pauperum opem toto pectore incumbant.

8. Epiſcopis, eorumdem Vicarijs, ijs qui præſunt omnibus, vnicum in hoc genere s. Xauerij exemplar perpetuò contuentes, intimam ex animo ſubmiſſionem, atque obſeruantiam deferant. Ne vmbram quidem ſociorum, ſeu dicta, ſeu facta præferant, vnde oboriri ſuſpicio queat audere ſocios cum ijs pene ex æquo contendere, nihil non velle peruincere.

9. Ne alienis rebus ſe immiſceat: neque quid agatur in alia, domus alia, per ſocios nouerit.

10. Honorificè, atque officioſè loquantur de omnibus, religioſis præcipuè; ac religioſos reliquos ordines æſtiment, honorent, illiſque inſeruiant iuxta ſuum Inſtitutum; gaudeantque iuxta gradum ſuum illis ſubijci. In Epi. Ar. 100 Soc. data e. 43.

11. In vitæ commoditatibus procurandis minimè ſeduli ſint ſocij.

12. Sciant, ſtatuuntque nonnulla perferre in itineribus, Miſſionibus, xenodochijs, ergaſtulisque luſtrandis, diu noctuque ad piè mortem obeundam iuuandis pauperibus.

13. In Corporis cultu, atque veſtitu pauperes & eſſe, & videri geſtiant; neque veſtibus erubeſcant detritis, & conſarcinatis vti.

14. Nouas remiſſionum, atque oblectationum animi formas minimè excogitent.

15. Externorum menſas, optimatum in primis refugiant, neque tam ijs ſe oblectari, quam fatigari ſignificent.

16. A' litibus abhorreant ſocij, rationemque agendi veritatis, & fidei plenam, ab artificio neſcio quo, & apicibus puram ſequantur.

17. Pacta, premiſſa adamuſſim ſanctè ſeruent; ac teſtamentis condendis intereſſe recuſent.

18. Ita ſe gerant, vt omnes perſpiciant, à ſocijs hominum animos, non mar-

non marsupia quæri, neque id agi, vt ista sibi, verùm vt illos Deo lucrentur socij.

19. Procuratores, Confessarij, Ecclesiarum Præfecti, eleemosinarum conquisitores, omnes denique inuigilent, vt externi animaduertant socios terrenis rebus affixos non adhærescere.

20. Quoad Detractionis, siue obmurmurationis vitium extirpandum attendatur id potissimùm quod respondit P. Claud. anno 1592. Prouinciæ Romanæ, à qua sibi hoc proponebatur. *Congregationis Romanæ hæc fuit propositio.* Videtur vitium Detractionis, & libertas loquendi de alijs ita crescere, vt non pauci videantur sine scrupulo id facere, & quidem in materijs, & rebus non leuibus; ideo iudicauit Congregatio proponendum esse Patri Nostro, vt huic tam graui malo ponat aliquod remedium paulo efficacius, quam sint ordinaria, quæ habemus.

P. autem Claudius tunc ita respondit.

Magno nostro dolore videmus propositionem hanc veram esse; quare ne malum hoc amplius serpat, enitendum omninò erit superioribus, vt media omnia non solùm necessaria, sed ea quæ vtilia esse poterunt, adhibeant, quibus obuiam iri possit.

Et P.° Quidem occasionem captare debent in domesticis exhortationibus, quæ ad nostros haberi solent, ac seriò inculcare quantopere vitium hoc conscientiæ puritati, ac paci noceat:

2. Præter Communes Syndicos nonnulli etiam secreti adhibeantur, qui in particulari de hoc vitio referant; & delinquentibus in eo vel pœnitentiæ iniungantur publicæ, vel correctiones secretæ, prout res tulerit, adhibeantur.

3. Confessarij pœnitentes seriò moneant in his grauiter peccari posse: Si quidem detractio fuerit mortalis, cum sit casus reseruatus, referatur ad superiorem iuxta ordinat. 14. ex 22. quas Kal. Augusti anno 1590. ad Prouincias misimus. Si tamen casus mortalis non fuerit, moneant illos seriò, pœnitentiamque iniungant, ac remedia tum particularis examinis, tum alia proponat. Possent eos etiam in priuatis colloquijs extra Confessionem monere, vt à consuetudine eorum, si quos nouerint, aut viderint in hoc vitium impingere, diligenter caueant.

4. Quoniam non rarò multam præbet occasionem huiusmodi querelis, & obmurmurationibus scire, quid in Consultationibus dictum, aut determinatum sit, ratio habeatur quam diligentissima, vt Consultores seruent secretum iuxta officij sui Regulam.

5. Plurimum etiam nocet, si Admonitor, & Consultores ita cum ad se accedentibus & contristatis agant, vt spe illos iuuandi, & fouendi ea de Superioribus dicant, vt dolentium querelas approbare, atque idem quod illi de superioribus sentire videantur; hoc enim

modo

modo etiam contra illorum intentionem foueantur querelæ, & murmurationes, & confirmantur magis: Sed ita accedentes amanter excipiant, & patientes audiant, vt Superiorum auctoritatem, & amorem seruent; Non erit deerit modus consolandi eos, qui in amaritudine sunt, etiam operam suam apud superiorem promittendo, modò Caritas, & prudentia, ac necessaria in verbis circumspectio non desit.

6. Mancantur inter nostros selectiores nonnulli, si quid tale in nostrorum colloquijs viderint irripere, vel impedire, sermonemq; diuertere, vel meliores interponendo sermones, vel suauiter, & amanter dicendo, *Non esse tutum simile quid proferre*.

7. Intelligant etiam Nostri, tum in exhortationibus, tum à Confessarijs, & seriò doceantur, in detractione, & murmuratione facile esse lethale peccatum; & licet in particulari ex circumstantijs fieri possit, vt culpa eo non pertingat, tamen ex natura rei, si non semper mortaliter, fere tamen grauiter peccari, exempli gratia.

- *Cum malam de Prælatis opinionem subditorum animis per huiusmodi verba infterimus, vel bonam euellimus, aut quouis modo ipsos à Prælatis alienamus.*
- *Cum obedientiæ vires, & simplicitatem eneruamus.*
- *Cum dissidia, & simultates, & animorum auersiones inter fratres disseminamus.*
- *Cum Communem pacem tranquillitatem, ac regularem disciplinam perturbamus.*

Qua de re B. Bernardus pulchrè in ser. 3. de Dedicat. Eccl. de Religione loquens sic ait. *Proditores sunt quicumque in hoc Domini castrum inimicos eius inducere moliuntur, quales sunt vtique Detractores Deo odibiles, qui discordias seminant, nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum fieri Diabolo necesse est. Non miremini fratres, si duriùs loqui videor, quia veritas neminem palpat* &c. Hæc quæ anno 1592. respondit P. Claudius, reposuit idem Gener. in lib. *Industriarum pro Superioribus Societatis ad curandos Animæ morbos edito* anno 1600. in fine c. 17. quod inscribitur, *Perturbatio pacis, & seminatio discordiarum, & iurgiorum*; in quo cap. vbi huius vitij grauitatem ex plurimum sanctorum dictis sedulò explicauit, eius grauitatem ex damno proximi iterum ponderat n. 3. sic dicēs. *Ex damno, & perturbatione eorum, quibuscum viuunt, morbi grauitas intelligitur; euertunt enim pacem, animorum tranquillitatem, obedientiam, & ministeria etiam, ac fructum in proximis opinione nostrorum quoquo pacto diminuta, non leuiter impediunt. Nec solùm eo tempore, quo locuuntur, & ijs personis, cū quibus agunt, nocent, sed lædunt plurimos etiā absentes, & post multos annos, quia rumores, & suspiciones in alios, & alios deriuantur; nec in ea Domo, vbi quis est, tantùm*

c. 113. 114. & 115.

c. 107.

eius amo-

eius amori, & opinioni detrabitur, sed manat per Prouinciam, imò per Prouincias, vbi post multos annos longiſſimè potius inueniat ille à ſe abalienatos animos eorum, quibus nec nocuit vnquam, neque conuixit. Quod ſi obedientia iſtum præfecerit, miſeri ſubditi ex præiudicio, & ſiniſtra illa opinione, & conqueruntur ipſi, & torquent Superiorem, vt nec fiducia, & c.108. nec reuerentia; nec amor in ijs locum habere poſſit &c. Et n.4. ſubdit. *Intelligant non eſſe ad excuſationem ſatis, ſi id non ex intentione faciant, & formali ſtudio detrahendi, aut Societati, aut alijs: quia ex natura rei eadem ſequuntur mala, quocumque tandem animo illud dictum fuerit; nec Societati, & alijs minus propterea incommodi euenire: quia cum ſciat ſe facilè labi, debuiſſet attentiùs cuſtodiam poneri ori ſuo; ſicut & qui vim vini, & potus expertus, iterum inebriatur, non excuſatur à culpa, quia debuiſſet, potuiſſetq; cauere.* Poſtea verò plura refert remedia ad iſtud n.8. & 12 c. 108. & 112. vitium curandum: Inter cætera autem; Quod *maximè iuuat, ſi attendatur facilitas incurrendi hoc peccatum ex lingua volubilitate; quò enim* n.10.c.110. *faciliùs peccatum aliquod incurritur, eo diligentior ibi cuſtodia adhibenda eſt;* & *quam facilè ſit incidere in mortale;* & *Quod recordetur, quomodo Conſtitutiones homines referentes alteri de altero, quod caritatem lædat appellent, videlicet. Peſtem; quid in eos ſtatuant, ideſt, vt ſeparentur vel à Domo, vel etiam à Societate:* Quod *ad examen particulare cum a-* n.13.c.112. *liqua pœnitentia, quoties ceciderit, orationes & lacrymas ſeriò confugiat, ſciens quod ad periculum cadendi, & aliorum damnum attinet, PERICVLOSIVS SE HOC MORBO, QVAM CONTRA CASTITATEM TENTARI: & tamen ex iſta tentatione, quomodo humiliatur, quomodo omnia tentat, non omittit diſciplinas, orationes, Sacramentorum frequentiam? In lingua verò quaſi nullum eſſet periculum grauioris caſus, tam facilè prolabimur. Euellendus omnino hic error ab animo, & diligenter periculum præcauendum.*

Quia verò vocibus etiam ſcriptis huiuſmodi detractiouis vitium ſerpere etiam in ſocietatem animaduertit idem Pat. Claudius, moneri omnes voluit, vt in ſcribendo tùm de ſuperioribus, tùm de alijs priuatis perſonis, haberetur ratio fidelitatis, caritatis, & conſcientiæ, non adhiberentur amplificationes, in conſpectu Dei examinetur, id quod litteris conſignatur; ſuperiores ſedulò inuigilarent, ne litteræ ſcriberentur, quæ etiam indirectè alios pungerent, vel alijs derraherentur, vel illos edibiles redderent. Legantur Epiſtolæ Pat. Claudij nomine In lit. inſtr. c.72. ſcriptæ anno 1609. die 25. Aprilis, & anno 1613. die 28. Septembris. *Superiorum etiam conſcientia de hac re, veluti grauiſſima, & inimica vniori, & caritati* c.4. Inſtruct. 13. *grauatur, ſeriò vt aduigilent, & auctores diligenter inquirant,* vt ſeuerè puniantur hi, qui vitijs linguæ obnoxij ſunt: *& qui auctores ipſos manifeſtare recuſauerint, pro ipſis habeantur;* Addidit vero Congreg. 7. dec. 12. hoſce *eadem pœna mulctan-* c.414. *dos:* Quibus verbis remedium etiam opportuniſſimum addidit, quod

diligen-

diligentissimè adhibendum esset, *sed neque ipsi Superiores faciles delatoribus aures, fidemque prabeant: disquirant singula, nec laboribus parcant, donec in delata rei cognitionem veniant, vt aut innocentem ab omni delicti suspicione haberent, aut noxium & falsum delatorem pro rei grauitate puniant:* Rogat postea Generalem, vt exemplum in illius Decreti transgressores statuat, ac delationibus modum statuat. Huic malo vt P. Mutius, qui à septima hac Congregatione Generalis electus fuerat, remedium etiam aliquod adhiberet, illud proposuit quam efficacissimis verbis in litt. de Oratione ad vniuersam Societatem ab ipso primò scriptis anno 1617. die 2. Ianuarij. Cuius verba placet, licet longiora, hic apponere, vt pote grauissima.

Ad extremum si opportunè complures ad exercitia spiritualia peragenda perliciemus, inter quæ germanam spiritus Societatis speciem sæculares mente concipiunt; si de pijs rebus sermones cum omnibus miscebimus, ad vitam meliùs instituendam proximus cohortabimur; Patris Borgiæ, sanctæ memoriæ, conquestio illa cessabit: QVAM MVLTI VENIVNT AD NOS, VT FIANT DITIORES; QVAM PAVCI, VT FIANT MELIORES! *Hoc porro caput, in quo nonnulla, quæ ad linguam pertinent, perstringere necesse habeo, gaudeo in postremum hunc locum cecidisse, quòd cupiam omnibus, quæ hactenus recensui, altiùs ista cunctorum cordibus imprimi sempiternis notis. Ne, quæso, nobis, Patres, Fratresque, blandiamur; non pauci hoc in genere valido freno egent; nemini parcunt; nimia agunt libertate, & licentia, non sine graui Caritatis, Iustitiæque interdum iniuria; dum aliena seu dicta, seu facta, nunc amplificata augent, modò vltro, citroque renunciant, nunc in deteriorem partem accipiunt; ad motus animi, atque consilia Deo reseruata dijudicanda progrediuntur; haud scio, an dicendum sit, res neque gestas vnquam, neque per somnium quidem oblatas comminiscuntur, & iactant. Equidem mihi persuadeo, consultò, & dedita opera non delinqui, quòd sciam, quantus Dei timor, ipso adiutore, in Societate vigeat; verùm affirmo inconsiderantiam, indiligentiam, lubricitatem hac in re malum esse longè grauissimum;* atq; *vtinam interdum Diuina Maiestas nihilò magis, quam leuiter lædatur, eoque periculosiùs, quò minùs inde conscientia onerari alicui fortasse videbitur. Ego verò, quoniam exonerare meam statui, mihique persuasum est, innumera hinc nobis bona intercludi,* atque *ex hoc fonte in primis, & vniuersè deriuari mala, quæ æquissimo Domini iudicio toleramus, ex intimis cordis mei visceribus omnes obtestor, Examen, quod vocamus Particulare, quam accuratum per hosce dies in hoc vitium instituant; quandoquidem latiùs, quam opus esset, illud serpere per Societatem deploramus omnes, fatemurque, venenosæ huius, atque execrabilis plantæ fibris euulsis, terrestrem quemdam Paradisum illam futuram. Remedio porro vtantur, quod in Domini nomine cunctis porrigo; omniaque quæ ex remissa linguæ custodia nobis impendent mala, stirpitus eradicabit. Neque verò*

aliud illud est, quam vt omni ope, atque opera pios inter nos, cumque externis sermones instituere consuescamus. Quanta hinc, Patres, Fratresque nobis bona prouenient! Ita res domesticas, non optimi interdum exempli, sæcularibus nequaquam indicabimus, magno ipsorum detrimento, nostræque existimationis maiore iactura: ita rerum dictarum, gestarumque nuntijs aliorum aures non opplebimus; neque pro nugarum, rumorumque, qui falsi, inepti, vanique deprehendantur, auctoribus vnquam habebimur: ita nemini occasionem afferemus, vt prædicet, cum de rebus pijs colloqui animus tulerit, ad aliorum se religiosorum fores, non ad nostras accedere. Ita denique nemo sæcularium obseruabit, vsurpabitque, haud amplius in nobis vigere priscum illum Primorum Patrum spiritum, qui cum Principibus Viris, planeque omnibus, nonnisi de Deo, atque æterna salute sermones serere nouerant, eaque ratione pro arbitratu cuncta conficiebant. O si renouatam hoc in genere Societatem daretur intueri! Omni tunc sanè animi ardore inclamarem: Nunc dimittis &c.

Idem quoque Generalis eodem anno 1617. die 17. Augusti monitos superiores voluit, vt arrepta occasione, maximè publicarum exhortationum, monerent subditos, ne dum iter faciunt, narrarunt animorum amaritudines, vel pœnitentias impositas ob defectus, culpasque aut superiorum, aut subditorum vnius Collegij, socijs alterius Collegij; & dum alicuius in hoc erratum deprehenderetur, non impunitum relinquerent; neque enim defectus, sed virtutes patefacere Caritas suadet.

CAPVT DVODECIMVM.

De Reformatione circa Nouitios, Scholasticos &c.

Vt Nouitij Scholastici &c. in Spiritu non degenerent à primæuo, propriove Societatis Spiritu, horum quæ sequuntur, induenda, vel reuocanda praxis videtur.

Circa Nouitios.

P.° SEriò, nec semel admoneantur Nouitij de illis, quæ maximam difficultatem habent in Societate, progressu maximè temporis, nec aliqua ex his reticeantur.

2. Si aliqui deprehendantur non bonæ indolis, facilisque ingenij; omninò dimittatur, licet ceteroqui ingenio prędițì forent Aristotelico.

3. Haud

3. Haud illis dicat Magister Nouitiorum, superiores societatis fore tanquam Patres ipsorum: potiùs dicat, ex superioribus non paucos despoticè gubernaturos, nec bono subditorum, tanquam filiorum, consulturos: cum enim e Nouitiatu discedentes non paucos superiores experiantur difformes illis, quos Magister Nouitiorum ipsis prædicauit futuros, vel mentitum fuisse Nouitiorũ Magistrum, vel aliam esse modò Societatem inter se dictitant. Qui illud, & huic simile proferret, videretur velle Nouitios decipere: Potiùs in illis talia Virtutis fundamenta iaciantur, vt licet tales superiores experturi sint, qui non se conforment Constitutionibus, Regulis, Decretis, Ordinationibus, ac Instructionibus, quæ superiorum mores præscribunt, adhuc illis ex amore Dei subesse velint. Eadem de Causa non dicatur Nouitijs societatem conflatam esse ex hominibus perfectissimis. Potiùs illi fiant certiores, in societate plerosque esse imperfectos, minùsve obseruantes Regularum &c. vbi enim accesserint ad Collegia statim fermè ex se ipsis id deprehendent, vel deprehendere poterunt. Si dolus, vel metus intercedat in Professione ipsa quoque, Theologi ex ipsa etiam societate docent; quorum probabili solùm sententiæ possunt stare; qui vota emiserunt &c.

4. Non faciles se præbeant superiores in concedenda facultate, vt aliqui Nouitij se ad Patriam, vel ad inuisendos Consanguineos, affinesque se conferant, etiamsi inde reportaturi essent pecuniam, etiam non modicam, in bonum Domus Probationis, vel Prouinciæ.

5. Seruiant in Xenodochijs more antiquo societatis, ibidem cibum sumendo, ac dormiendo etiam saltem per vnum mensem.

6. Peregrinentur per mensem, & sine pecunia, vt dicitur in exam. c. 4. §. 12. nec diebus, quibus hospites detinentur in Collegijs, lautè excipiantur, nec ad inuisenda loca Vrbium, Oppidorumque celeberrima, nisi sint pia, & pauca, ducantur; & valde exigua eleemosina à superioribus illis recedentibus tribuatur, nec nisi exigua etiam à parentibus, vel consanguineis in itinere, vel pro itinere accipiatur.

7. Non in delicatiori, vel magis condito vtantur cibo Nouitij, quam alij e societate in Collegio maximè, ad quod proximè accessuri sint; præterquam enim id est contra mentem Constitutionum, hinc oriri queunt multæ in Collegijs querelæ.

8. Si quis amet singularitatem, vel illa indigeat in cibo, potu, vestitu, alijsque similibus, omninò dimittatur e societate; quas enim is singularitates non amplectetur, dum fuerit in Collegio, vel prouectior ætate fuerit in Societate?

9. Illius modestiæ fundamenta ibi ponantur, quam vbique in Collegijs adhibere possint Nouitij, vbi vota emiserint.

10. *Nouitij* iuxta monitum B. Franc. Borgiæ in litt. de Med. ad Conf. Spir. Societatis *bene muniantur, & instruantur Caritatis, obedientiæ, hu-* 55.

7. Seuerè puniantur scholaſtici accipientes vllam rem à quocumq; ſine expreſſa facultate ſuperioris, & ſimul quoque cuiuſq; conditionis ſocij dantes illis rem quamcumque etiam mutuò.
8. In ſingulas hebdomadas priuatim præfectus rerum ſpiritualium, vel Confeſſarius,& alternis hebdomadis ſuperior cum illis colloquatur; eorumque neceſſitatibus etiam non petitus conſulat ſuperior, imò illas vltro exploret.
9. Colloquia ſcholaſticorum in communi recreatione ſint vt plurimum ſaltem de rebus pijs, nec permittatur, vt eo tempore inter ſe diſputent.
10. Diebus feſtis omnibus per dimidiam horam vltra horam conſuetam orationi vacent; & eo die, quo accedunt ad ſummendum ſanctiſſimum Chriſti Corpus, poſt dimidiam circiter horam à Communione alteram ſemihoram impendant in auſcultando aliquo libro pio, qui coram omnibus legatur.
11. Orationi, diſcutiendæ bis in ſingulos dies conſcientiæ, quotidianæ lectioni ſpirituali in eodem loco omnes ſcholaſtici præſente aliquo ſuperiore vacent omninò.
12. In Seminarijs, Domibuſque Conuictorum in nullo munere detineantur ſcholaſtici, etiam ſacerdotes; ſed illi tantùm, qui gradum Profeſſorum, vel Coadiutorum Formatorum obtinuerunt.

Circa Magiſtros Claſſium Inferiorum.

P.° Iſti omninò ſint ſacerdotes.
2. Profeſſi etiam aliqui in munere docendi Grammaticam detineantur.
3. Qui deſignati ad hoc munus à ſuperiore, cum cæteroqui ſunt idonei, in eo benè non ſe geſſerint, ad ſuperiores docẽdas ſcientias, etiam ſi cæteroqui forent aptiſſimi, non promoueãtur: imò puniantur, etiam mittendo illos ad Nouitiatum, ſi probabilis ſuſpicio, vel certitudo ſit, cõſultò malè, vel perfunctoriè munus illud obire, vt ab eo amoueantur. Peculiaris verò ratio habeatur in promotione ad gradus, Prælaturaſque ſocietatis eorum, qui cum laude, vel qui plures annos, quam alij, in litteris humanioribus docendis inſumpſerunt: nulluſque admittatur ad Profeſſionem, qui tres, aut quatuor annos cum ſatisfactione tum ſociorum, tum externorum, non impenderit illis tradendis.
4. Nullus Magiſter occupetur Confeſſionibus, maximè Mulierum.
5. Apti ad hoc munus diutiùs in illo detineantur, excogitato aliquo premij genere illis, qui duodecim, aut quindecim annorum ſpatio litteris humanioribus trahendis vacauerint.
6. Antequam deſignentur Magiſtri, iubeat Prouincialis ſe præſente aliqua conſcribi ab illis, cui docendi munus demandandum eſt, & interrogari de aliquibus, vt ipſe certò ſcire poſſit, quinam ſint apti ad talem Scholam, vel talem ſcholam; & non credat ita facilè nonnullis, qui

lis, qui patrocinium quorumdam præferrent, Prouincialis.

7. Diligenter exerceantur omninò omnes futuri Magistri per duos saltem menses in priuata aliqua Academia, cui præsideat aliquis docendi, quoad praxim maxime, peritissimus.

cons. 8. Magistri initium docendi iuxta Reg. 29. Prouinc. in Rat. Stud. faciant ab ea schola, qua superiores scientia sint, vt sic quotannis ad altiorem gradum cum bona parte suorum auditorum possint ascendere.

9. Præfectus studiorum Inferiorum singulis, Rector autem alternis hebdomadis, & ex improuiso quoq; adeat scholas, audiantque Magistrum docentem, recognoscant aliquando à Magistro dictata &c.

10. Non accedant Magistri ad Ianuam vel ad scholam cum externis scholasticis collocaturi nisi per semihoram antecedentim ingressum Magistri in scholam docendi causa, nec cum ijs colloquantur dato scholæ habendæ fine, nisi alterius semihoræ spatio, sine expressa Rectoris facultate: qui præcipuè inuigilet, vt huiusmodi locutiones fiant in loco patenti, & obuio, & nulli omninò se magis familiarem, quam alteri, exhibeat Magister tum in schola, tum extra scholam; & si in hoc peccare deprehendat Magistrum, post correctionem, & publicam, si defectus publicus fuerit, pœnitentiam, certiorem de hoc Prouincialem reddat, qui statim ex eo Collegio ad aliud mittat.

11. Certi omnino constituantur dies, in quibus scholæ habendæ non sint; nec in hoc liceat Rectori dispensare, nisi in aliquo vrgenti casu, & suffragantibus omnibus Consultoribus. Diebus, quibus habendæ sunt scholæ, adsit Magister toto præfixo scholæ habendæ tempore, vel vno præsente auditore; nec sine pœnitentia, & graui etiam, relinquantur Magistri, qui ante Constitutiones vacationibus Generalibus dies tacitè significarint discipulis, sibi gratum fore, vt ad scholas non accederent.

12. Nullo modo permittatur, vt prēmia auditoribus ipsis danda Magister ipse emat, vel conquirat, vel ab alio habeat, quam ab ipso Rectore; qui certam pecunię summam à Prouinciali approbatam, & non ampliorem, impendere quotannis teneatur in huiusmodi præmiola. Rector autem quoque peculiarem habeat præceptorum rationem, omnia eis necessaria non solùm in victu, ac vestitu, verum etiam e libris abundè suppeditando.

Circa Confessarios.

P. Instruantur sollicitè scholastici in materijs moralibus, siue Casi-

c.439. bus conscientiæ; & iuxta dec. 33. n. 7. Cong. 7. in Seminarijs societatis scholastici teneantur *audire biennio saltem lectionem moralis Theologiæ, in qua ex professo, & solidè, succinctè tamen, explicentur materię morales, quas Scholastici Professores prætermittunt, vel nonnisi breuissimè attingunt.* Inuigilet verò Prouincialis, Rector, atque Præfectus Studiorum, ne

rum, ne

rum, ne hic, qui dicitur profiteri tertiam Lectionem Theologicam; materias ad Scholasticæ professores attentes explicet, vel in illis, si quando opus fuerit illas attingere, diutiùs immoretur; fiantque collationes in Collegijs hisce primarijs casuum conscientiæ semel in hebdomada modo præscripto in Reg. Prouinc. 14. & Regul. 7. 8. & 9. Profess. cas. conscient. Qui sit vir non tantùm doctrina, verum pietate etiam, ac prudentia illustris. In Rat. Stu. c. 9. 72. & 73.

2. Nulli omninò constituantur Confessarij, nisi præmisso domestico examine, vt iubet etiam Reg. 26. prouinc. qui adsit huic examini, vel iubeat adesse Superiorem: & hic inuigilet, vt Examinatores seriò, & non perfunctoriè, aut leuiter, explorent, an eam casuum peritiam habeant, quam munus Confessariorum in societate exigit; nec tunc solùm iubeat hosce, quos inter Confessarios adscribere statuit Prouincialis, examinari priuato examine, quando suspicatur, eos ab ordinarijs examinandos. Cum enim non rarò Ordinarij ob opinionem de doctrina Dominorum societatis, & de conscientia superiorum sine vllo examine approbent illos, quos superiores designauerint; periculum est vehemens, ne vllo præmisso examine domestico parùm apti, vel etiam inepti præficiantur Confessionibus audiendis. Et vtinam nunquam propter illius Regulę violationem periculum re ipsa factum fuisset ineptitudinis aliquorum. Hinc saluberrimum esset, vt dum Prouincialis visitat Prouinciæ Collegia, Domosque in singulos annos examinari iuberet omnes Confessarios, & illos, qui non satis apti in examine deprehenderentur, amoueret ab eo munere; illud enim prætera commodi accederet, quòd Sacerdotes non essent adeò otiosi, & in casibus conscientiæ fierent peritiores, nec essent querelæ in Societate de ineptitudine aliquorum &c. In lib. Regu. ca. 38.

3. Omninò vetetur, ne scholastici, statim ac sacerdotali charactere insigniti sunt, exponantur quorumlibet, maximè hebdomadæ sanctæ diebus, confessionibus excipiendis; cum enim non soleant illi esse admodum periti Theologiæ moralis, & diebus maximè hebdomadæ sanctæ accedere soleant viri, ac mulieres, quarum conscientia diligentissimè excutienda est, & ad salutem æternam dirigenda, nec prudentiam, nec scientiam quæ exigitur eo tempore in Confessario, possunt hi Iuniores sacerdotes habere communiter.

4. Nulli omninò concedatur audire Confessiones Mulierum, nisi qui quadragesimum excesserit annum; videtur enim incongruum, vt aliqui qui ex ineptitudine, vel in firmitate absoluere studia non potuerunt, Sacerdotes facti statim fermè Mulierum Cõfessiones excipiant, intereaque alij, qui studijs vacant, non possint vel ad ianuam accedere cum externo collocaturi nisi de expressa superioris facultate; & licet magis requiratur maturitas morum in Confessarijs, quam ætatis, negari tamen non potest, quin illa quoq; multum conferat ad au-

ctorita-

ctoritatem &c. Vsque ad quadragesimum ætatis annum exerceantur Confessarij in audiendis Virorum Cõfessionibus: Transacto trigesimo sexto ętatis anno poterit his indulgeri, vt in solemnioribus diebus nõ-nullis fœminarum Confessiones audiant.

5. Nulli quoque permittatur audire Mulierum Confessiones, nisi certa Societatis munera, & cum laude obierit: Quare huiusmodi munus non deberet ordinariè demandari, nisi Viris iam benè meritis de societate. Experientia patere potuit, vbi quis Mulierum Confessiones, ex officio maximè, audire cæpit, eo munere tantùm delectari, vt ab eo remoueri sine ingenti animi amaritudine nequeat, alijs mnneribus difficillimè applicare se possit, omnesque artes interdum adhibeat, vt iterum sibi Ordinarium munus Mulierum Confessiones excipiendi demandetur. Si experientia (inquam) id pateret; æquum ne esset, vt id munus, quod multa commoda importare debet, vel maiora, quam alia, demandaretur socio, qui cætera Soicetatis ministeria magis laboriosa non exercuit, & non potiùs socio, qui multos labores pro societate suscepisset, idque esset veluti in præmium laborum? Saluberrimum omninò esset, si munus istud nulli omninò demandaretur, nisi illis, qui v.g. magistri, ministri &c. munera, & cum laude, obijssent.

6. Nulli demandetur munus ordinarium audiendi Confessiones Mulierum, nisi de illius maturitate in moribns constet Prouinciali ex communi plane consensu suorum Consultorum, vel Consultorum illius Collegij, ac Domus in qua deget ille Sacerdos.

In Rat. Stu. ca. 9. In lib. Regu. nu. 85. 7. Iuxta Reg 13. Prouinc. & 57. Præp. bis in hebdomada in Domibus Professis, & in Collegijs semel saltem fiat collatio casuum. Vt autem cum maiori fructu hæc collatio fiat, non solùm non per tot hebdomadas, vt iam mos inductus est, illæ collationes intermittantur; verum etiam ille, qui præsidet, duos, aut tres saltem interroget ex improuiso de alijs casibus etiam non propositis; sic enim omnes Cõfessarij erunt sollicitiores in huiusmodi studio.

8. Nonnisi post integram horam orationi consuetæ impensam quibuslibet diebus etiam festis Confessarij ad audiendas quorumlibet confessiones accedant: & qui tempore examinis matutini colloquuntur in Ecclesia, siue cum Muliere, siue cum quouis alio, aliqua pœna afficiatur, nisi excusent se apud superiorem; nec Cõfessarij recitent diuinum officium in loco distractionibus, vel salutationibus obuio, sed vel in cubiculo, vel ante aliquod Altare in Ecclesia; & in his seriò inuigilent superiores.

9. Per vnum saltem horæ quadrantem se præparent sacerdotes ad Missam celebrandam, & per horæ saltem quadrantem in Sacristia, vel in templo agant Gratias post Missæ celebrationem: & si in hoc peccauerint, puniantur, & non leuiter à superiore; cui teneantur quoque referre causam, propter quam quadrante citiùs ab agendis gratijs in

Sacri-

Sacriſtia, vel Templo ceſſauerint. Hos defectus obſeruare poterit Aedituus, vel Eccleſiæ Præfectus.

10. Teneantur ſub præcepto obedientiæ omnes Sacerdotes, ac nominatim Confeſſarij, eorumque ſocij referre Superiori, ſi extra Domum aliquos, vel aliquas inuiſerint, non habita expreſſa facultate ad ipſomet superiore: & ſub eodem præcepto, vetentur adeſſe teſtamentis, vel legatis conficiendis maximè Mulierum, Virginum, ac Viduarum nominatim; vel donare aliquid cuiuſq; generis mulieribus inconſulto ſuperiore, qui ordinariè talem facultatem non præbeat, niſi præcedente Conſultatione.

11. A' Viduis, Virginibus, fœminiſque vulgaribus munera cuiuſque generis à Confeſſarijs non accipiantur: ſed ſi quid accipi cenſuerit superior, licet ſit illud peculiariter Confeſſario deſignatum, haud illi tradatur, ſed illius neceſſitati, ſi quæ fuerit, aliunde conſulatur.

12. Non peculiaria beneuolentiæ ſigna exhibeantur illis, qui aliquam pecuniæ ſummam deferunt ad Rectorem, vel Prouincialem, dum viſitat Collegia, ſed illis sacerdotibus, qui fuerint magis aſſidui in confeſſionibus excipiendis; magis ſolliciti fuerint de fructu, quam de numero pœnitentium; exactiùs regulas ſuas ſeruauerint; libentiſſimè pauperum Confeſſiones audierint; plures allexerint ad ſpiritualia exercitia peragenda in aliquo Collegij, vel Domus cubiculo; promptos ſe exhibuerint ad obeundas miſſiones, & ad occurrendum querelis deuotarum feminarum, aliorumq; pœnitentium, qui ſibi confitebantur ordinariè, propter talem abſentiam &c.

Circa Concionatores.

P.° Nonniſi hominibus plane humilibus, propriorum commodorum non amantibus, ac verè, ſolidèq; ſpiritualibus huiuſmodi munus committatur; & omninò remoueantur ab illo, qui ſuperbiæ argumenta præbuerint, vitę commoditates ſollicitè amplectantur, minùs Religioſæ fuerint amantes diſciplinæ.

2. Iuuenes re vera exerceantur in modo vtiliter, & cum animarum fructu concionandi: nec permittatur, vt hi audiant, ſiue e socijs, ſiue ex alijs illos, qui quoſdam floſculos, verborumq; lenocinia ſectantur: imò obiurgentur, ac etiam puniantur, ſi qui huiuſmodi concionatoribus plauderent.

3. In pulpitis honorabilioribus non conſtituant ſuperiores illos, qui in Concionibus, qui plauſus potiùs quoſdam hominum, & maximè Academicorum quærunt, quam animarum fructum; ſed in illis conſtituantur, qui verè Chriſtum annuntiant, loquuntur ad cor, & ea proferunt, quę ad reformationem morum, & peccatorum, atque vitiorum in populo Chriſtiano extirpationem maximè conducunt. Fieri non poteſt, quin ſcholaſtici videtes in honorabilioribus pulpitis conſtitui illos, qui Academicorum more ferè perorant, erga hunc concio-

nandi morem afficiantur, nec existimare possunt illum minime re ipsa à superioribus approbari, licet id assererent voce.

4. Si quis concionari nolit, cum re ipsa aptus sit, ac possit, detineatur in Collegio sito extra Ciuitates, & Oppida celebriora; & non promoueatur ad Professionem, vel aliud munus, vel ministerium, maximè Confessarij mulierum.

5. Nulli permittatur concionari Quadragesimę tempore, maximè in celebrioribus pulpitis, nisi antecedenti anno, & à festo omnium Sanctorum vsq; ad Circumcisioni Christi dicatum diem, & per tres menses saltem ab Octaua Paschatis vsque ad festum omnium Sanctorum diebus festis conciones habuerit: Qui diceret se inhabilem ad conciones habendas hisce temporibus, inabilis etiam iudicetur ad conciones habendas Quadragesimę tempore in celebrioribus pulpitis. Indulgeri tamen id poterit illis, qui duodecim, aut decem annorum spatio conciones ęstiuo tempore habuissent.

6. Excepto die, quo habentur Conciones, seriò inuigilent superiores, vt Concionatores religiosam planè disciplinam custodiant; nec vlli permittatur eorum cubicula adire, vel ipsis aliorum, sine expressa superioris facultate, qui non facilem se exhibeat in ea concedenda Magistris, Scholasticisque maximè.

7. Seriò inuigiletur, ne Concionatores, aliquos libros, poetarum maximè Italicorum perlegant: Adeoque Superiores aliquando eorum cubicula, ac suppellectilem librorum præcipuè, visitent.

8. Non permittatur, vt cum alijs socijs, & multo minùs cum externo vllo, in cubiculo Concionatores comedant, vel prandinm, cœnam ve sumant; nec extra Quadragesimę tempus permittatur habere apud se vllum genus dulciariorum, & ex his nullum permittatur illis etiam Quadragesimæ tempore dare cuiuis socio accedenti, nec illi etiam offerre potum, vel quiduis aliud, nisi habita pro singulis vicibus semper expressa facultate ab ipso Præposito, & Rectore.

9. Illa, quæ præscripta sunt circa Victum Concionatorum, tum Quadragesimæ tempore, tum reliquo anni tempore, tum quoad qualitatem, tum quoad quantitatem, omninò inuiolabiliter seruentur, nec liceat in illis quocumque modo dispensare Superiori inconsulto Prouinciali, qui teneatur à Superioribus identidem exigere; *Quam religiosos se exhibeant Concionatores; an lautitias in victu quærant; an conquerantur, si quid aliquādo minus, vel ex vestitu, vel ex victu ipsis arriserit; an ædificent eos, qui cum ipsis loquuntur* &c. Nullaq; ratione permittant, vt singularitatem aliquam habeant in instrumentis maximè ad iter, vestibusque interioribus: Et qui sine aliqua singularitate v. g. sine lineis ex tela tenuiori, ac preciosori, se non posse concionari dictitant, aliud munus illi demandetur: Multoque minus permittatur, vt secum cum ex vno Collegio in aliud abeunt Concionatores huius-

huiusmodi linea secum deferant: Imò saluberrimum esset, vt Concionatores discessuri omnium planè, quæ secum deferre velent, Indicem superiori exhibeant, superiorque etiam ipse videat, ne quid superfluum, vel curiosum deferatur.

10. Nullam pecuniæ summam apud se habeant Concionatores, etiam vltrò oblatam à quouis externo: & si quando Concionator ipse extra societatis Ecclesias conciones habens in loco, vbi non est superior societatis, eleemosinam pro viatico receperit, teneatur sub præcepto superiori illius Domus, vel Collegij, ad quod accedit, sincerè significare summam acceptam, expensas in itinere factas, & quod superest, superiori eidem tradere. In ijs verò locis, in quibus est Collegium, vel Domus societatis, nullam eleemosinam etiam in pauperes distribuendam, ne dum pro ipsius viatico, de consensu planè superioris recipere possit.

11. Habeatur à superioribus peculiaris ratio, Quoad victum quoq; illorum, qui conciones habent ad moniales, in plateis, vel in aliquo publico loco; non minores enim sæpè hi subeunt labores, quam Concionatores, qui e suggestis in Ecclesijs concionantur; quibus tamen religiosa caritas suadet, vt aliquid extraordinarium concedatur.

12. Acerrimè puniantur superiores, qui fuerint negligentes in suppeditandis, etiam abundè, necessarijs omnibus illis, qui hoc munere toti Ecclesiæ vtilissimo, & maximè societatis proprio detinentur.

Circa Superiores.

P.° Sint homines valdè spiritualibus deuotionis exercitijs dediti.

2. Nolint per se ipsos omnia exercere, sed Procuratores, Ministros, reliosq ue officiales sinant fungi munere suo, nec eorum muneribus se implicent, nisi ad exigendam rationem &c.

3. Non sint amantes peculiarium quarumdam Commoditatum, nec eas sibi procurent, dum interim alij, & maximè senes, ac valetudinarij, alijque magis de societate benemeriti, quam ipsi, necessarijs, ne dicam, conuenientibus, destituerentur.

4. Alloquantur frequenter subditos, eos consolentur, eorumque necessitates præueniantur.

5. Non se ostendant perpetuò memores defectuum à subditis commissorum; nec sub iustitiæ zelo aliquos perpetuò persequantur, vel ijs parum propitios se exhibeant. Ingentia enim uerò Societati incommoda hinc potuerunt, possuntque afferri.

6. Non peculiarem propensionem ostendant erga vllos ostendant, nisi sint ex communi consensu in virtutibus insigniores.

7. Non peculiaria beneuolentiæ signa exhibeant litteratis cuiusque generis, nisi simul in litteris excellentiæ iuncta sit in Virtutibus præstantia. Multóq; minùs laudēt Iuuenem propter ingeniū, nisi simul & sincerè, eumdem propter insignem virtutem commēdent, vel cōmendare possint.

Zz 2 8. Sint

8. Sint amatores cubiculi, in eoque vel orent, vel legant libros maximè ad Institutum pertinētes, & libellum S. Bonauenturæ de sex Alis: vel colloquantur cum socijs de rebus ad profectum in spiritu, & virtutibus, vel Religiosam disciplinam spectantibus.

9. Sint primi, qui præfixo tempore orent, conscientiam discutiant &c.

10. Haud sint tenaces proprij sensus, in ijs rebus maximè, quarum subditi sunt peritiores.

11. Erga hospites, & maximè infirmos, senes, ac benè meritos de societate materni amoris signa exhibeant.

12. Ipsi etiam puniantur errantes, ac deponantur &c.

Hæc pro nunc dixisse satis sit ad maiorem Dei gloriam, ad Ecclesiæ vtilitatem, & ad ingens commodum ipsius societatis; quam enimuerò maximè ille amat, qui vt vel antiquo virtutum splendori restituatur, vel in virtutibus proficiat, maximè adlaborat. In ijs autem, quæ diximus, an Societas indigeat Reformatione, vel efformatione, vel maiori Superiorum vigilantia, ac sollicitudine, vt executioni mandentur &c. ipsimet socij in primis dijudicare queunt.

Pars Septima.

Quænam damna potuerint, possintque Ecclesiæ importare Religiosi Soc. Iesu à primæuo Spiritu deficientes.

Pono. 1. PRæsensisse hæc incōmoda P. Claudium Aquauiuam, qui cum seriò monuisset Prouinciales, vt diligentissimè incumberent ad formandos pro socijs optimos rerum spiritualium Præfectos (hoc autem licet curatum ab ipso vrgendo Prouinciales antecedentibus Annis scribat Anno 1599. multa tamen, & magni momenti in eo desiderari asserit, & se persæpe multas in eo genere querelas audijsse, idque multo etiam magis perspexisse, cum non ita multo pridem, qui spiritualium rerum statum inspicerent, Inspectores per Prouincias dimisisset) hæc scribit. *Cum ad Scholas instruendas non maiorum studiorum modò, sed minorum etiam humanitatis, & Grammaticæ varias artes, exercitationesque inuenerimus, vt idonea suppetat Copia Magistrorum; prudentissimus quisque optimè intelligit, quantò id Magisterium maius sit, ac magis necessarium, cum in eo multò minùs, quam in altero liceat esse conniuentes, non modò, quia nobilius, maiorisque momenti est; sed etiam quia, basis, & fundamentum est alterius: Si quidem Doctrina à spiritu seiuncta, & Societati, proximisque magis obesse, quam prodesse, & Ecclesiæ Sanctæ nulli, aut perexiguo adiumento esse potest.*

[Margin: 7. lib. Instr. Instr. 8. n. 1. & 2. c. 48.]

[Margin: n. 4. c. 49.]

Pono. 2. Hæc incommoda Ecclesiæ prouenire potuisse, vel posse.

3°. A' Concionatoribus ſocietatis. Id monuit idem P. Claudius in litteris de felici Progreſſu ſocietatis, qui cum toto cordis affectu monuiſſet, vt in concionando *antiquus, germanuſque Societatis modus, & ſeruaretur diligenter, & ſicubi degenerauit, ſedulo inſtauraretur,* & ne peregrini quidam modi, atque à Societatis fine, inſtitutoque alieni introducerentur, dum incipiunt Iuniores imperitæ plebis aures mulcere; hæc ſubdit. *Quæ de re non ſubijciam plura, quandoquidem non ignorant Reuerentiæ Veſtræ* (ſcribit ad ſuperiores ſocietatis) *quid in hoc genere vel Prouincialis Regulæ ſtatuant, vel ad diuerſas Prouincias Beatus Pater noſter piæ memoriæ perſcripſerit. Illud tantùm non prætermittam, hoc à me negocium maximi momenti æſtimari; quippe cum miniſterium ipſum tanti in Eccleſia Dei faciendum ſit, quanti ipſa reformatio morum, & peccatorum, atque vitiorum in Populo Chriſtiano extirpatio. Itaque ſemper maximum Dei beneficium duxi, cum eos Diuini Verbi Seminatores mittit, qui loquuntur ad Cor; & contra maximum omnino flagellum, cum eos venire permittit, quorum in Eccleſia ſtrepitum D. Hieronymus amarè deflet, qui fiunt populo, quaſi tuba, & cythara ſuaue ſonans; qui profectò adulterant verbum Dei potiùs, neque ea annunciant, quæ aut ad pœnitentiam prouocare, aut Chriſtum in cordibus audientium formare queunt.* Et quoniam *non poſſum vere de ea re ſine magno animi dolore cogitare, nec ignoro quid à me Eccleſia Chriſti ſuo iure exigat; ſi quæ ſunt in Societate vires ad eam iuuandam, cupio vehementer Reuerentias Veſtras id vt intelligant,* & *opere exequantur* &c. In lib. Epiſt. Præp. Gener. c. 118.

4. A' Lectoribus, ſiue Scriptoribus Societatis. Id innuit P. Mutius Vitelleſcus in litteris ad ſuperiores hæc ſcribens. *Quartò nonnullorum ex Societate Sententiæ, in rebus præſertim ad mores ſpectantibus, plus nimio liberæ non modo periculum eſt, ne ipſam euertant, ſed ne etiam Eccleſiæ Dei vniuerſæ inſignia afferant detrimenta. Omni itaque ſtudio perficiant, vt qui docent, ſcribuntve, minimò hac Regula, & norma in delectu ſententiarum vtantur. Tueri quis poteſt: probabilis eſt; Auctore non caret: Verum ad eas Sententias accedat, quæ tutiores* &c. c. 432.

Tono. 4. A' doctrina ſpiritu, & virtute deſtituta non poſſe non exiſtere ambitionem, & ſuperbiam quæ à nullo poterit contineri, & ſupprimi, vt habet B. Franciſcus Borgia in litteris de medijs conſeruandi ſpiritu Societatis anno 1569. qui poſt nonnulla etiam addit; *hinc naſci mentis inquietudinem, quæ alijs faſtidio ſunt, & perturbationes, quærimonias, obmurmurationes, diſſidia nationum, diſcordias* inter fratres, & ab ipſis ſuis Superioribus &c. Ambitio quidem, & ſuperbia dicitur reliquorum criminum fons, & origo. Licet autem in Societatis hominibus Doctrina non ſemper virtute etiam non vulgari deſtituta reperiatur; cum tamen in Societate vniuerſa à multis ab hinc annis potuerit, vel modo poſſit eſſe maior Doctrina, quam ſpiritus copia, pluresque enumerari poſſint doctrina quàm pietate illuſtres; multa hinc mala c. 53. & 58 c. 306.

Eccle-

Ecclesiæ ipsi à Societate importari potuerunt, possuntque.

Hæc verò peculiariter recenseri queunt.

P.° *Inijcere timorem Pontifici*, ne audeat contra societatem aliquid moliri, vel agere; *curando, vt aliqui Sociorum beneuoli declarent Pontifici potentiam, quam habent apud Principes* (quæ non rarò minor est, ac sibi persuadeant socij, & aliqui etiam existimāt, nam Principes e societate homines nō paucos prosequi se amore ex priuatis quibusdam causis simulant, vel etiam diligunt *tamquam aulicos, & festiuę conuersationis homines, vel ad certum ipsorum finem ac propositum*, vt innuit P. Claud. in litteris de Tribulationibus datis anno 1602.) & *Academiarum vbique fere gentium excitatarum effigiem publicè exponendo*, vt videant Pontifices, Romanaque cognoscat curia, tot Academias posse contra pontificem conspirare, si non beneuolum se Societati ostendat; & *Libros eulgando*, qui minus Pontificiæ auctoritati faueant; ac *opiniones docendo*, quæ erga Pontificem obseruantiam in populis, ac Principibus minuant &c.

2. Assentari aliquando Pontificibus manifestis adeo argumentis, vt vel *Pueri ipsi in Scolis id norint*: Pontificisque Nepotum animos conari sibi deuincire, eos *cum Patruo arrepta vndique occasione publicè* alicubi laudando, tum soluta, tum vincta oratione; expensas non vulgares faciendo, vel etiam curando vt ab alijs illæ fiant (in beneficium tamen ipsorum Sociorum) vt Pontificis recentur creati Nepotes Mensa, & publica in Gymnasio, & priuata intra domesticos parietes panegyri, & carminum, picturarumque affixione excipiantur, alijsque similibus factis eorum gratiam aucupari, sicuti & eorum etiam, quos norint esse Pontifici gratiosos.

3. Sociorum qui, vel quorum affines, & consanguinei in curijs Principum aliquam obtinent auctoritatem, delicta dissimulare, aliorum verò grauiter punire; illis plura concedere, quæ non solent concedi; alijs vero, quos vident Magnates parum beneuolis prosequi animis, denegare etiam illa, quæ concedi solent.

4. Auctoritatem Pontificis in Romana Curia Pontificiaque temporali iurisdictione amplificare, & prædicare; alibi illam minuere: sed plus æquo etiam aliquando exaggerare contra etiam mentem Pontificum ipsorum, qui optimè norunt ex aliquarum opinionum publicatione maxima Ecclesiæ in temporalibus quoque damna afferri: *eamdem quoque minuere, dum agitur de potestate Pontificis circa ipsius Societatis Institutum, & Constitutiones; extollere verò, dum agitur de eadem potestate circa reliquos Religiosos Ordines*: exaggerare Immunitatem Ecclesiasticam apud Pontificem Romanamque Curiam, suaderque Pontifici, vt accerrimum illius propugnatorem se præferat: Principibus verò secularibus eam ostendere mancam, & imminutam, illisque suggerere, quod teneantur in conscientia tueri fines iurisdictio-

risdictionis suæ illibatos omnino seruare, ac posteris custodire; consulere tranquillitati publicæ; Immunitatis Priuilegia ab ipsis etiam Principibus concessa propter variationem circumstantiarum, & peculiariter ob multitudinem Ecclesiasticorum, & non seruatos Canones Sacros spectantes ad Clericos, maxima saltem ex parte cessasse; esse omnes Principes in ditione sua tanquam Oeconomos &c. & saltem probabiliter multa agi posse contra immunitatem Ecclesiasticam suggerere.

5. Pluris facere etiam simplicem ordinationem Generalis, vel alterius Superioris, quam Constitutionem Pontificiam; minùsque huius, quàm illius obseruantiæ inuigilare.

6. Obedientiam cæcam à subditis exquirere, ita vt velint superiores subditos submittere voluntatem iudiciumque voluntati, ac iudicio superiorum; ipsi vero nolint submittere voluntatem, ac Iudicium voluntati, ac iudicio Pontificis expresso per Bullas etiam Pontificias; nec laborent vt idem faciant subditi, sed potius tùm Superiores, tùm subditi excogitent rationes, vel sophismata, quibus eludi possit Mens Pontificia.

7. Bullas Pontificias contra Pontificis mentem, stylumque Curiæ interpretari: & si quid sit in Bullis, quòd minus arrideat ipsis, vel faueat ipsorum Amicis, tanquam inconsideratè factas, & non cum illis circumstantijs, quæ requiruntur ad Leges, asserere; minusque de Romanæ Curiæ sapientia, quam etiam par esset, sentire.

8. *Reos facere criminis Pontificem, aliosque Principes, siue Ecclesiasticos, siue seculares, si quid decernant contra id, quod ipsi sentiunt, siue proponunt faciendum, vel derogent alicui concessioni iam factæ*; omnemque ingenij conatum adhibere, vt Pontifici maximè suadere possint peccato, & non leui, se obstricturum, si quid contra ipsorum sententiam statuat.

9. Excogitare rationes, quibus persuadere sibi possint *Constitutiones aliquas Pontificias ipsos non comprehendere*, vel *etiam non potuisse comprehendere*, licet id sufficientibus etiam verbis, alijsve signis ostenderit Pontifex: vel eas Constitutiones eludere; vt contingeret, si v.g. socij se obligarent titulo gratitudinis ad persoluenda quinquaginta in singulos Annos illi, qui ipsis dedisset mille nummos Aureos, cum tamen Pontificia Constitutio vetaret contrahi à Regularibus æs alienum, neque institui census &c.

10. Cum agitur de ipsis, ipsorumq; Constitutionibus, Priuilegijs &c. *Statim ad deterrendos eos, qui minus sapiunt, Sedis Apostolicæ dignitatem, auctoritatemque permiscere; quasi qui illis minùs adhærent, minùs obseruantes sint Apostolicæ Sedis; & non possint Statuta quæcumque Societatis minùs luadari sine contemptu Apostolicæ Sedis.*

11. Pontificum, Cardinalem, Magnatum, & aliorum, qui ipsis faue-runt,

runt, vel fauent, donaueruntque donantve, laudes miris modis amplificare, & euulgare; & *aliorum, qui minus ipsis fauerunt, vitia, & errata* (nemo autem, licet ceteroqui pius, ab omni crimine immunis est) diligenter notare, exaggerare, ac publicare; idque *peculiariter facere circa Cardinales ea de causa*, vt *impedire possint, ne ad Pontificatum euehantur; Principibus etiam suadendo, vt enitantur, ne hi talem gradum assequantur*. Est quidem verum, quales sint P. Iesuitarum modò artes, nosse Principes; qui minùs bene de ipsis possunt sentire modò, ac antea sentiebant.

12. *Sub specie maioris boni, iurisque naturalis obligationis parum se obsequentes Sedis Apostolicæ Sacrorumque Congregationum decretis præbere*: illamque speciem communis, maiorisque boni statim insinuare, quando ipsi volunt aliquid obtinere, siue ex Iustitia, siue ex Gratia, maximè in sacris Congregationibus; ita vt videantur quasi illæ cogi ad concedenda socijs postulata, nisi adessent Viri verè prudentes, ac prouidi.

13. *Latissimè interpretari ea, quæ sibi concessa sunt à Summis Pontificibus*; cum tamen nolint huiusmodi interpretationem admittere in ijs, quæ superiores subditis concedunt.

14. Ferre aliquas Leges, ordinationes aliquas promulgare, vt possit ostendi Pontificibus sufficienter iam in societate prouisum tali modo, quod aliqua Lege peculiari præcauere, aut auertere velle Pontifices præsenserunt; sed interea non inuigilare illius obseruantiæ imò priuatim scribere ad superiores, ne sint valde soliciti de tali rè, licet debeant præseferre illius zelum; vel dissimulare, si Superiores conniueant.

15. Scribere ad socios, *vt consulant Doctores, quando ipsi Superiores petitia Subditis ex vna parte censent Socios aliquam Constitutionem Pontificiam non comprehendere*; & ex alia nolunt quod censent interiùs, declarare exteriùs, ne à Pontifice coarguantur, vel puniantur.

16. Omnem collocare operam, ne *Socij recurrant ad Eminentissimos Principes, & maximè ad Legatos, Nuntiosque Apostolicæ Sedis, & Congregationes Cardinalium*; vel socijs in aliquibus etiam minùs laudabilibus indulgendo; vel *Sociorum mores manifestando huiusmodi Prælatis etiam cum exaggeratione, imò & commemoratione omnium plane defectuum, qui ab ipsis commissi sunt vnquam, vel notati, vel etiam sunt Communes cæteris; vt tamquam discoli, minùsque Religiosi habeantur, & eorum querelæ, licet iuxta cæteroqui, tamquam inquietorum hominum, reijciantur*. Quod si non possint socio, quem timent appellaturum ad Summum Pontificem, vel eius Legatum, vel Sacram Cōgregationem, vel qui iam appellauit ad eos, vel ad eos recursum habuit, vel eorum auxilium implorauit, crimina appingere, vel scirent talium erratorum, qui proferrent in medium, eos prudentissimos Principes nullam

ferme

fermè rationem habituros; *melancolicis humoribus, & hyppocondriaco Morbo Socios hoſce premi, horum Præſulum auribus inſuſurrare*; ac *poſtea horum omnia dicta, factaque diligenter obſeruare*, vt *habeant, in quo eos accuſare poſſint, ac punire etiam grauiter; licetque aliam obtendant cauſam*, ab Officijs societatis, quæ aliquam ſpeciem honoris habent, vel quæ hiſce socijs arriderent, eos vel remouere, vel remotos habere poſtea.

17. *Contendere cum Ordinarijs de iuriſdictione; & in vſu gratiarum per Sedem Apoſtolicam conceſſarum, non ſolum animarum auxilium finem ſinceriſſime ſibi proponere iuxta Conſtitut.* p. 10. §. 12. hic enim nequit haberi, dum irritantur Ordinarij, quibus non poteſt non eſſe moleſtiſſimum, quod socij, qui ex iure communi deberent eſſe ſibi ſubiecti, velint eſſe ſibi ferme pares in illa iuriſdictione spirituali, quæ ad ipſos propriè, ac ſimpliciter ſpectat.

18. *Curare verbis, & ſcriptis, vt Epiſcoporum iuriſdictio manca, ac valde imminuta exiſtimetur*; interimque ſibi, vel alijs etiam, vt inuidiam deuitent curare, vt pars illius iuriſdictionis demandetur; & *Ordinariorum, qui minùs ſe beneuolos Societati oſtendunt, errata quæcumque notare, eaque Romam deferre*, illorumque exiſtimationem, apud amicos ſuos maximè, imminuere; & ſedulam nauare operam, vt horum dicta quæcumque, & facta perſpecta habeant, vt habeant, in quibus reprehendi poſſint huiuſmodi Ordinarij.

19. Detrahere Sanctæ Inquiſitionis Prælatis, qui minùs ſe socijs propitios oſtendunt, tanquam Viris parùm doctis, & prudentibus &c. Vt vero aliquos alliciant ad ſibi benefaciendum, eos fingere, tanquam minùs ſibi propitios &c.

20. Omni ferme officiorum genere, etiam proprio primorum aulicorum, & præcipuè adulatorio, Principes, tum Eccleſiaſticos, tum ſeculares ſibi deuincire, vt *Populi ipſos reuereantur*, tanquam qui multum poſſint apud Principes; vel *vt ipſos Principes, tanquam ingratos, accuſare poſſint*, ſi poſtea eos non ſibi valde propitios experiantur.

21. Omni opera eniti, vt *poſſint Principes ſuo regere arbitrio, nihilque faciant hi ipſis ſaltem inconſultis*: Si quid proſperum illis accidat, ſe tãquam talis facti conſiliarios apud Populum publicare: ſi quid aduerſum, ſe à tali re conſulenda remotos fuiſſe prædicare; vel ſaltem aſſerere, non executioni plenè mandatum conſilium à ſe præſtitum; etenim ſi illi plenè fuiſſe obtemperatum, feliciter omnia ſucceſſiſſent.

22. Inſinuare ſe in amicitias Magnatum ſub ſpecie ipſos iuuandi in ſpiritu; ſed re vera, *vt ſubterfugiant regularem diſciplinam, ac debitam Superioribus obedientiam; vt certa honoris obſequia à reliquis etiam Socijs ſibi deferantur; ocium vitent; eorum quæ in Mundo fiunt, notitiam habeant; poſſintque aliquos, quos minùs amant in Collegijs, vel Domibus, faciliùs amouere; ſi quid inconſideratè aliquando actum, vel dictum ſit*

Aaa *ab ipſis*

ab ipsis contra Principem, vel præter Principis voluntatem Principi ip- si quoque referentes: expicari etiam, si aliquid vnquam ab horum Socio- rum Maioribus gestum fuerit contra eumdem Principem, vel eiusdem Principis Maiores, vt huiusmodi Socij, quos sciũt magis gratos fore Prin- cipibus, si ipsos noscerent; in talibus Collegijs à Superioribus non deti- neantur; Vel si quanda hospitentur in Collegio, vel Domo huiusmodi socij, curare, ne cum Principibus colloquantur.

23. Primariorum Virorum facta, licet minus æqua, ac pia, si sint ami- ci, *omni arte excusare*, sicut & eorum, qui illis aliqua donant, vel mo- rientes bona legant; & si quid boni ab his gestum fuerit, ita *amplifi- care, vt huiusmodi homines, licet cæteroqui parùm pios, qui Socios laudan- tes audierit, piijssimos fuisse putent*; & *pro mensura bonorum, quæ ipsis do- nantur, mensuram etiam laudum præbere*.

24. Varias opiniones, & inter se penitus discrepantes amplecti, vt *possint Principibus maximè vnique se gratos reddere*, eorum voluntati- bus inter se oppositis penitus obsecundantes; & in hoc casu aliorum extra Societatem siue scriptorum, siue Doctorum sententias multi- facere.

25. Secreta Principum curare vt perspecta habeant, notitiamque acquirant negociorum, quæ ad rationem status pertinent, eaque po- stea amicis significare.

26. Non erga principes in subditis conseruare debitam subiectionem, sed eos ad resistendum ipsis principibus, maximè etiam cum Ecclesiæ incommodo priuatis saltem Litteris, vel monitis hortari; euulgare o- piniones, quæ minùs tali subordinationi faueant: si enim ex vna parte licet Subditis nõ obedire superioribus suis quotiescumque solum pro- babiliter censent rem præceptam esse illicitam, vel ipsos superiores excedere potestatem suam, quod scripsit celebris aliquis Theologus ex ipsa societate in Libro iam edito; & ex alia parte vel vnius homi- nis aliquando dictum iuxta scriptorum quoque societatis celeberri- morum sententiam sufficit ad reddendam aliquam opinionem pro- babilem; quam facilè subditi subterfugere poterunt obedientiam Principum, aliorumq; superiorum, ac mutuò conspirare, ne obediant!

27. Probabilitatem opinionum maximè laudare, earumque praxim prædicare passim, & maximè illam suadere amicis, ac benefactori- bus, *etiamsi minùs fauorabiles sint Principum commodis, bonoque com- muni*.

28. Aliorum crimina, vbi occulta erant eo nomine publicare, vt fa- ciliùs à similibus perpetrandis auerti queant homines; libellosque fa- mosos aliquando excusare, eo quod alia ratione malis grauibus pro- uenientibus à nonnullis Viris occurri non possit: Si *quis verò etiam pu- blicum, ac notorium delictum ab ipsis Socijs paratum alibi narret*, eum *tanquam maledicum, ac detractorem accusare, & librum in quo aliqua*

eorum

eorum errata certa, & ferme publica describantur, Statim tanquam famosum libellum curare supprimendum, eiusque Scriptorem acerrimè puniendum.

29. Parum sollicitos esse de aliorum infamia, quæ vergeret etiam in dedecus illustrium familiarum; omnibus verò contendere neruis, vt fama societatis conseruetur etiam cum aliorum dedecore, extenuando miris modis, si nequeant illud negare, delictum patratum ab aliquo socio.

30. Esse faciles in censuris affigendis cæterorum opinionibus: *Statim ad hæresis suspicionis de hæresi, temeritatis, improbabilitatis, scandali que notam confugere, vbi aliqua sententia ipsorum Principijs minus consona sit; ac hæreticum, suspectum de hæresi, aut temerarium appellare eum* (vt ex his, similibusque nominibus excitetur odium, maximè vulgi, & hominum mediocris litteraturæ in hunc) *qui agit, vel procurat aliquid non consonum ipsorum placitis, maximè circa modum gubernationis Societatis* &c.

31. Velle cæterorum omnium Censores esse; ita vt quod ipsi iudicauerint, illud sine dubio pium, iustum, sanctumque sit, secus quod alij; *conquerique, si in omnibus eorum sensus non exquiratur*; & *cupere esse Arbitros controuersiarum*, quæ vergunt inter Populos, & Principes, inter Clerum, & populum, inter Principes Ecclesiasticos, & seculares, alijs exclusis etiam Regularibus.

32. Iuuenum, qui aliqua virtutum gloria inter eos excelluerunt, laudes mirificè exaltare, externis prædicare, ad eos inuocandos excitare alios, horum vitam conscribere, Effigies imprimendas curare, easque auditoribus suis tradere, omissis hisce Officijs cum celeberrimis Patribus, qui in societate virtutibus heroicis floruerunt, magnaque præstiterunt in Ecclesiæ, animarumque beneficium, maximè si minus aliqua in societate constituta hisce placuerint, vt *Monarchica gubernatio, Generalatus perpetuus, dilatio Congregationum Generalium vltra* trium annos.

33. Si quid boni, si quid præclari in societate agatur, omnibus manifestare etiam cum amplificationibus: litteras quouis mittere, si quis Concionator alicubi maiorem præ cæteris audientiam habeat; si verò minorem habeat, quam alter, huius quodlibet recensere vitium, declarando amicis, se mirari, quomodo hic talem audientiam habeat, id referre in beneuolentiam Ciuium, vel ad media ab ipso adhibita, non ad Concionatoris merita, ad dicacitatem, vel scurrilitatem eius, non verò ad zelum, eloquentiam &c.

34. Ambire primas Sedes etiam supra Religiones superiores; easque despicere quasi ipsæ nulla ferant Ecclesiæ commoda indigeantque Reformatione, societas verò hac non indigeat, & ante cæteras omnes Ecclesiæ proficua sit: *Institutum Societatis prædicare omnium perfe-*

ctißimum, & cui nullum par fuerit, vel par esse possit: nullum fermè Sanctum esse ex Fundatoribus saltem Religionum, cui tantum debeat Ecclesia, ac Sancto Ignatio, eumque alterum Saluatorem appellare, & qui ex sapientia cælitus infusa tradiderit omnia, quæ habentur in Constitutionibus, & continentur in Instituto; cui nihil addi, vel minui possit &c.

35. Petere à Pontifice non solum priuilegia non communia cæteris Religionibus, verum etiam quę derogent priuilegijs aliarum Religionum; & hoc peculiariter expetere, vt ipsius societatis semper peculiaris mentio fieret, dum Pontifex derogare vellet societatis Priuilegijs.

36. Nolle cum cæteris Religionibus nec in nominibus conuenire; ex. gr. si omnes planè Conuentum Generalem ad creandum Generalem appellare soleant Capitulum Generale, ipsi nominent Congregationem Generalem &c. & licet socij cantent Missam, nolle tamen in Ritu non solum cum Regularibus cæteris, verum etiam nec cum sæcularibus Clericis conuenire.

37. *Aliorum pias exercitationes etiam in proximorum auxilium, deprimere verbis;* mala quæ ex illis aliquãdo per accidens oriuntur, libenter commemorare, sicuti & crimina aliorum Regularium, eaq; libenter audire, vel ex historijs colligere.

38. In historijs, siue annalibus societatis, qui conscribuntur vel eduntur, solùm preclarè gesta referre, quasi in Societate nunquam fermè peccatum sit; Vnde paruam vel nullã fidem sæpè habendam ijs, quæ referuntur, multi existimare possint, cum tamen negari non possit, quin fuerint in societate viri virtutibus, alijsque præclaris dotibus illustrissimi.

39. Catalogum scriptorum societatis edere, in quo plures recenseantur qui vel vnicam orationem habuerint, vel aliquid leue conscripserint, vel ex alijs etiam societatis scriptoribus solùm fermè rescripserit, & existimare societatis scriptores solum veritatem attigisse, cæterisq; omnibus sapientiores fuisse; cæterorum extra societatem in eorum libris nonnullis nullam, aut leuem facere mentionem; mirificè verò laudes scriptorum aliquorum societatis (licet illi non leuiter quoque commendari queant, ac debeant) amplificare.

40. In Libris, qui euulgantur, opiniones amplecti Laxiores, & aliquando callidè in hoc suam sententiam celare; discedere à communibus sententijs, & quæ iam Doctorum calculo receptæ, vel eas in controuersiam vocare; quasdam quæstiones agitare, quæ parum vtilitatis afferunt, multum verò incommodi Ecclesiæ importare queunt; multa coaceruare ex alijs in oppugnandis aliorum etiam e societate scriptorum, imo & Doctorum, qui typis libros non commiserunt, rationibus, licet idem sentiant cum oppugnante, magnam Librorum partem insumere; ingenij vires exercere in metaphysicis quibusdam

subti-

subtilitatibus potiùs, quam in corroborandis opinionibus tutioribus, vel quæ pietatem alere possunt &c.

41. Esse simplicitatis inimicos, *amicissimos verò amphybologiæ, eamq; suadere etiam alijs* (vnde commercium humanum, vel inter eos, vel etiam eorum cum externis impediatur) & *à non stando partis, promissis ve excusare se, ex eo, quod talem habuerint mentem, quæ quocumque modo talibus verbis subintelligi possit.* Qui *æquiuocationis modus si adhiberetur à Superioribus, cum promittunt maximè aliquid subditis, multò maiorem afferret perniciem.* Quis enim tutus esse posset de promissionibus?

42. Non esse fideles in testamentis, alijsque vltimis voluntatibus adimplendis, ex *eo quod noua circumstantiæ ipsis videantur apparere, propter quas mutatio facienda sit*; Vnde plerique retardentur à legando illis, vel etiam contrahendo, nisi quædam insolitæ apponatur clausulæ.

43. Quibusdam artibus *Fœminarum, & maximè Viduarum, ac Virginum, quæ aliqua bona obtinent, animos sibi conciliare, sæpius eas inuisendo, munuscula quædam pia præbendo, earum causas in Tribunalibus quoq; tuendo* &c. *Mercatorum, & eorum, qui diuitijs abundant, amicitiam maximè procurare, ijs donare aliqua ex India allata, & his similia, vt maiora inde reportent lucra.*

44. *Negotiationibus quibusdam occultis operam dare minùs Religioso Homine dignis*, nec ex illis vectigalia soluere; alicubi verò publice negotiari, etiam cum scandalo tùm fidelibus, tùm hæreticorum.

45. Ius *defensionis, quod habent Socij, valdè amplificare factis ipsis*: vt si quis aliquam societati, vel socio alicui iniuriam inferat calamo vel dicto, non solum illam refellere, *sed omnes proponendum illius defectus, ac vitia propalare, & ea vndique conquirere, quæ talis Viri famam, & honorem lædere possint*, eumque *reddere opprobriosum, & pro vno vel leui vulnere mille lethalia infligere. Vindicare iniurias acerrimè*; nec *earum obliuisci vnquam: factisque ipsis post multos etiam annos id ostendere*.

46. Parum sollicitos esse de contrahendo ære alieno, eoque persoluendo, alendisque pluribus in Collegijs, vel Domibus, quam redditibus sustentari possint, eo etiam consilio, nè à Pontifice possint eorum redditibus imponi decimæ, vel aliæ similes exactiones, neque possint instituti commendæ &c.

47. Vti *notitia per Confessionem habita extra Confessionem ad exteriorem subditorum gubernationem*; Quamuis enim id prohibuerit P. Claudius anno 1590. illa tamen prohibitio reponitur inter Instructiones, quæ non habent Vim coactiuam; quam licet haberet, possunt eam tamen, vel potuerunt interpretari de non adhibenda illa per se, & ordinariè, non per accidens, & in aliquo extraordinario casu. Plurimos ca-

sus re-

sus reseruare vltra illos, quos reseruari posse censuit Clemens Octauus; *esse difficiles in concedenda facultate maximè ordinaria, absoluendi subditos ab illis etiam criminibus, quæ afferunt solùm ipsi pœnitenti damnum spirituale*; & in hoc maximè laborare, vt vnus tantum Confessarius in quolibet Collegio, vel ad summum duo in maximis etiam Collegijs, ac Seminarijs sociorum, vbi educantur ad litteras, constituantur contra id quod statuit Clemens 8. decreto edito anno 1593. ad vitandam perniciem animarum Religiosorum: *Quam afferri Sociorum animabus, nemo prudens dubitare potest, si supponatur in tanta multitudine Sociorum, & maximè iuuenum, esse multos etiam imperfectos, si ad vnguem non seruetur illud Clementis Decretum.*

48. Passim prædicare Profectum spiritualem non in pœnitentijs, & mortificationibus exterioribus situm esse, sed interioribus virtutibus; & hoc vt minuant auctoritatem Religionum, quæ vitæ austeritatem amplectuntur; amplificent verò suam societatem; eamque appellare omnium Religionum strictissimam, vel cuique parem in Regularum arctitudine, non attendentes, non ad id sufficere, quod tales Regulæ cartis descriptæ sint.

49. Ita ordinationibus, regulis, ac præceptis subditos deuincire, vt si præscripta seruare voluerint, vix oculos ad Cœlum attollere possint; & insudare, & parui momenti, aliquæ Leges seruentur, vel præferre, quod id velint, & possint quandoque hominibus parum versatis in eorum moribus declarare, eos posse ex talium cura conijcere, qualis cura habeatur legum quæ sunt maioris momenti; cum interea non paruæ ex his vsu, vel consuetudine videantur abolitæ, & superiores parum de illis solliciti.

50. Vrgere semper aliquos, quibus non placent, quæ fiunt à nonnullis maximè Superioribus, dareq; occasionem illis petendi dimissionem è societate, vt possint superiores faciliùs exequi, quod libuerit.

61. Vbi *agitur de aliquo, vel leui, præiudicio Monarchiæ ipsorum, seuerissimos esse cum Socijs, qui illud attulerunt, vel afferre intendunt*, licet sub alia specie eos videantur punire vel dimittere è societate, siue darè vltro occasionem petendi talem dimissionem.

52. Curare per aliquos ex ipsa societate etiam, vt quos dimittere volunt, ipsi vltro talem dimissionem petant, verentes, *ne si inuiti dimitterentur, hi recurrere possint ad Pontificem, vel Sacras Congregationes*; quæ si scirent causas, propter quas illi dimissi essent inuiti, cogere possent Generalem ad eos iterum admittendos, vel ad causas propter quas dimissi sunt Pontifici, & Congregationibus exponendas, quas non raro vellent superiores alto obrui silentio.

53. Sub specie peregrinationis ad aliquem pium locum corrogare pecuniam ab amicis, propinquisque, vel maiora sibi in itinere illo commoda quærere, quã si negotij alicuius causa ad illũ concederent locũ.

54. Sub.

54. Sub *specie maioris gloriæ Dei multa facere minus Religiosos viros decentia*: si plus æquo corporis commoditatibus indulgeant; si in itineribus, & maxime in Missionibus, parum paupertatis memores sint; si animi relaxationibus in vineis, villisque, & confabulationibus dediti sint; si magnificos apparatus in Ecclesijs cum multis sumptibus (cum cæteroqui soluenda essent debita, emendare necessaria pro victu, vestituque sociorum) faciant: si in vestitu, ac suppellectili cubiculorum, ornatuque Collegiorum, ac Domorum Mores pristinos suorum maiorum non prosequantur; si quædam gulæ irritamenta quærant in cibis; si pœnitentias exteriores subterfugiant; si se in Amicitias Magnatum insinuent; si externis valde familiares se exhibeant, & cum ijs de rebus inutilibus colloquantur; si sæcularibus negocijs se immisceant; si in dies Collegiorū redditus amplificare conētur; si omnium arbitri esse velint; si cum ordinarijs, alijsque Religionibus contendāt; si se iniuriarum memores ostendant, easque vlciscantur; si sociorum numerum mirum in modum augeant; si se parum modò studiosos Apostolicæ sedis pluribus in locis exhibeant; agantque his similia; dicere possunt, se maiorem Dei gloriam quærere, se maius bonum intendere: nec deesse possunt rationes quibus hoc simplicibus viris suadeant.

55. Zelum verbis præferre boni societatis, quod situm est (aiunt) in pluris faciendo virtutes, quam litteras, aliaque exteriora talenta: sed postea in particularibus deficere, in promouendo magis homines litteris, quam virtutibus insigniores; in extollendo solùm in iuuenibus ingenium, aliaque talenta; in admittendo ad Professionem eos, qui eximiam quoque solùm litterarum Humaniorum, vel Indicarum linguarum cognitionem haberet, non *verò eos, qui eximijs virtutibus prædi forent; in constituendis Superioribus potiùs his, qui Politici forent, quam re vera Spirituales* &c.

56. Exteriorem quamdam pietatis speciem præseferre, vt ex hac faciliùs Marsupia sibi, quam animas Christo lucrifaciant.

57. *Pluris æstimare vitia carnalia, quam Spiritualia*, quæ tamen ex omnium consensu Theologorum per se sunt grauiora illis; & maiorem operam collocare, vt e societate *exterminentur vitia Castitati, quam Caritati opposita* &c.

58. Mediantibus Principibus aliqua postulare à Pontifice, ita vt hic Principes quasi irritare cogatur, si minùs eorum postulatis annuere iudicet.

59. Locutiones sæculare, & aulicam consuetudinem olentes, inania officia, affectatasq; assentantiaculas etiā inter ipsos socios sub specie religiosę vrbanitatis vsurpare alicubi; vti vero alibi inurbanis, rusticisque agendi modis sub specie religiosæ seueritatis, & simplicitatis.

60. Miris artibus pueros, iuuenesque ad societatem allicere, & in ijs

ad Societatem admittendis non habere rationem spiritus, quo ducantur; sed potius ingenij diuitiarum, vel nobilitatis; nec fouere spiritum in iuuenibus maximè, *sed eos varijs periculis tentationum exponere, in itineribus, in Magisterijs, in Seminarijs*, cum tamen possint huiusmodi pericula præcauere, aliorum operam, & maximè Sacerdotum adhibentes; quorum plures ociosi sunt, & solùm aliquis mulierculαrum audiendis Confessionibus dant operam &c.

61. Ad Professionem citò contra Constitutiones aliquos admittere, qui sunt parùm instructi in Religiosis moribus; vt possint hi faciliùs puniri, vel ne tam facilè possint egredi e societate, adeoque societas cogatur restituere ab his donata &c.

62. Velle, vt quæ ex iustitia aliquando debent superiores subditis, & aliquando iuxta etiam consuetudinem Religionis, tanquam pura beneficia, more aulico, habeantur; & vt talia afferantur.

63. Peculiaria quædam beneuolentiæ signa etiam cum scandalo aliorum quibusdam personarum generibus exhibere sub specie, quod cum illis familiariter agentes faciliùs eorum consulant saluti; *sed re vera ad obsecundandum potius quibusdam naturalibus animi propensionibus*, quæ tamen possunt esse non peccaminosæ ex se &c.

64. Haud modum tenere in laudandis, vel vituperandis alijs, & ad hoc potissimùm Rhetoricam artem adhibere, *ita vt nuda veritas ab ipsis haberi non possit*.

65. Esse amicissimos eorum sociorum, *qui referunt dicta, factaque à cæteris Socijs, & maximè ab illis, quibus non sunt beneuoli aliqui ex Superioribus*; nec punire eos qui falsò accusant alios eo prætextu, quod alioquin non esset, qui referret dicta, siue facta à socijs; quod vergeret in damnum Societatis; cuius superiores optant omnia planè etiam interiora habere perspecta.

66. In Pulpitis non ad captum populi, communemve, sed ad genium quorumdam habere conciones, quæ potius apud Academicos priuata in Domo habendæ forent, sub prætextu, quod aliqui Nobiles, & ingeniosi Viri illis alliciantur &c.

67. Nolle minuta quædam, ac minuta donaria à quibusdam, eo consilio, vt maiora sibi dentur ab alijs.

68. Non solum pedagogos, verum etiam famulos, famulasque, alios que Domus Officiales Nobilibus Viris proponere etiam vltro, *vt quæ in tali Domo, vel Palatio geruntur perspecta habere possint, vel aliquam auctoritatem ibi habere possint*.

69. *In Socijs, qui donant aliqua Superioribus, etiam identidem, multa dissimulare, illis multa concedere;* illos verò, qui non donant aliquid ipsis Superioribus, non admodùm beneuolo prosequi animo, etiamsi hi vel doctrina, vel virtute, alijsve talentis essent præstantiores: illorum laudes passim celebrare, vt alliciantur alij ad eos imitandos.

70. Da-

70. Dare facultatem, vt aliqui e socijs *extra Societatis Domos degant per plures annos cum vestibus Clerici Secularis; vel etiam soluere votis aliquos pro aliquibus annis, voto tamen priùs ab aliquo illorum exacto de ingrediendo iterum in Societatem;* & *hoc eo consilio, vt possint hi frui hæreditate aliqua, eam amplificare, ac postea Societati donare.*

71. Verbis se obsequentissimos Pontifici præsenti declarare, & ad illius decretis parendum summam promptitudinem exhibere: re ipsa verò de Pontifice postea obloqui, si quid contra ipsorum leges aliquid statuerit, vel petita non concesserit; excogitare, an aliquid minus gratum Pontifici ipsi agere possint; curare vt Principes, alijve Magnates vicem rependant, Pontificijs postulatis haud adhærendo; *de Pontificia dignitate, siue potestate minùs altè sentire, quam senserint ipsorum maiores.*

72. Ita Sociorum omnia curare habere perspecta, vt nullus ex socijs possit alteri aliquid etiam sub secreto manifestare, quin timere possit, quod illud sit superiori declarandum, excogitato aliquo prætextu &c.

73. *Mortem inferre secretam veneno quoque Socijs*, qui vel non approbant aliqua, quę fiunt in Societate maximè à Superioribus nonnullis, ac de illis liberè loquũtur, vel timent, nè recurrant ad Sedem Apostolicam &c. *talemque mortem moliri etiam contra illos extra Societatem, qui aliquid scripserunt minùs eorum placitis consonum.*

74. Inter aulicos maximè sibi deuincire illos, qui plùs possunt apud Principes, & *maximè eos, qui à secretis sunt illis*, eo etiam nomine, vt si quando litteræ in ipsorum fauorem scribendæ sint, Societatis laudes multum exaggerent; adeoque *conari omni obsequiorum genere prosequi illos, qui Bullas Pontificias propsis edendas conscripturi essent*; istisque *deinde suggerere, vt tales voces, talesque clausulas apponant*; &, si possint, eos fermè ad verbum exarare.

His, & similibus malis, si premeretur societatis corpus; non est dubium, quin huiusmodi infirmitas ad commune Ecclesiæ damnum pertinet, vt apertè inquit Greg. 14. initio 1. Bulla. Et certè cum Religiosi Societatis Iesu existimentur non quibusdam contaminati vitijs, quæ solent communem virtutis existimationem apud vulgares homines maximè eneruare, & habeantur præterea tanquam Viri scientia clari; si omnibus, vel aliquibus solùm ex recensitis vitijs multi e societate imbuti forent, cum non pauca etiam ex huiusmodi vitijs speciem boni habeant, aut habere possint; facilè irrepere possent in alios cum maximo fidelium detrimento, & inter cętera, *leuis, aut nulla æstimatio Pontificiarum Legum; parua subditorum obedientia; simulationes, & æquiuocationes frequentissima; infidelitas in promissis; cupiditas alijs dominandi insolita; Ordinariorum honoris,* & *auctoritatis apud populos diminutio; Contentiones grauissimæ, & publicæ tranquillitati maximè no-* In Bu.1.275

Bbb *xiæ, non*

xiæ, non modò inter Regulares, & Episcoporum verùm etiam inter sæculares Magnates, qui tamen cæteroqui, tanquam homines pij, habeantur; despoticus, & non paternus subditos gubernandi modus; tenacitas in proprio erogando, & auiditas alieni; Magnus quidem Confessionum, & Communionum numerus, sed cum nullo, aut pauco fructu; copia non Concionatorum re vera Apostolicorum, sed Academicorum potius in pulpitis stantium; temporalium commodorum talis prosecutio apud aliquos, qui minus præ alijs inhiare deberent, vt nunquam dicant, satis est; multitudo quidem Doctorum hominum, sed parùm Ecclesiæ vtilium, & quandoq; etiam noxiorum; persuasio apud plures, quod præter Intrinsecè mala, omnia fermè sibi liceant, saltem in foro interiori &c. An verò hæc, aliaq; damna iam Ecclesiæ attulerint Religiosi Societatis, cum sit quæstio de facto, Viri prudentes, atque Pij iudicent.

Scio quidam aliquos in dubium reuocasse, an maiora commoda, an incommoda Ecclesiæ attulerint à multis ab hinc Annis, modòque afferant Patres Iesuitæ. Verùm hanc Quæstionem statuere aliorum quoque sit.

Certum mihi est *Primò* ad decernendam hanc Quæstionem necessarium esse comparare inter se commoda, & incommoda, quæ attulerint, vel afferunt hi Religiosi, & videre, quæ grauiora, quæ nam maiora &c.

Certum mihi est 2. non posse huiusmodi comparationem fieri ab eo, qui pia quadam affectione ordinem illum prosequitur, nec ab eo, qui illi infensus est; tàm enim Amor, quàm Odium mentis aciem perturbat, ne rectum Iudicium ferre possit intellectus: nam amor impelleret ad attendenda solùm commoda Ecclesiæ allata, & incommoda vel nihili æstimanda, vel excusanda: odium verò impelleret ad attendenda solùm incommoda, & commoda in modico, aut nullo pretio habenda, imò etiam ad incommoda in ipsis commodis excogitanda.

Certum mihi est 3. posse Ciuitates, ac Prouincias, tùm in pietate, tùm in litteris excellere, etiamsi ibi non degant P. Iesuitæ. Antequam enim hic Ordo in Ecclesia existeret, nonne fuerunt in Catholico Orbe Viri cuiusque generis, & moribus, & sapientia Illustrissimi? nonne etiam modò est numerare plurimos vitæ probitate, & sanctimonia conspicuos, atque in Rhetoricis (ne dum in Philosophicis, atque in Theologicis Disciplinis) præstantissimos, qui sub P. Iesuitarum disciplina non fuerunt, viuuntque in illis Regionibus, quas ipsi P. Iesuitæ non incolunt, magna cum sapientiæ fama? *Honorentur, muneribusq; exornentur Viri in litteris quoque Humanioribus excellentes, celebresque eorum Professores;* nunquam deerunt præter P. Iesuitas homines, qui satis in Rhetoricis quoque instruant Iuuentutem. Et pecunia quidem, quæ exhibenda foret pro fundando P. Iesuitarum Collegio, in quo docendæ essent humaniores litteræ, & ea, quæ illis præterea spontaneè exhi-

beren-

berentur ab illis, qui accederent ad Collegium, ſatis forent ſæpè ad alendos plures homines litteris etiam humanioribus excellentiores, quàm ſint huius ordinis Magiſtri, qui Iuuenes eſſe ſolent, nec rarò imberbes; nec deeſſent homines quoque digniſſimi, qui pietatem cum litteris ipſis Iuuenum animis inſtillarent: & hi quidem facilius, quam ſi eſſent e ſocietate, Magiſtri, dimitti poſſent eorumque loco alij ſubrogari, ſi minus prouidè, ac rectè ſuum obirent munus. Quare in Ciuitatibus inſtituantur tres, aut quatuor, vel plures, vel pauciores ſcholæ pro Ciuium multitudine, & his præficiantur huiuſmodi homines, ſiue ſacerdotes, ſiue etiam (ſi illi commodè haberi nequeunt) non Sacerdotes, allecti congruis premijs ad docendum, vt dictum eſt: Sitque præterea vnus in vnaquaque Ciuitate, pietate, ac doctrina, &, ſi fieri poteſt, nobilitate etiam notiſſimus Sacerdos, qui bis in ſingulas hebdomadas huiuſmodi ſcholas inuiſat; cognoſcat, an Profeſſores munere ſuo fungantur; identidem interroget ex diſcipulis aliquos ad explorandum profectum, qui apud talem Profeſſorem colligitur &c. Et ſemel in ſingulos Menſes, duo, aut tres e primoribus, ſed grauioribus Viris e Ciuitate, a Ciuitate ipſa deputatis, vna cum huiuſmodi viro (cui abſque dubio ſtipendium longe maius, quàm ipſis Profeſſoribus, tribuendum, poteritque etiam hoc munus demandari illi Profeſſori, qui per plures annos maiori cum probitatis ac ſapientię laude iuuentutem inſtruxerit, vbi primus electus obierit) haſce ſcholas viſitent; laudent e diſcipulis Eos, quos non leuiter profeciſſe Profeſſores aſſeruerint; præmijs alios alliciant; diſcolos minis, pœnisque deterreant &c. Imo ſi opportunum viſum fuerit, inſtituantur duæ, aut tres Academiæ, in quibus educentur Iuuenes, maximè Nobiles, illiſq; præficiantur & in Gubernatione, & in Doctrina Viri omni exceptione maiores ad hoc munus obeundum allecti premijs etiam omni exceptione maioribus; ijſdem etiam Belli tempore ad militaria munera alliciantur homines armis præſtantiſſimi, qui talibus ducti premijs, castra etiam, in quibus diu militarunt, vltrò deſerunt. Verùm ſint quoq; ſaltem tres e Ciuitatum Magnatibus pietate, prudentia, & amore erga patriam, atque ſi fieri poteſt, doctrina etiam inter cæteros præſtantiſſimi, qui non ſolùm ſæpè huiuſmodi Academias inuiſant, velintque a Rectore, præceptoribusque certiores fieri de Iuuenum profectu; eos, quos valde profeciſſe intellexerint, laudent, atque etiam premiolis aliquibus publicis etiam quandoque afficiant: & iubeant puniri eos, qui alijs offendiculo ſunt, ac expelli ſi quando pœnæ non ſatis ſunt; ſicuti & dimitti illos, quos natura reddidit fermè incapaces doctrinæ, vel quos experientia docuit non poſſe ſtudijs animum applicare, &c. Impoſſibile enim eſt moraliter, vt Scholæ, vel Academiæ optime regantur, a Viris etiam ceteroque aptis ad regendum, vel docendum Iuuenes, & maximè Nobiles, niſi perſuaſerint ſibi Iuuenes, ſi minus

recte se gerant, non solùm sibi negocium fore cum illis, qui præpositi sunt ipsis regendis,ac docendis,verum etiam cum aliquibus primoribus e Ciuitate, ac esse in potestate horum Primorum (quos sciunt maiorem rationem habituros publici, quàm priuati cuiusq; commodi) eos cogere ad pœnas, & si opus fuerit, etiam cum aliqua ignominia eijcere.Si hæc quæ diximus fiant,haud P.Iesuitarum opera prò instruenda in litteris Iuuentute à plerisque desiderabitur. Præterea satis Humanioribus litteris Iuuentutem instruunt P. Barnabitæ, ac Somaschenses.

Certum mihi est 4.in litteris multa commoda Reipublicæ Christianę attulisse P. Iesuitas nec hoc nisi ab inuido, vel à maleuolo negari posse. Notant tamen aliqui P. Iesuitas.

P.° In Grammaticis plurium annorum spatio,quam re vera fieri posset,discipulos detinere; nec operam ponere,vt explicare norint Libros eorum auditores.

2. In Rhetoricis iam styjum non curare, paruo, aut in nullo habere precio Ciceronem,Virgilium, similesq; in Rhætorica facultate principes;his præferre Moderniores quosdam,& in quibusdam solùm argutijs conquirendis, simulque coarctandis studium impendere; parum sollicitos de obseruandis hactenus traditis Rhetoricæ artis præceptis esse; orationis obscuritatem amare &c.

3. In Philosophicis pauca de Mundo,& Cœlo,ac de Anima,nihil fermè de Deo,& Intelligentijs iuxta lumen naturale docere; multa verò tradere de Ente Rationis, de particula EX in definitione principiorum &c. Metaphysica fermè omnia copiosissimè declarare; Physica, vel quæ experientia habentur, omittere, non indagando Physicorum effectuum causas; ac denique Auditores suos in Philosophia sophystas potiùs, siue Dialecticos præcellentes, vel subtiles Metaphysicos reddere,quam veræ compotes sapientiæ,quæ habetur potissimùm ex naturali cognitione Primæ Causæ, Intelligentiarum, Causarumq; peculiarium effectuum Physicorum, qui in Terris maximè contingunt.

4. In Phylosophia Morali statim Quæstiones excitare Theologicas; nec Virtutum, Vitiorumque naturæ cognitionem Auditoribus communicare.

5. In Theologicis nouas excogitare Quæstiones parum proficuas; detinere Auditores in describendis confutationibus aliorum,& maximè illorum, qui antecedenter in eodem Gymnasio docuerunt, licet aliquando idem sentiant cum ipsis, ducti tamen diuersis rationibus; coaceruare plurima ex aliorum Magistrorum scriptis; pauca afferre ex locis Theologiæ intrinsecis,multa vero ex probabilibus, & ad probasdam quasdam argutulas rationes; & in his, quæ pendent ex probabilibus quibusdam Phylosophiæ Principijs, tamdiù detinere Auditores, vt in quadriennij fine hi re vera experiantur vix veræ Theologiæ Fon-

giæ Fontes prægustasse; ac denique illos nouitatis potiùs, quam solidæ Doctrinæ Studiosos, magis Philosophos, quàm Theologos, proprij sensus tenaces, aliorumque Theologorum quasi contemptores reddere. *An vero ista* quæ circa P. Iesuitarum scholarum defectus allatam sunt modò, vera sint; *& an hoc sit vitium* tantummodo nonnullorum, an verò plurimorum e societate Magistrorum, dij iudicent alij; sicuti quoque, an *commoda, quæ important P. Iesuitarum Scholæ præponderent incommodis*, quæ *Ciuitatibus afferre queunt hi Religiosi Maiorum suorum vestigijs non insistentes*.

Certum mihi est 5. nullum esse bonum adeo perfectum humanum, vt per accidens non possint sequi multa etiam incommoda ex illo, sicuti quoque nullum esse potest incommodum humanum, ex quo per accidens aliquod non possit sequi commodum. Quare cum certum mihi sit institutum à S. Ignatio Ordinem, si integrè seruentur ab illo præscripta, esse Ecclesiæ vtilissimum; sentio quoque, nullatenus posse dici damnosum illi, si per accidens, & præter intentionem aliqua sequerentur, vel secuta fuissent incommoda. An verò, si non seruata fuerint, vel non seruentur ab eo præscripta, incommoda quæ inde sequi potuerunt, vel possunt, dici possit fuisse, vel esse per accidens, alia quæstio est.

Certum mihi est 6. neminem Catholicum negare posse P. Iesuitas multa commoda attulisse Ecclesiæ. Ita fatentur inter cæteros complures Pontifices: sed cum corruptio optimi sit pessima, diligentissimè cauendum, nè omnibus, vel aliquibus ex recensitis malis dici possit vnquam obnoxium societatis corpus: *Hæc autem allata sunt ea maximè de causa, vt præcauerentur*.

PARS

PARS OCTAVA.

Quænam Ratione Societatis Iesu Auctoritas, & Potentia deprimi posset à Summo Pontifice, si cognosceretur vergere in damnum Ecclesiæ.

VBi sibi persuaserint Summi Pontifices Societatem Iesu non habere modò apud Principes Eam auctoritatem, ac potentiam, quam nonnulli sibi suadent, eò quod aliquos forsan (sic opinantur non pauci rerum aulicarum periti) ex socijs agnouerint adulatores; alios inhiantes proprijs commodis etiam sub specie publici boni; alios minus amantes religiosæ disciplinæ; alios fraternæ caritatis osores; alios dominandi Officialibus; imò & Principi ipsi cupidos; alios verè aulicos, ac festiuæ conuersationis; alios gloriæ cupidos; alios negocia sæculari facilè amplectentes, alios nouitatum audiendarum cupidos; alios ocio indulgentes, & ad illud vitandum aulas frequentissimè adeuntes; ac denique socios potius prudentes, ac politicos quam verè spirituales; adeòque beneuolentia, quam ex Principibus nonnulli exhibent societatis hominibus modò, saltem plerumque cum originem haud trahat ex Religiosa modestia, simplicitate atque humilitate, ac solidæ virtutis existimatione, sed potius ea aulica Vrbanitate (vt de hoc eodem argumento differens P. Claudius in lit. de Tribulationibus loquitur) gratisque humanæ beneuolentiæ obsequijs, atque alijs humanis rationibus: ac sibi præterea suaserint Pontifices, vel non posse modò oriri incommoda Ecclesiæ, quæ e socijs aliqui minitari possunt ad deterrendos Pontifices; vel esse illa minora illis, quæ postea certò ipsi inferent, nisi modò aliquod remedium afferatur ad sociorum potestatem, & auctoritatem minuendam: in Domino, cuius partes agunt confidentes, hæc inter cætera agere possent; ex quibus, an aliqua solùm, an verò omnia adhibeda sint, ipsi dijudicare queunt.

In lib. Epist. n. 304.

P.° Vtatur Pontifex tantummodo opera Patrum societatis in Missionibus; hæ enim sunt maximè iuxta illorum Institutum; adeoque iubeat eos, & maximè Professos, qui peculiari voto ad missiones tenentur duos v. g. ex singulis decem in Missionibus versari eo modo, quo P. Claud. in tribus litteris de Missionibus expressit.

In lib. Epist. n. 261. n. 274. n. 285. n. 286.

2. Excludat eos ab interessendò Inquisitionis Congregationibus ad iudicandum, signaturæ Pęnitentiariæ, & Ministerio examinandi contra formam dec. 72. Cong. 2. hæc enim non conuenire Instituto Societatis tradiderunt ipsimet in 3. Cong. Generali.

In lib. Decr. n. 65. n. 4.

Ibidem. 3. Excludat etiam pro re nata à Seminarijs, Domibus Conuictorum,

Colle-

Collegio Pœnitentiariorum, quando hæc haud conuenire Instituto Societatis ipsorum Congreg. Generalis censuit, aliosque etiam Religiosos admittat, quorum instituto id non repugnet.

4. Iubeat Ordinarios exercere de facto iurisdictionem in Collegijs illis, vel Domibus, in quibus de facto non habitant duodecim Religiosi Societatis iuxta Bullas Pontificias: poteritque etiam iubere, vt vbi viginti e socijs non aluntur, etiam ibi Ordinariorum iurisdictio vigeat; huiusmodi enim Collegia, vel Domus, in quibus tot saltem non aluntur, sunt contra mentem expressam duarum Congregationum Generalium. *In lib. Dec. Cong. 2 de. 8. c. 112. c 157. Cong. 5. dec. 69. c. 330.*

4. Subijciat eos Ordinarijs in ritu, & modo administrandi Sacramenta Confessionis, & Communionis; iubeatque eos examinari pro excipiendis Confessionibus non minùs, quam cæteros Regulares, non pauci enim experientia teste iam in Conscientiæ casibus parum versati sunt.

6. Iubeat Ordinarijs reddi ab ipsis (præhabito tamen Iuramento) rationem omnium redditu um in singulos annos, ac personarum, quæ ibi aluntur cum expensis &c.

7. Iubeat imprimi Librum, in quo contineantur omnes Bullæ Pontificiæ, quæ saltem à Clem. 8. vsque ad hodiernam diem ipsos Societatis Religiosos comprehendunt, eumque legi, semel in anno saltem, coram omnibus: præcipiatque in virtute obedientiæ prouectiori ætate inter Consultores, vt moneat de transgressione alicuius ex illis, vbi contingerit, & à Superiore punitus non fuerit transgressor, Congregatione Eminentissimorum Principum Præpositam negocijs Regularium.

8. Iubeat audiri omnes quærelas de superioribus ab eadem sacra Congregatione, & si quidem iniustæ fuerint querelę, castigentur enim verò acerrimè hi queruli; si iustæ, puniantur superiores, & etiam illi, qui moniti noluerunt inquirere causas quęrelarum, easque fermè omnes habuerunt, prò tentationibus, culpam quasi fermè semper in subditos reijcientes, superiores verò, quos eligunt, fermè impeccabiles putantes.

9. Iubeat certos redditus ab vnoquoque Collegio possideri; nec etiam si ampliores relinquantur, liceat eos admittere inconsulta Apostolica Sede.

10. Iubeat Ordinarios inquirere, An menti Fundatorum, & eorum, qui reliquerunt illis aliqua bona, socij satisfaciant; & si in hoc negligentes eos non semel deprendant, iubeat redditus illos alijs locis pijs, vel Regularibus, qui diligentiores sint, nec adeò faciles in commutatione vnius voluntatis in aliam, assignari.

11. Iubeat Oratoria omnia, in quibus socij celebrant, dum non sint sita in Collegijs, vel Domibus, vel Residentijs perpetuis, visitari ab Ordinario; illa enim non videntur concessa à Greg. 13. in Breui, *De-*

cet Ro-

cet Romanum Pontificem: imò cum in Lib. Priuilegiorum V. circa ipsa-
In Bulla Societatis cart. 147. met oratoria constituta in Domibus, Collegijs, ac Residentijs socie-
tatis hæc legantur, *Non vtentur Prouinciales hac facultate, nisi in locis*
In lib. Priu. c. 132. *remotis ab Oppidis, in quibus Ordinarij existunt, aut vbi probabiliter ti-*
metur, quod illi, cum opus fuerit, difficiles se exhibebũt ad huiusmodi Ora-
toria deputanda; hæc obseruari iubeat.

12. Iubeat ab Apostolica Sede semper impetrari facultatem ordinandi socios ad sacros ordines etiam Presbiteratus extra consueta tempora, vel tribus Dominicis, siue alijs Festis diebus; neque enim vrget modò ea ratio quæ tunc impulit Greg. 13. ad concedendam amplam, & generalem illam facultatem Generali in Breui incipiente
In Bu. c. 211 *Pium, & vtile;* vel non nisi pro ijs, qui mittuntur ad Indos, aliosq; Infideles, illud Breue habere locum, apertè declaret.

13. Reuocet Bullam Pauli 5. incipiente, Quantum Religio 6. Iesu,
In Bu. c. 303 313. & 314. quoad partem de facultatibus, Priuilegijs, Exemptionibus, Immunitatibus, gratijs, & indultis à suis prædecessoribus societati concessis, siue quoad istorum approbationem, & innouationem &c. & *quod non possit illa Bulla reuocari à Successoribus, etiamsi illius specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio fieret &c.* In hac enim Bulla maximam vim solent socij ponere.

14. Iubeat Ordinarios, & Inquisitores maximè inuigilare, quænam opiniones publicè, & præcipue in Academijs, legantur, ac monere sacram Romanam Inquisitionem, si deprehenderint non seruari Constitutiones, ac Decreta ipsius societatis hac in re, quæ maximi est momenti, & præcipuè spectantia ad Doctrinam S. Thomæ amplectendam.

15. Iubeat certum numerum assignari eorum, qui admittendi sunt in singulos Annos in societatem qui & necessarij prorsus sint, & propter quos alendos nullum fit penitus contrahendum æs alienum; nec liceat etiam ratione augmenti redditũum Prouinciæ vltra illum numerum Nouitios admittere inconsulta Sacra Congreg. neg. Rog. Præposita.

16. Vetet vllos stabiles redditus accipere socios à Virginibus, vel Viduis, vel ab ijs, qui filios, filiasque habent, inconsulta Romana Sede.

17. Iubeat confici summam continentem Theologicas, & Philosophicas opiniones, quas Socij prælegere, siue docere possint tantummodo.

18. In causis vertentibus inter socios, & Regulares alios, & maximè Ordinarios, si vel probabilitatem iuris hi habeant, iubeat pro illis iudicari; ex vna enim parte, & socij docent posse Iudicem etiam probabilem sequi opinionem relicta probabiliori, & ex alia ratio communis boni (quam socij tam sæpe pro causis ad ipsos spectantibus proponunt, atque exaggerant) vrgere potest, vt scilicet socij humilientur &c.

tur &c. quod censeri potest vergere in vniuersalis Ecclesiæ commodum.

19. Deneget illis petentibus nouum aliquod Priuilegium, vel nouam aliquam gratiam, id quod postulatur nisi aliquid nouum, & eximium præstetur ab ipsis ad Missiones euntibus in fauorem Animarum.

20. Non credat facile ipsis socijs de se aliquid narrantibus, sed potius curet certior fieri de veritate ab alijs: & si eos vel amplificasse rem cognouerit; haud eos impunitos relinquat; multoque magis eos à se reijciat, repellatque, si adulatores cognouerit.

21. Iubeat à Principum Secularium Curijs eos omnino reuocari, qui spiritu selecti non censentur, vel qui seipsos in eorum amicitias insinuarunt: & si hoc executioni mandari non possit, iubeat eos dimitti, vel etiam expelli à societate, vel declaret eos ab ordinum vsu suspensos, inhabilesque ad quoduis in societate munus.

22. Iubeat nullum imprimi à societate Librum, nisi Romæ approbatum, vel à Sacri Palatij Magistro, vel ab alio etiam Deputato à Congregatione Eminentissimorum Indici præposita, & in remotissimis Regionibus ab aliquo, quem ibi specialiter deputauerit Nuncius, siue Legatus Apostolicus, aut sacra eadem Congregatio de qualitate imprimendi Libri plenè certior facta fuerit.

23. Vetet eos in Libris, quos imprimunt, inconsulta Congregatione Sacra Romanæ Inquisitionis, vllam apponere censuram cuique opinioni, nisi talis censura sit communis planè Theologorum; huiusmodi enim censuræ, quæ ad libitum sæpe proferri possunt, vel saltem sine efficaci fundamento, magna Ecclesiæ incommoda importare queunt etiam in temporalibus præter existimationis imminutionem.

24. Vetet sub pœnis quoque excommunicationis, inhabilitatis ad quæuis officia &c. ne vllus addat, vel demat aliquid libris, qui non editi ab Auctore viuente sunt, ac postea à socijs euulgantur, neq; enim (præter infidelitatem in addendo, vel minuendo) potest haberi nota talis Auctoris mens. Nec sine pœna etiam exteriori relinquendi essent illi superiores, qui iuberent in hisce libris posthumis, vel describi Auctorem retractantem aliquam sententiam, quam prius impressisset, & docuisset eò quòd non esset grata talis sententia superioribus, vel tractari aliquam quæstionem apposita sententia talis Auctoris, quam tamen auctor nullatenus agitauit, eo quod cum auctor ille habeat auctoritatem multam, pondus addit tali sententiæ, quæ grata est superioribus, aut nonnullis alijs e societate. Licet enim daretur posse superiores prohibere, ne aliqua sententia publicè à sibi subditis legeretur, vel imprimeretur, licet illa secundum se probabilis esset; non tamen habent auctoritatem appingendi aliquam sententiam auctori alicui, in qua ille non fuit, eo quod eam non tractarit, & multo minus sententiam aduersantem illius menti iam expressæ: præter-

quam scilicet addere, vel demere libris hisce Posthumis; quæ nam fides illis haberi poterit?

25. Iubeat modum imponi impressioni tot libellorum, Orationum, Carminum, aliorumque breuissimorum in quacumque materia; Hinc enim sumunt socij occasionem hos numerandi inter societatis scriptores, qui peculiari edito Libro, omnibus publicantur ad excitandam maiorem Societatis existimationem, quòd tot Viros, quot eo Libro numerantur, protulerit Sapientia illustres, simulque admirationem apud homines, qui in eorum moribus non sunt versati.

26. Iubeat ab Inquisitoribus visitari identidem sociorum Bibliothecas, & asportari inde libros, quos deprehenderint socios habere contra statuta à sacra Congregatione Indicis, & contra Pontificia Decreta; atq; declaret, ad quæ extendantur facultates, quam habuerunt circa librorum prohibitorum vsum à Gregorio 13. Die octaua Ianuarij anno 1575.

27. Iubeat eos adamussim Ritum Romanum seruare in Missis cantandis, in Cerimonijs hebdomadę sanctæ tribus postremis diebus, in processionibus, in quibus per ipsorum Ecclesiam vel etiam extra Ecclesiam circumfertur Sanctissimum Christi Corpus &c.

28. Declaret ipso facto absque alia declaratione esse priuatum munere, quod obtinet ac perpetuo inhabilem ad quodlibet munus obeundum illum, qui quocumque modo etiam indirectè procuret, ne socij liberè ad Apostolicam Sedem recurrant; ac prætetea obedientiæ præceptum imponat manifestandi Apostolicæ Sedi id impedientes etiam indirectè.

29. Subijciat socios, qui in Missionibus versantur, & Collegia quæcumque vbique gentium externorum Iuuenum societatis curæ commissa, sacræ Congregationi de Propaganda Fide.

30. Moderetur auctoritatem tam absolutam Generalis Præpositi, quem aliqui habent atque nominant alterum Pontificem, itaut in pluribus sequi debeat suffragium Assistentium; non habeat potestatem, si aliquis ex Assistentibus moriatur, alium eius loco subrogandi, sed solum facultatem obtineat nominandi vnum ex illis duobus, aut tribus, quos proposuerint Europæ Prouinciales; teneatur quoq; vnum ex illis tribus, aut quatuor, quos proposuerint Congregationes Prouinciales, eligere in Prouinciales, Præpositos, Rectoresque: teneatur quoque suæ Administrationis rationem reddere Congregationibus Generalibus, quæ octauo, vel nono quoque anno habendæ sint; non possit Vicarium Generalem nominare, qui eius siue viuentis, siue mortui vices gerat &c.

31. Eos puniri acerrimè iubeat ab Ordinarijs, qui negociationibus quibusdam dant operam; Cameræque Apostolicæ omnia exposita negociationi cuique, & ex illa acquisita applicet: iubeatque prætereà sub pœ-

sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ad Auditorem Cameræ Apostolicæ deferri quemcumque socium negociationibus minùs Religioso homine dignis vacantem.

32. Eos nullo modo eximat à Decimis, & alijs contributionibus, quę cæteris Regularibus ex iuxta causa imponuntur.

33. Iubeat recognosci Librum Priuilegiorum societatis, & diligenter examinari quæ nam ex illis reuocata sint, imò & quęnam reuocari expediat, & illa e Libro deleri, iterumque imprimi Librum hunc Priuilegiorum; statuatq; deinceps in quauis impressione nihil illi omnino addi inconsulta Apostolica Sede sub pœna excommunicationis &c.

34. Omnino indiuidualiter declaret Socios absque facult... Ordinariorum non posse à casibus, quos illi sibi reseruatunt, absoluere, adimatque facultatem hanc quocumque modo obtinuissent, etiam per Bullam Pauli 5.

35. Haud eos specialiter, siue indiuidualiter in Bullis nominari iubeat; iam enim Vrbanus Octauus statuit, Bullas omnes in posterum socios etiam comprehendere, si sint communes cæteris Regularibus; Possunt enim socij superbiæ occasionem hinc arripere; vel etiam existimare eam Vrbani Octaui Bullam non fuisse validam, si adhuc post eam societas specialiter nominetur in litteris Apostolicis.

36. Eos deferri ad Tribunal sanctæ Inquisitionis iubeat, ac seuerissimè puniri, qui vsi fuerit notitia habita per Confessionem ad exteriorem gubernationem, vel qui aliquid in Confessione explicatum absque pœnitentis expressa facultate quocumque modo alteri, & maximè Superiori, aperuerit.

37. Iubeat eos moderationem adhibere in expensis, quas faciunt quandoque, etiam in Ecclesijs, & pro Ecclesijs; quamuis enim multum commendabile sit Ecclesias habere ornatas; in hoc tamen ipso potest aliquando esse excessus vituperabilis, maximè si pecunia corrogetur à quibusdam simplicioribus fœminis, quę vtilius, ac salubrius sæpe expendi posset in Nuptui dandis Virginibus, quæ amittendæ Castitatis periculo proximo expositæ sunt, vel in subueniendo Familijs, quæ ex diuitibus inopes redditæ sunt, alijsque similibus Caritatis operibus: & præterea Iustitiæ consonum esset, vt prius solueretur æs alienum, quo ingenti possunt premi Collegia, ac Domus; quod sibi suadere nequeunt illi qui huiusmodi apparatus vident, nisi planè perspectos habeant Libros Redditunm, & Expensarum Collegiorum, ac Domorum. Hæc certè moderatio Apparatuum in Festis, quæ celebrari solent à socijs, est Reg. 102. Prouincialis ipsorum consona. Hisce apparatibus etiam possunt Socij apud plures auctoritatem, plaususq; & quamdam præ cæteris Regularibus, qui ab huiusmodi Apparatibus abstinent, Gloriam sibi vindicare, maximè cum soleant ad inuitandos In lib. Regu. c. 38.

 sendos

ſendos tales Apparatus inuitare Viros Principes &c.

38. Iubeat relinqui à Societate omnes Domos, in quibus Viginti e ſocijs actu non habitant, cum hoc ſit contra eorum Decreta, redditibus illis alicui alteri operi pio applicatis, ſocijs illis qui ibi viuebant, diſtributis per alia ampliora Collegia, vel potiùs per Oppida, Vicoſque omnes Italiæ, aliarumque Prouinciarum, vt ibi Miſſionibus vacent more Apoſtolico, & qui fuit proprius primorum P. Societat.

39. Declaret liberum eſſe cuique Socio Romæ Commoranti adire quemcumque Cardinalem, ex his maximè, qui præpoſiti ſunt ſacræ Inquiſitioni, & Negocijs Regularium, non petita facultate à ſuperioribus de ipſis adeundis; & multò minùs, quod teneatur referre Superiori, quid cum illo agendum, vel actum ſit; aliosque extra Romam non teneri oſtendere ſuperioribus litteras, quas ad Eminentiſſimos Principes ſcribunt; nec licere ſuperioribus aperire litteras, quas Eminentiſſimi ad ſocios ſcribunt.

40. Haud eorum laudes ſe æſtimare oſtendat; nec permittat Nepotes ſuos adire Collegium, in quo excipiendi ſint publica laudatione, carminibus publicè deſcriptis in laudem Regnantis Pontificis, eiuſque Nepotum, publica Menſa in eorum Cænatione &c. Hinc enim poſſunt ſocij arripere occaſionem petendi nonnulla à Pontifice, quæ niſi concedantur, videri poſſet ingratus; ſe ipſos præferendi ceteris Regularibus, qui talibus honoribus non proſequuntur Nepotes Pontificum; ac ſignificandi longinquis maximè Prouincijs, ſe eſſe valde gratos Pontifici &c.

41. Vetet imprimi Librum vllum, qui agat de rebus geſtis à Socijs extra Europam, ſi Romæ non ſit exactè recognitus à Magiſtro ſacri Palatij, & ab alijs quos deputauerit Sac. Congreg. Indicis, deprehendi enim aliquando falſitates potuerunt.

42. Vetet Apologias, quas Socij aliquando pro ſe ſcribunt, vllibi imprimi, ſi non ſint approbatæ à Sacra Congregatione Indicis, & à Magiſtro Sacri Palatij; Ius enim defenſionis aliquando excedunt ſocij, & aliqua etiam falſa commiſcent.

43. Iubeat recognoſci Librum impreſſum, qui inſcribitur, Ordinationes Præpoſitorum Generalium, & peculiariter *Ordinationem ſpectantem ad caſus reſeruatos pro Superioribus, & Confeſſarijs Societatis*: Si autem Viri pij, Doctique cenſuerint aliquos eſſe reſecandos, aut temperandos; vel nimiam eſſe reſeruationem, *ſi quando Superiores Ipſi in aliquem reſeruatum caſum inciderent*; pro ſuo Paſtorali munere ſubditorum conſcientijs conſulat.

44. Vetet imprimi Librum vllum continentem res geſtas ab aliquo Iuuene maximè, qui aliqua virtutum gloria inter Eos excelluerit, niſi Deus talis Iuuenis Sanctitatem miraculis comprobauerit; (Ponderandus enim videtur appetitus, quem modò habent Socij, *quem Maio-*

res ipſo-

res ipſorum videntur non habuiſſe præclaris in auxilium proximorum operibus intenti abſque alia alicuius gloriæ in Terris cupiditate; plurimos; qui inter ſocios virtutibus excelluerunt præ cœteris, in album Sanctorum, vel Beatorum referendi:) Et non niſi diligentiſſimè recognitos ab aliquibus Deputatis à Sacra Congregatione, vel Inquiſitionis, vel Indicis, iubeat typis vulgari Hiſtorias etiam illorum, qui pro Chriſti Fide mortem oppetiiſſe dicuntur; poſſunt enim grauia Eccleſiæ dignitati, & auctoritati inferri pr iudicia apud hæreticos maximè, & Ipſos etiam Gentiles, ſi huiuſmodi Hiſtoriæ ſincerè non proferantur in medium, vel etiam amplificentur.

45. Iubeat deleri eas Leges, ſi quæ forent, etiam ſi ſecundum ſe laudabiles, quibus illi, qui iam ſunt exempti ab obedientia ſocietatis, tenerentur ſequi, quod Generalis, vel alius eius nomine decerneret, tamquam opportunius ad Eccleſiarum quibus præſiderent Regimen, ſi illud vt tale cenſerent; par enim eſt, vt ſocij penitus remoueantur, hiſce maximè temporibus, ab omni etiam ſpecie regendi Eccleſiam, illamque ſuo nutu adminiſtrandi, vel habendi Prælatos Ipſos Eccleſiarum, nec non Eminentiſſimos Principes dependentes à Generali &c.

46. Iubeat inconſulta Apoſtolica Sede, vel Congregatione Eminentiſſimorum Præpoſita negocijs Regularium, vllum ex Prouincialibus, & inferioribus Prælatis permanere in munere ſuo vltra Triennium, ſed expleto Triennio intelligatur ceſſare talium Superiorum Poteſtatem, eamq; deuolui ad ſocium Prouincialis, & ad Miniſtrum Domus, & Collegij, vel Antiquiorem Profeſſum in vnaquaque Prouincia, aut Domo, aut Collegio: ac ſimiliter ijſdem inconſultis nullum ex his promoueri ad nouam Prælationem, niſi per Triennium vacauerit, aut ſimile tempus.

47. Magiſtros Philoſophiæ, ac Theologiæ, antequam legere incipiant, & etiam quotannis (ſi neceſſarium viſum fuerit) iubeat coram Ordinario, vel Inquiſitore iurare de ſeruandis Decretis ipſius Societatis circa Doctrinam Sancti Thomæ.

48. In cauſis controuerſis inter ipſos, vel alios, ſi dictitent Socij ſine peccato aliquid non licere Pontifici decernere, quod ipſi cenſerent in aliquod Societatis præiudicium vergere: ſi pontifex pro ſua prudentia non poſſit, vel nolit id ſtatuere; Conſilio habito à pijs, doctiſque Viris nullum crimen à ſe patrandum, ſi in tali cauſa contra Socios decernat, ſtatuat contra ipſorum ſententiam; neque enim videtur eſſe opportunum, vt velint regere cœteros, & quod cupiunt, extorquere à Summo Pontifice his, & ſimilibus artibus.

49. Iubeat ab Ordinarijs de Vocatione diligenter examinari eos omnes, qui ſaltem vigeſimum non attigerint annum, ſi eos probabilis ſuſpicio ferat fuiſſe allectos ab aliquo e socijs ad petendum ingreſſum

in Societatem, nec à Diuino ad id spiritu impelli, maximè si adolescentes sint Nobiles, Diuities, aut Ingeniosi, ac in Scholis instituantur, & præcipuè, si in Seminarijs, aut Conuictorum Domibus, quibus Socij præsideant, educentur.

50. Iubeat deleri Legem, si quæ foret in Societate, vt non possit quispiam directè, vel indirectè sine facultate Superioris sui *Summo Pontifice* gratiam vllam in suum priuatum, vel alterius vsum petere, aut petendam curare.

Hæc dicta sint pro nunc in obsequium Apostolicæ Sedis; pro qua vitam profundere, ne dum calamum arripere, mihi gratissimum fuerit, ac familia mea quàm maximè decorum.

FINIS.